UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

Liber CXC.

urn:nbn:de:hbz:466:1-67313

Visual Library

cum victoriam aliquoties a Sidane Marocci Rege retulisset, ejusque Metropoli potitus esset, tandem arte ejus diabolica destitutus ab eodem Rege profligatus, atque ad internecionem cæsus est. Sæc. XVII. A. C. 1613.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CONTINUATÆ.

LIBER CXC.

PAULUS V. SUMM. PONTIFEX. MATHIAS I. OCCID. IMP.

§. I.

Propositiones ex libro P. Martini Becani S. J. extractæ.

Nullo unquam ævo tam atrox bellum adversus Literatorum scripta librosque in Galliis fuerat intentatum, quam proximo hoc triennio, in quo Maria Medicæa Franciæ Regina inter Principes & paucos Aulæ Ministros Regni administrandi curam partiebatur, & supremæ Curiæ Senatus, seu ut *Serran. Franc. Hist. pag. 922. Hist. du Parlem.*

Sæc. XVII. A. C. 1613.

vocant *Parlamentum* velut otiosus Spectator a gravioribus regni negotiis vacare, & unacum Sorbona nonnisi quasdam auctoritatis suæ scintillas in proscribendis libris emittere permittebatur. Vix igitur impotentior in Richerium ardor deferbuerat, cum jam nova pararentur fulmina adversus Caspari Scioppii librum, cui titulus: *Ecclesiasticus*. Accusabatur apud Curiæ Patres hic Auctor, quod glorioſissimam Henrici IV. memoriam convitiis, probrisque prosciderit, pluraque insperserit, quæ ad labefactandam Regum, ceterorumque Principum auctoritatem spectare viderentur. Igitur communi omnium suffragio hic liber publice ante ipsum Curiæ Palatium per carnificem igne crematus est, inhibita illius impressione, venditione ac lectione, statuta etiam ultimi supplicii pœna ceu in criminis læsæ Majestatis reos, qui intra viginti quatuor horas hunc librum ad Curiam deferre neglexerint. Ita in Scioppii folia Parisiis sævitum est, acerbius vero Madriti in hujus Authoris dorsum; cum enim in suo libro pariter Jacobum I. Angliæ Regem liberiori calamo lacessisset, ejusdem Orator denso verberum grandine de Scioppii tergo sibi anno sequenti satisfecit. Ceterum magis adhuc famosa erat actio in Martini Becani Jesuitæ

Argentre concluſ. S. Facult. tom. 2. p. 65.

Jesuitæ librum mota. Scripserat hic opus quoddam, cui titulus: *Controversia Anglicana de potestate Regis & Pontificis.* Jam die prima Decembris anni prioris Nicolaus Parisius Theologicæ facultatis Doctor in Sorbonæ comitiis exponebat, se a Viris piis æque ac doctis accepisse, quod pessimi rumores inter Catholicos de hoc libello admodum nefario, & scandaloso vulgarentur, propterea, quod novæ & periculosæ propositiones in eo contineantur. His dictis idem Doctor undecim ejusmodi assertiones, ex præfato libro recitabat, quarum prima erat hæc: *Est quæstio, an Pontifex, qui potest Reges & Imperatores excommunicare, ut dictum est, possit etiam deponere, si id promeriti sint: negant author juramenti fidelitatis, Sacellanus, & Barclaius: affirmant Catholici, & merito.*

Sæc. XVII. A. C. 1613.

II. *Poterat ergo (Pontifex) mandare, ut Reges leprosi seorsim habitarent, & si nollent obedire, ut vita privarentur, nihil certius? &c. Hinc colligimus, Pontificem duplici titulo potuisse Reges privare suo regno: primo, quia poterat eos, si contumaces essent, privare vita, ergo & regno: de hoc nemo dubitat, &c.*

III. *Plus dicam; in hac re tantum valuit consensus populi, ut etiam si supereset legitimus hæres, cui Regnum deberetur, &*

Sæc. XVII. A. C. 1613.

hoc palam omnibus constaret, si tamen populus prætermisso legitimo hærede alium delegisset, ille alius fuisset verus Rex, &c.

IV. *Quæres, an Pontifex propria authoritate Athaliam Regno privaverit &c. respondeo, & propria authoritate fecit, & tamen opus erat conspiratione, &c.* & paulopost, *subrogato novo Rege Athaliam regno spoliavit, &c.*

V. *Dices: Jojada Pontifex non solum regno, sed etiam vita privavit Athaliam, ergo si Potestate Pontificis id fecit, sequitur, Pontifices veteris Testamenti habuisse potestatem non solum deponendi, sed etiam interficiendi Reges &c. respondeo, Jojada Pontifex prius privavit Athaliam regno, deinde vita, itaque privavit illam regno, ut Reginam & publicam personam, privavit autem vita, ut privatam personam.*

VI. *Ex eodem ergo sic argumentor; quicquid potestatis ac jurisdictionis permissum fuit Pontifici in veteri Testamento, hoc etiam in novo permissum illi est: at in veteri permissum illi fuit, ut deponeret Reges, si id promeriti essent: ergo etiam in novo permissum illi hoc est, &c.*

VII. *Reges & Principes, qui violaverint privilegia Monasteriis a Pontifice concessa, excommunicandi, & sua dignitate ac honore privandi sunt, &c.*

VIII. *Quia unusquisque id jure facit, quod ex officio facit: at Pontifex, quando depo-*

deponit Reges contumaces, ex officio id facit, ergo jure id facit, &c. quia Pontifex est universalis Pastor Ecclesiæ, cui a Christo dictum est, PASCE OVES MEAS, &c. per canes intelliguntur, partim Reges & Imperatores, &c. igitur hi canes quamdiu fidi & excitati sunt, pastori ad manum esse debent, & si languidi & otiosi, &c. mox a Pastore submovendi, & ab officio repellendi sunt, hoc dictat recta ratio.

IX. *Quæres, quomodo fiat hæc depositio? respondeo, variis modis fieri potest. Usitatus modus est hic, ut Pontifex absolvat subditos a debito seu vinculo subjectionis, quo obligati sunt suis Regibus, &c. & quidem potestatem absolvendi accepit Pontifex a Christo his verbis: Quicquid solveris super terram erit solutum & in cælis: est autem legitima caussa ex parte subditorum, quando Reges vel non defendunt subditos a violenta incursione hæreticorum, vel, &c.*

X. *Pontifex potest & alio modo id facere, nempe per viam compensationis, quod sic declaro; inter Reges & eorum subditos est mutua quædam promissio & obligatio, &c. si ergo Reges non præstent fidelitatem, ad quam jure obligantur, digni sunt, ut nec subditi præstent ipsis fidelitatem, juxta illud, frangenti fidem fides frangatur eidem, &c. Nihil certius apud Catholicos.*

Sæc. XVII. A. C. 1613.

XI. *Igitur prima est, ut Rex promeritus sit depositionem: nam si promeritus non est, deponi non debet, an autem meritus sit, ex prudenti Doctorum, ac Piorum hominum judicio æstimandum est, &c.*

§. II.

Hujus libri judicium a Regina primo Facultati inhibitum & postea concessum.

Argentre judic. Facult. tom. 2. pag. 67. Serran. Franc. Hist. pag. 920. Jæger. Hist. Eccl. p. 209.

Expositis hisce propositionibus Parisiùs coram Facultatis Doctoribus in Sorbonæ aula congregatis pronuntiabat, „quod Becanus Jesuita in suo libro mendacia æque ac impostruras passim spar„gat, & novorum errorum ac criminum „defensionem Catholicis affingat: in„ducat periculosa Schismata: depra„vet Scripturas sacras: atque ex inter„pretatione falsa & erronea, dominos „temporales juribus suis injuste spoliet: „execrabilem Regum & Principum cæ„dem, tanquam rem licitam, & glo„riosam Christianis proponat: subinde„que publicæ pacis extinctionem, per„ditiones horrendas, & innumeras po„pulorum strages, rebelliones, ac se„ditiones varias in regna omnia impor„tet, denique jus divinum & huma„num penitus evertat.„

Eapro-

Eapropter Facultati supplicabat, ut hanc venenorum colluviem suo purgaret judicio ac censura: Huic quoque suffragabatur Filesacus Facultatis Syndicus, qui se etiam hunc librum sedulo perlegisse, nec alium magis pestilentem unquam reperisse testabatur, addebat tamen, se paucis abhinc diebus a Cardinale Bonsio nomine Serenissimæ Reginæ omnibus Magistris significare jussum, quod Regina prohibuisset, ne quicquam de hoc libello in Sorbonæ comitiis statueretur, cum ipsa huic malo alia ratione obviam ire constituisset: quoniam vero Facultas Regis incolumitatem & Sorbonæ famam hac in re verti crederet, die septimo Januarii Collegii Theologici nomine Regni Cancellarium Doctores adibant, eundem de Facultatis deliberatione paucis ante diebus habita certiorem reddentes. Hic vero agnita postulati æquitate non modo expedire, sed etiam hujus libri damnationem procurare, necessarium esse hisce Deputatis respondit, eis præcipiens, ut Luparam venirent, quoniam eos ad Reginam intromissurus esset. Adsuere igitur præstituta hora Deputati, qui præsente Condæo Principe, Cancellario, Villaregio, & Bonsio Cardinale per Antonium Fayetum suas rationes gravi facundia coram Regina exSæc. XVII. A. C. 1613.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

ponebant, quæ etiam se desuper cum Consiliariis suis deliberaturam, & per Cancellarium eis suam mentem significaturam respondit: Percepto Reginæ responso Deputati die duodecima Januarii accesserunt Cancellarium, qui eis Reginæ nomine significabat, quod ipsa antea nonnisi unum alterumve hujus libri exemplar in Galliis exstitisse rata, novum hunc partum potius silento opprimi, quam censura notari decrevisset; cum vero noxium hunc librum in omnium ferme manibus versari comperisset, Facultati permittendum censeret, ut de eo libro pro sua integritate ac Religione, quæ videbuntur, statueret, de cetero autem plurimum doleret, quod Theologicus Ordo hodie in varia partium studia scinderetur: ad hæc reposuit Fayetus, hæc dissidia, si quæ essent, nonnisi ex novis, absonisque ejusmodi doctrinis oriri.

§. III.

Becani liber Pontificia censura perstrictus.

Abrege Chronol. tom. 3.

Die prima Februarii, cum Sorbonæ Doctores jam in eo essent, ut Becani librum examini subjicerent, Facultatis Decanus hunc in modum exorsus est: *In pertractandis & gubernandis*

dis rerum divinarum negotiis una est potestas Ecclesiastica, cujus Monarcha post Christum summus Pontifex Romanus existit, cui tanquam primario Duci recta præcipienti & judicanti obediendum est, cujusve authoritatem & potestatem, qui detrectat, & ejus leges, sancita, atque decreta abrogare cupit, anathema sit.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

His præmissis retulit, se unacum P. Gerardo, qui Reginæ a Confessionibus erat, Joanne Filesaco & Fayeto Cancellarium adiisse, atque ab eo intellexisse, quod Papa Reginæ, Regi, & Regno adversus pestilentissimum Becani librum de opportuno providisset remedio, ac præfati libri censuram, quam Papæ Nuntius procuraverat, transmisisset, qua Regi, & Reginæ plene satisfactum esset, nilque reliquum foret, nisi ut hujus censuræ exemplar a Nuntio Apostolico recognitum in comitiis recitaretur, postea in Facultatis acta referendum: Igitur Syndicus ex Cancellarii mandato Pontificis censuram die tertia Januarii Romæ pronuntiatam publice prælegit his verbis conceptam: *Cum nuper in lucem editus fuerit libellus sermone latino conscriptus, cui titulus:* Controversia &c. *in quo nonnulla falsa, temeraria, scandalosa, & seditiosa respective continentur. Hac re ad S. D. N. divina providentia Paulum V. delata, idem Sanctissimus*

Sæc. XVII. A.C. 1613.

ctissimus præhabita dicti libelli matura discussione, ægre ferens, pro pastorali sollicitudine sua, atque vigilantia, ejusmodi libros, ex quibus grave aliquod scandalum aliquando oriri posset, a viris Catholicis in lucem emitti, præfatum libellum omnino prohiberi mandavit, donec corrigatur. Nos igitur Paulus Sfondratus Episcopus Albanensis sanctæ Cæciliæ, Robertus Bellarminus Sanctæ Mariæ in via, Joannes Garzia Mellinus Sanctorum quatuor, Fabricius Verallus Sancti Augustini, Frater Augustinus Galaminus Aræ Cæli Presbyter, necnon Aloysius Capponus Sanctæ Agathæ Diaconus S. R. E. nuncupati Cardinales a S. D. N. Paulo providentia Papa V. Sanctaque Sede Apostolica super librorum permissione, prohibitione, expurgatione, & impressione in universa Republica Christiana specialiter deputati prædictum libellum præsenti decreto juxta S. D. N. mandatum quocunque idiomate, ubicunque impressum prohibemus, & in secunda classe Indicis reponendum censemus, donec correctione approbata, juxta regulas Indicis denuo imprimatur, decernentes, quod nullus deinceps cujusvis gradus & conditionis sub pœnis in Sacro Concilio Tridentino, & in Indice librorum prohibitorum contentis, audeat imprimere, aut imprimi curare, vel quomodocunque apud se retinere, aut legere præfatum libellum, & sub eisdem pœnis qui-

quicunque nunc illum habent, vel habuerint, in futurum locorum Ordinariis, seu Inquisitoribus statim a præsentis decreti notitia exhibere teneantur.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

Nondum tamen hæc causſa plene decisa fuit; cum enim Curiæ Patres comperissent, quod Becanus, qui tum adhuc in vivis erat, ejusque fautores novam proscripti hujus libri editionem, a Societatis Theologis recognitam, auctam, & a P. Henrico Schereno Provinciali Rhenano approbatam adornarint, nihil tamen eorum, quæ censura Romana perstrinxissent, in nova hac editione immutarint, sed idem omnino venenum, quod in prima, etiam in hac secunda editione contineatur, hinc die decima sexta Aprilis Servinus Regius, ut vocant, *Procurator* adversus temerarium hoc facinus acriter declamabat, declarans, hanc esse iniquissimam illusionem Summo Pontifici, & universæ Ecclesiæ Catholicæ irrogatam, eamque vitæ, Regumque auctoritati, ac totius Christianæ Reipublicæ quieti nocivam esse. Eapropter Curiæ Senatores hunc librum infami rogo destinabant.

Hoc fatum, tempestatemque Becani libro impendentem haud ignorabat Claudius Aquaviva sagacissimus Societatis Moderator, qui tamen haud am-

Sæc. XVII. A. C. 1613. amplius Romanæ cenſuræ ſtigma, aut Pariſini Senatus ſententiam præpedire poterat: ne autem pernicioſam Becani doctrinam ſuo aſſenſu, aut Societatis ſilentio approbare videretur, ipſe uno die prius, quam cenſura Romana promulgaretur, ſecunda Januarii Romæ ad Patrem Chriſtophorum Baltazarem ejusdem Societatis Provincialem in Provincia Franciæ ſuper præfati libri doctrina has dedit literas: *Cum primum huc liber ille pervenit, idque in eo deprehenſum eſt, quod aliter dictum, aut omnino prætermiſſum oportuit, Cenſuræ notas illuc remiſimus, ut juxta eas liber emendaretur: atque hoc ſolum nobis ſuperfuit remedium, unde ſperamus, Patrem illum cautiorem futurum inpoſterum, & inſtrui poſſe eos, qui turbas moliuntur, resque noſtras aliter, ac par eſt, interpretantur, non ideo redarguendam Societatem, aut univerſo Corpori adſcribendum, quod unus aliquis quovis modo peccaverit; quando id non modo Societas non admittit, ſed etiam manifeſte improbat, atque emendare ſtudet, ut a nobis factum eſt circa opinionem Marianæ de Tyrannicidio.*

Eodem die idem Aquaviva Societatis Præpoſitus in literis ad P. Petrum Cotonum ſcriptis inter alia ſic ſe declarabat. *Errore factum eſt, quod vehementer doluimus, ut huc Liber ille Becani non mitte-*

Sæc. XVII. A. C. 1613.

mitteretur recognoſcendus. Quod ergo ſuperfuit remedii, minime neglexímus; quamprimum enim hic Liber comparuit, ea notanda curavimus, atque ad eundem Patrem remittenda, quæ vel deleri omnino, vel corrigi oportere deprehenſa ſunt, ut, quoad licebit, emendetur, Conſtetque, unius errorem non eſſe toti Societati adſcribendum, quando eum Societas non adprobat. Deinceps autem ſperamus fore, ut ille Pater ſit cautior in ſcribendo, & præcaveantur omnes ejusmodi offenſiones diligentius.

Præterea idem Generalis non modo libros a Societatis ſuæ Patribus edendos deinceps Romam pro cenſura mitti præcepit, ſed inſuper Germaniæ Superioris Provinciali ademit facultatem, qua illius Provinciæ Sacerdotes frequentius pro Societate, vel cujusdam Socii defenſione apologias edidérant, quin eas prius recognoſcendas Romam mitterent. Verum præfatus P. Provincialis nec ejusmodi apologias conſcribendi facultatem ſibi adimi, nec eas Romanæ cenſuræ ſubmitti patiebatur, hæc Generali ſuo reſcribens: *Si quid in præteritis noſtris Apologiis fuit forte ab aliquo deſideratum, illud debuiſſet, meo judicio, nobis merito prius ſignificari, quam revocaretur ea facultas, quæ antehac cum aliis Provinciis Septentrionalibus nobis communis fuit. Et venire præterea etiam*

Scripta authentica Soc. Prov. Germ. ſuper. rubric. Rationes pro ſcribendis in his partibus apologiis, & quare non poſſint, nec debeant mitti Romam cenſendæ.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

etiam debet in mentem, exteris potissimum Nationibus; quod nostri hic scribant pro Germania, & nostrorum, qui hic sunt, defensione, ubi fere omni genere calumniarum non impetuntur tantum, sed pene etiam obruuntur. Et experientia docet, nobis ejusmodi Apologias, tam apud amicos, quam apud adversarios, multum hactenus profuisse, & adhuc prodesse, etiamsi in illis Italus forte, vel Hispanus aliquid desiderare posset; hic enim non solum locum habet, sed sæpe pene necessarium est illud Sapientis: Responde stulto secundum stultitiam suam.

Quod alii e nostris in aliis Provinciis Germaniæ ad famosos contra nos libellos taceant, propterea fortasse fit, & factum est hactenus, quod non habeant, qui illos commode refutare velit ac possit. Et jam in ultima Apologia contra Lermæum debuimus, ut apparet, pluribus defendere P. Costerum in causa quadam, quæ inter ipsum & Calvinistam Hollandum Georgium Doussam intercessit, propter Epistolam quamdam Meletii Patriarchæ Constantinopolitani.

Constat denique nostros ubique in Germania de ejusmodi Apologiis sibi gratulari, easque avide expectare, & cupidissime legere. Imo vero Colonia non ita pridem scripserunt, omnino e re Societatis futurum, si plures Apologiæ pro nostra Societate edantur, occasione eorum, quæ contra nos spar-

guntur,

guntur ab aliis. Ita enim futurum, ut Institutum noſtrum pluribus innoteſcat, quibus jam omnino pene ignotum eſt, non ſolum inter Hæreticos, ſed etiam inter Catholicos. Sæc. XVII. A. C. 1613.

P. Gretſerus ita natura & ingenio comparatus eſt, ut ſi ſciat ſibi Romanorum judicium in ejusmodi ſuis lucubrationibus ſubeundum, nunqnam facile ſcripturus ſit aliquid; idque non omnino immerito, quia ſæpe a Romanis forte aliquid rejicietur, vel minus neceſſarium judicabitur, quod tamen judicio noſtrorum, qui hic ſunt, eſſet omnino operæ pretium, ut prodiret.

§. IV.

Friderici V. Palatini Electoris & Wolfgangi Guilielmi Comitis Palatini nuptiæ.

Auſpicatioris in Europa famæ binas hic annus nuptias exhibuit, priores erant Friderici V. Palatini Comitis, & Electoris cum Eliſabetha Jacobi I. Angliæ Regis filia, decimo quarto Februarii die Londini non ſine immenſis ſumptibus celebratæ. Poſteriores, ſed Catholicorum lætitia celebriores nuptias Monachii undecima Novembris die inibat Wolfgangus Guilielmus Philippi Ludovici Palatini Rheni Comitis filius cum Principe lectiſſima Magda-

Thoiras hiſt. d' Angl. l. 18. Adlzreiter annal. Boic. tom. 3. p. 31. Balduin. chron. morale p. 1012.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

lena Maximiliani Bavariæ Ducis Filia; cum autem Sereniſſimus hic Sponſus adhucdum exterius Proteſtantium ſectam profiteretur, ac ſtudioſe Religionem orthodoxam, quam animo jam intus & foris cum pauciſſimis clam amplexus erat, adhucdum diſſimulandam cenſeret, ea de cauſſa tum maxime Patre, Matre, duobus fratribus, aliisque Magnatibus acatholicis præſentibus ſeſe Proteſtantium genio circa ritus ſacros attemperabat, ac toto precum ſolitarum tempore erectus ſtabat, ejus vero Sponſa immobili genuum inflexione Deo pro firma Sponſi ſui converſione ſupplicabat. Ceterum Eichſtadienſis Antiſtes utrumque Sponſum ſolemni precatione rituque Catholico conjungebat: ſequenti autem die Jacobus Heilbrunnerus Miniſtellus in Principis cænaculo jejunam concionem in hæc verba: *non eſt bonum hominem eſſe ſolum* &c. habuit, qua finita omnis quoque Lutherani Sacerdotii ritus fuit finitus, exhauſtusque.

§. V.

Wolfgangi Guilielmi Palatini diſſenſio cum Brandeburgenſi Principe.

Adlzreiter l. c. Merc. tom. 10. l. 1. pag. 77.

Paulo ante Saxoniæ Electoris Oratores Bruxellas delati Clivienſem Domum,

mum, ubi Brandeburgenſis & Neoburgicus Principes habitabant, occuparunt; his vero deſuper querentibus, Albertus Archidux nil niſi, quod ea res ad ipſum non attineret, reſpondit: Exortæ autem interea fuere inter ambos Principes haud obſcuræ ſimultates & odia, quæ ex multiplici cauſſa petebantur, ac præprimis quidem, dum Brandeburgicus defuncto fratre ſuo Erneſto Juliacenſium Regionum adminiſtrationem Georgio Guilielmo commiſerat, Neoburgici Oratores vehementer obſiſtebant, ac ipſimet Principes ſibi de valido ſatellitio proſpicientes mandatis contrariis invicem pugnabant, Brandeburgicus quoque a Fœderatis Belgii Ordinibus petebat, ut ei auxilio venirent, ſiquidem de Neoburgico timendum eſſet, ne a Bavariæ Principibus perſuaſus, ſe Cæſari ſubmitteret: Præterea novis inter utrumque diſſidiis anſam dederat exiſtimata eorum jurisdictio Eccleſiaſtica; cum enim in Pagis & oppidis paſſim adhuc Catholici Paſtores, qui jure ſuo Parochias curabant, morarentur, hisque expulſis Brandeburgicus Calviniſtas, Neoburgicus vero Lutheranos ſubſtituere tentarent, inde jurgia, vulnera & cædes inferebantur, & non raro, dum Lutherani, vel viciſſim Calviniſtæ Prædicantes gregem

Sæc. XVII. A.C. 1613.

Caraſa Com. de Germ. Sacra p. 50.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

suo Pastore pristino destitutum invadere moliebantur, quidam ex Præfectis, Nobilibus, vel Ministris periere, qua injuria, cum præsertim Neoburgici afficerentur, Wolfgangus Dux Brandeburgico declarabat, quod Georgii subrogationem nunquam admissurus esset, nisi Monicensi ditione in integrum restituta, abrogatisque præcipue Ecclesiasticis gravaminibus, Brandeburgenses a seditione in populum concitanda desisterent; cum notum esset, quod hi passim instillato Calvinismo subditos Juliacenses & Neoburgicos ad Brandeburgici partes cum alterius partis exclusione traducere molirentur: Magis adhuc Brandeburgis iras stimulabat obscurus rumor, quo Neoburgensis Dux clam ad Catholicam Religionem transiisse vel brevi transiturus dicebatur, hujusque quoque suspicionis famam auxerat acre, ac indefessum in exquirenda vera fide Neoburgici ingenium, præstansque ad pietatem propensio, necnon pronior Cæsaris imperio obtemperandi voluntas: comperto autem Neoburgici connubio cum Bavariæ Ducis Filia Brandeburgicus de veritate hujus famæ haud ultra dubitans, sine omni cunctatione cum Fœderatis Belgii Ordinibus armorum societatem iniit, eorumque subsidiis auctus Düsseldorpium, ubi Neo-

Neoburgici conjux erat, ductore Schwengelio intempestæ noctis silentio improviſus aggreſſus est, urbe haud dubia potiturus, nisi cives a mœnibus nocturnos hosce invasores egregie depulissent. Id ubi Neoburgico innotuit, dilaudata civium fide ceteras urbes ad æqualem fidelitatem, & vigilantiam hortatus viciſſim cum Bavaris, Cæsareis & Austriacis clam fœdus pepigit. Sæc. XVII. A.C. 1613.

§. VI.

Sententia Curiæ Parisiensis contra Annales Ecclesiasticos Henrici Spondani.

Sub idem tempus in Galliis die decima sexta Aprilis Servinus Regius Procurator in Curia exponebat, quod in Annalium Baronii epitome ab Henrico Spondano concinnata plura profanæ potestati ac jurisdictioni, necnon supremæ Regum ac Principum Majestati, honori & auctoritati adversa contineantur, & quidem primo carpebat Servinus, quod in hoc libro referatur, Episcopis tam amplam causſas etiam profanas decidendi jurisdictionem in primo sæculo fuisse attributam, *ut etiam male a sæcularibus Magistratibus judicata retractarent.* Addidit etiam quod Spondanus per hæc verba: *Regnum politicum* *Argentre collect. jud. tom. 2. p. 73.*

Sæc. XVII. A. C. 1613

liticum parere debet Præfecturæ Eccleſiaſticæ, ſtabilire videatur doctrinam illorum, qui tenent, quod Papa, quoties obediendo ſalus æterna periclitatur, Regibus etiam in rebus profanis ſit ſuperior. Delendam etiam cenſuit hanc Spondani animadverſionem, dum loquens de corona aurea, quam Clodoveus Rex Romanæ Eccleſiæ dono dederat, ſubjungit: *eo munere viſus eſt Rex oppignoraſſe Regnum ſuum in Eccleſiæ Romanæ præſidium:* in his autem verbis venenum latere putabat Servinus, eoquod Spondanus deſuper mentem ſuam explicaſſet aliis in locis, præcipue cum quemdam Ruſſiæ Imperatorem ſe ſuumque Regnum Eccleſiæ Romanæ ſubmiſiſſe referens, hæc addidiſſet, *eo exemplo intelligitur, quomodo contigerit plura regna oblata reperiri Apoſtolicæ Sedi: nempe chriſtiana Regum pietas efficiebat, ut perſuadentes ſibi magis protectione Sancti Petri Apoſtolorum Principis quam armis regna defendi, offerrent illa eidem Sancto, a quo per Succeſſorem ejus Romanum Pontificem acciperent in feudum, præſtito eidem fidelitatis juramento.*

Pag. 623.

Pag. 1018.

Ex his autem verbis inferebat Servinus, ſequi, *quod etiam Franciæ Rex ſicut ceteri in profanis Pontifici ſubjectus foret.* Inſuper diſplicebat eidem, quod Spondanus omnia verba ex S. Remigii teſta-

teſtamento, in quo hic Sanctus Franciæ Regibus anathema dicit, referat, & applicet ea verba: *Principatum ejus accipiat alter:* idem cenſuit quoque Servinus de Privilegio, quod S. Gregorius I. Papa Monaſterio S. Medardi conceſſit. Præcipue vero excandeſcit, eoquod Zacharias Papa Childericum ſtupidum exauctoraverit, regnumque in Pipinum tranſtulerit, non via juris, ſed facti, ut inquiebat Servinus, qui in Spondanum acrius invehitur, eoquod, licet Baronius duntaxat dixiſſet, quod Pontifex poſſit *infeſtum* Eccleſiæ *Regem* deponere, ipſe tamen Spondanus poſuerit *infeſtos Reges*, & alio in loco ad Conventus Aquisgranenſis acta, atque ad eorum hæc verba: *Epiſcopi Lotharium Regno privatum declararunt*, hanc annotationem addiderit: *Ex quo ſuggillandi ſunt Politici Novatores, qui in controverſiam revocant, num Pontifex potuerit Francorum Regnum a Childerico in Pipinum transferre.* Rejicienda quoque cenſuit Servinus hæc Spondani verba: *Ex quibus intelligas ipſum Henricum I. quia Apoſtolicæ Sedi adverſabatur, metuiſſe quam citius e medio tolli, & Tribunali incorrupti Judicis ſiſti.* Hæc verba, quamvis Baronius Romæ ſcripſiſſet, non tamen, addit Servinus, Spondanus patria Gallus de Franciæ Rege proferre debuiſſet:

Sæc. XVII. A. C. 1613.

Pag. 623.

Pag. 704.

Pag. 800.

Pag. 856.

Pag. 998.

Sæc. XVII. A. C. 1613

set: Eundem quoque reprehensione dignum existimat, eoquod Gregorii VII. facta contra Reges retulerit, & Urbani II. Papæ acta referens dixerit, quod Episcopi, excepto Carnutensi, nimia indulgentia erga Philippum Regem usi fuerint: rursus eum redarguit Servinus, quod allegarit Ivonis Carnutensis Episcopi verba, quibus dixit, quod Paschalem Papam rogarit, ut dispensare velit in fidelitatis juramento, quod adversus decreta Pontificum Episcopi Philippo Regi præstare coacti sunt: *hæc verba*, addit Servinus, *non debuisset Spondanus usurpare, utpote natus Regis subditus, nec etiam, ex quo Romanus factus est Sacerdos, oblivisci debuisset legum Gallicarum.* Denique ipsum, quod mentionem fecerit de excommunicatione Ludovici Regis, reprehendit, ipsosque Curiæ Senatores rogat, ut quosdam deputent, qui loca ex hoc libro expungenda annotarent, eaque supprimi ac rejici juberent, interim vero nondum expurgata illius exemplaria vendi, retineri, aut perlegi severe inhiberent: Verum Curiæ Patres se desuper proxime deliberaturos edicebant.

Pag. 1012.

Pag. 1041. & 1042.

Pag. 1063.

Pag. 1092.

§. VII.

Sæc. XVII.
A. C. 1613.

§. VII.
Facultatis Theologicæ zelus contra Calviniſtas.

Magis commendandum erat Religionis ſtudium, quo Facultas Theologica ardebat, dum Colinus Curiæ Syndicus die ſecunda Septembris Sorbonicis Doctoribus expoſuerat, quod Calviniſtæ in oppido Charentoniano ſuis expenſis Templum quoddam erigere, atque ex omnibus Galliarum partibus plures accerſere præſumerent Viros, qui juventutem in peſtifera Calvini doctrina erudiant, ac demum Eccleſiam Catholicam impugnent. Eapropter Syndicus hortabatur, ut nulla mora quosdam ex ſuis Viros ſeligerent, qui Regem, ac Reginam adeuntes præſentaneum hoc Religionis Catholicæ periculum eisdem exponerent, ſupplices, ut Sacra Majeſtas promptum huic malo opponere vellet remedium: His perceptis cenſuit Facultas, proximo die ex qualibet Facultate Seniores eſſe aſſumendos, qui unacum Facultatis Syndico Regem ac Reginam hac ſuper re convenirent, eorum nomine Fileſaco utpote Seniore verba faciente. Porro hoc Templum nonniſi anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo quinto fuiſſe dirutum legimus. *Argentre l. c. p. 85.*

Sæc. XVII. A. C. 1613.

§. VIII.

Comitia Ratisbonæ celebrata.

Ludolph. t. 2. c. 2. n. 26. Carafa German. reſt. pag. 50. Merc. t. 10. l. 1. & l. 34.

Jam anni prioris Menſe Martio Matthias Cæſar Vienna Poſonium ad comitia profectus erat, in quibus ſimultate Germanos inter & Hungaros in apertam vim erumpente aliquot utrinque occiſi fuere. Inde vero Cæſar ad Imperii comitia, quæ in diem vigeſimam ſextam Aprilis indicta erant, Ratisbonam contendit: quo tamen nonniſi vigeſimo quinto Julii pervenerat: Enimvero Aureæ Bullæ decreto ſancitum, quod prima poſt Cæſaris electionem comitia Norimbergæ haberentur, cum vero Mathias juſtis de cauſſis eo venire præpediretur, nullum inde Norimbergenſibus præjudicium enaſci declarabat. Ad hæc autem Comitia Ratisbonæ celebranda convenerant die decima tertia Auguſti omnes ferme Catholici Principes, Calviniani vero nonniſi ſuos miſerunt legatos, ut per hos audacius Cæſari reſiſterent, utpote quos ſine verecundia reclamaturos noſſent. Porro præprimis proponebatur, in his comitiis præcipue agendum eſſe de auxiliis contra Turcas decernendis, de componendis inteſtinis diſſidiis, de pace in Imperio reſtauranda, de re mone-

monetaria & juſtitia per Imperium recte adminiſtranda. Verum Proteſtantes cauſſæ ſuæ præcipue Juliacenſi diffidentes, non ſe huc acceſſiſſe ajebant, communis boni promovendi, ſed res ſuas ſtabiliendi, & querelis jam ſæpius propoſitis remedium querendi ſtudio, firmum fixumque habentes, ſe nunquam majoribus ſuffragantium votis, quæ in his comitiis ferrentur, acquieturos. Eapropter præ ceteris, ut Cæſaris jurisdictionem imminuerent, & maximam illius partem ſibi ipſis vendicarent, Bullæ aureæ leges immutari, ac Cameralis Judicii Præſidem tam ex Proteſtantibus, quam Catholicis aſſumi, & cauſſarum arbitros tot ex iſtis, quam ex his ſtatui petebant; querebantur etiam, quod Aulicum Cæſaris judicium inique ac ſecundum favorem partium Religionis cauſſas decidat, ſuamque jurisdictionem in politicis etiam & profanis ultra modum adverſus judicii Cameralis conſtitutionem extendat, dum Cæſares nihil ſibi reſervarint præter cauſſas violatæ pacis, & feudorum Imperii, in quibus etiam nihil Cæſar ſine ſtatuum conſilio ac conſenſu decerneret, minus vero cauſſas ad Aulam evocare præſumeret: proin publicæ tranquillitatis cauſſa Aulicum hoc Judicium abrogandum ſit. Petebant

Sæc. XVII. A. C. 1613.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

bant insuper, ut restauratis Cameralibus visitationibus justitia promoveatur, Donawerthana urbs restituatur, quicquid Vicarii Electores tempore vacantis Imperii statuissent, approbetur, & Archiepiscopatus Magdeburgensis Possessor tum Acatholicus inter reliquos Orthodoxos Archiepiscopos pari auctoritate suffragii audiatur, similiter & alii Episcopatuum Possessores, licet Protestantes sint: His addebant, sectæ suæ etiam in partibus Catholicorum libertatem esse indulgendam, atque in liberis Imperii urbibus, quæ utrique Religioni pateant, aditum ad Senatum & dignitates nequaquam occludendum esse. His fusius æque ac importunius propositis spondebant, in ceteris se aliorum suffragantium studiis haud cunctanter acceſſuros. Mathias, ut renitentes sua lenitate ad saniora pertraheret, pollicebatur, se eorum querelis pro viribus satisfacturum, modo prius de rebus ad commune Imperii bonum spectantibus, ac præcipue de reprimenda Turcarum violentia consultetur, proin ipsi Calvinistæ privata sua gravamina communi necessitate potiora habentes, bonum publicum nullatenus negligerent. Attamen Protestantes, qui se *Correspondentes* dicebant, die vigesima Augusti importunius petebant ut

ut Cæsar expositis gravaminibus præ- Sæc. XVII.
primis remedium afferret. Hic vero A. C. 1613.
hosce Principes, ut tandem æquitati studerent, atque in consilium venirent, hortatus, eisdem die vigesima octava ejusdem Mensis exposuit, esse contra naturam, jus Gentium, Bullam auream, atque Imperii Constitutiones, ut suffragia majora minoribus cedant, & ad ipsorum nutum se componant, de cetero se operam daturum, ut in hisce comitiis remedium ipsis afferretur: Verum Calvinistæ oblato libello suæ insistebant petitioni, Cæsarem vero Status Catholici hortabantur, ne scriptis amplius cum Protestantibus ageret, sed eos moneret, ut omissa omni in contemptum Cæsaris, & maximum ceterorum Statuum damnum vergente cunctatione, consultationibus more solito sese adjungerent, addita contestatione, de damno, si quod ex hac tergiversatione secuturum sit, innoxios se futuros: Protestantes responderunt, quod priusquam gravamina abrogentur, ad consultationem de subsidiis contra Turcas agere nollent: hanc in rem die vigesima Septembris alium Cæsari porrigebant libellum.

§. IX.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

§. IX.

Gravamina contra Proteſtantes a Catholicis Statibus in Comitiis propoſita.

Cum igitur Catholici Status probe intelligerent, quod Proteſtantes nonniſi Cæſareæ jurisdictionis oppreſſione, & Catholicæ Religionis exterminio ſuam ſectam firmare molirentur, eapropter Electores, Principes & Status Catholici omnes de transmiſſo Proteſtantium libello ſententiam ſuam exponentes, ita gravibus oppido verbis peroraruntur: „Moleſte ferimus, quod poſtha„bitis tot Cæſareæ Majeſtatis admoni„tionibus *Correſpondentes* petitis ſuis „tantopere inhæreant, & non ſolum „ab illis dimoveri ſe nequaquam patian„tur, ſed etiam cauſam intermiſſæ ha„ctenus conſultationis obedientibus Sta„tibus, qui cum non exiguo vitæ pe„riculo ibi hactenus ſubſtiterunt, im„putare conentur, cum tamen perſpe„ctum Cæſari ſatis ſit, quinam illi ſint, „qui ſe a reliquis ſeparantes, intempe„ſtivis petitis, poſtulatisque ſuis & „ipſum & utriusque religionis Status „obedientes remorati hactenus fuerint, „animadvertimus ex ſcriptis ipſorum, „longius paulatim eos procedere, nec „vere-

„vereri etiam deciſionem & auctorita- Sæc. XVII.
„tem Cæſaris in dubium vocare, ope- A. C. 1613.
„ræ pretium igitur nobis non videtur
„ut ſcriptis pluribus Cæſar cum eis a-
„gat, ſed æquum juſtumque putamus,
„ut propter particularia, & privata
„Statuum quorumdam poſtulata bo-
„num publicum minime negligatur,
„cumque impedimenta alia etiam ad-
„ſint, & non hyems ſolum præ foribus
„ſit, ſed peſtis etiam non parum graſ-
„ſetur, ſperamus, facturum hac in re
„Cæſarem, quod conſtitutionibus im-
„perii definitum, & more conſueto re-
„ceptum ſit, ut nimirum juſtitia omni-
„bus conſervetur, & confuſionibus mi-
„nisque ejusmodi modus tandem ſta-
„tuatur.„

His ita expoſitis Catholici Status, ut magis æquam, quam Proteſtantes, querendi anſam ſe habere demonſtrarent, ſua quoque gravamina Cæſari exhibuerunt, hæc exponentes: *Tametſi Catholici Status moleſtiarum, gravaminumque ingentium, quibus poſt conſtitutam, anno ſupra milleſimum quingenteſimum quinquageſimo quinto, Religionis & civilis converſationis pacem publicam, contra factas tum temporis conſtitutiones ſaluberrimas, gravati perpetuo, & exagitati fuerunt, repetitione moleſtiam creare Cæſari in præſenti hoc conventu noluerint, cogitantes nimirum,*

Sæc. XVII. A. C. 1613.

mirum, atque in animo secum reputantes, quo fine indicta hæc de voluntate & consensu omnium Electorum a Cæsare comitia fuerint, nempe ut afflictis Imperii rebus subveniretur, & tot jam annos non sine multorum gemitu oppressa, miserequeque deformata justitia, nitori suo restitueretur: cum tamen animadvertant Statuum quorumdam (qui novo & inaudito hactenus in Imperio nomine, Correspondentes sese vocant) legatos de gravaminibus quibusdam apud Cæsarem non solum conquestos esse, sed & eorum abrogationem tanta vehementia (quicquid etiam Cæsar responderit) expetere, ut in Senatum venire recusent, & quo minus deliberatio de propositis a Cæsare capitibus suscipi possit, impediant, ne igitur videantur Catholici querelas istas silentio suo approbare, neque vel Majestatis Imperatoriæ, quæ fundamentum imperii est, imminutionem, vel antiquissimæ Catholicæ Religionis in germania interitum videre & experiri cogantur, aliter quidem facere non possunt, quam ut & delatas ad Cæsarem diversis temporibus, annis nimirum supra millesimum quingentesimum septuagesimo sexto, octuagesimo secundo, & nonagesimo quarto, querimonias repetant, & quot quantisque incommoditatibus injuriisque tam in religione ritibusque, & ceremoniis Ecclesiasticis, quam in bonis fortunisque suis hactenus affecti sint,

Sæc. XVII. A. C. 1613.

sint, & etiamnum quotidie afficiantur, breviter & vere commemorent atque ostendant, spe certa fore, ut Cæsar tandem Statibus Catholicis ad vindicandam ab interitu Religionem, bonaque Ecclesiastica legitimo modo conservanda (quemadmodum ipsi quidem ab offensione diversam Religionem profitentium omnino abstinuerint) gratiam & auxilium suum clementissime præstet, protestati tamen, quod nullo modo, vel molestiam Cæsari intempestivam creare, vel consultationem publicam de propositis a Cæsare capitibus impedire, sed cognitionem horum gravaminum arbitrio ejus, dummodo non nimis diu differatur, permittere libentes velint, expetentes simul, cum ea, quæ ab altera parte prolata gravamina sunt, ab imputatis Cæsari Catholicisque Statibus anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto querimoniis, non discrepent, ut quid ipsis tum responsi opposuerint, hic repetatur, & si quid præterea addendum sit, alio tempore (ne intempestivo istkoc officio, deliberationibus magis necessariis, ut ab altera jam parte factum, incommodasse videantur) ab ipsis exspectetur. Principio igitur, quod ad pacem Religionis attinet, manifestum equidem est, quod contra eam & adversus promulgatum anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto recessum, novæ subinde & inauditæ superioribus temporibus religiones sub fucata Augustanæ Confessio-

Sæc. XVII. A. C. 1613.

fessionis specie in imperium irrepserint, inde autem periculum sit, quemadmodum de pace & concordia in imperio, si præter Religionem Catholicam & confessionem Augustanam nulla in eo admittatur alia, eo melius conservanda spes aliqua fuerit, cum præsertim qui Augustanam profitentur confessionem, & gratias semper pro pacis isto beneficio (ut ex scripto anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto apparet) egerint, & de Cathedralibus aliisque Ecclesiis a profanatione vindicandis ut ex libello supplici anno millesimo quingentesimo septuagesimo sexto oblato videre est: promissionem fecerint, sic Augustana Confessione sensim annihilata, & penitus tandem in tanta Religionum diversitate deperdita, animorum istum consensum inter Magistratum & subditos etiam sublatum iri. Hinc igitur pace ista in dubium vocata, omnes jam videntur in perniciem quasi Catholicæ Religionis conspirasse, quemadmodum id ex persecutionibus, & quæ bonis, redditibusque Ecclesiasticis passim jam struuntur insidiis, vectigalium immodicorum in bona Ecclesiastica irrogatione, templorum & cœnobiorum contra publicatum anno millesimo quingentesimo quadragesimo qaarto recessum eversione, manifestum satis sit, personis Ecclesiasticis quomodo parcatur, ex delatu ad Cæsarem anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto

de

de Officiariis Ambergienſibus Friſchlerum Heimhofii ſub ipſo Miſſæ officio ab altari abripientibus, & in cuſtodiam mittentibus querela ſatis conſtat? ipſa calumniandi & criminandi licentia adeo in ſuggeſtis alterius partis jam invaluit, ut nec Romanum Pontificem, longe melius de ipſis & univerſo imperio, vel proximo Hungarici belli tempore promeritum convitiis proſcindere dubitent, de Catholicis Principibus quid fiat & quomodo non ipſi ſolum, ſed & Auguſtanam Confeſſionem profeſſi Status alii, pacifice cum Catholicis vivere cupientes paſſim traducantur, famoſisque libellis dehoneſtentur, operæ pretium non eſt, ut prolixe demonſtretur, ſperamus tamen, Cæſarem aliquando de legitimis & licentiam iſtam compeſcendi & concordiam in imperio conſervandi mediis cogitaturum, ut ſublata omni diffidentia, pax ipſa Religionis cum publicato anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto receſſu tam in aula, quam in imperiali Camera obſervari, vigoremque ſuum obtinere, quam commodiſſime poſſit, quid utilitatis ex pace Religionis, & factis in ipſorum gratiam imperii receſſibus Regulares Eccleſiaſtici percipiant, notum eſt, & vel ex ſcriptis alterius partis perſpici facile poteſt, quæ non ſolum Monaſteria ipſorum occuparit, ſed & viam juris ea recuperandi ipſis præcluſerit, cum tamen de bonis ſuis Ordines iſti tributa etiam imperio perſol- Sæc. XVII. A. C. 1613.

Sæc. XVII. A C. 1613.

vant, & iniquum sit, sub reformationis alicujus cum pace Religionis expresse pugnantis specie, bonis eos suis de facto spoliari, nec qui causam ipsorum cognoscat judicem in imperio haberi posse; eam enim ob causam justitiæ inhibitio in Camera ab ipsis facta est, qui de jurisdictione etiam Cæsaris imminuenda, & certis limitibus constringenda non semel egerunt, eo saltem fine, ut Catholicis media omnia, & amissa recuperandi, & quæ ipsis adhuc supersunt tranquille possidendi præscindantur, Catholicis equidem iis in locis, ubi aliquid cum reliquis commune habent, inhibitio in ceremoniis Ecclesiæ, celebratione Missæ & festorum observatione subinde facta, coguntur enim ad ipsorum sese nutum accommodare, & non solum ceremonias istas intermittere, sed & a pulsu campanarum abstinere, quemadmodum id anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto prolixe ostensum fuit, in civitatibus imperialibus utriusque Religionis exercitio ex pace Religionis hactenus gaudentibus, Catholicos multis quotidie molestiis affici, non solum enim templa & Monasteria jurisdictione & libertate sua, ritus Ecclesiasticos observandi & festa sacra celebrandi privari, sed & cives catholicam Religionem profitentes, variis modis circumveniri, denegari ipsis media sese cum suis sustentandi, & injustis pœnis, mulctisque ad tantas eos extremita-

tis

les adigi, ut vel urbe excedere, vel Religionem mutare neceſſe habeant. Non permittitur Catholicis jus civitatis in locis aliis, denegatur ipſis aditus ad dignitates & officia publica, cum interim in civitatibus quibusdam, quæ nec ante nec poſt transactionem Paſſavienſem, & factam Religionis pacem præter Catholicam Religionem nullam noverant, paucis quibusdam proteſtantibus ex miſericordia receptis auxilium præſtetur, & catholici Magiſtratus urgeantur, ut nova ipſis exercitia indulgeant, atque permittant. Quin & eo audaciæ progreſſi ſunt nonnulli, ut Magiſtratum ad pacem religionis & receptam conſuetudinem provocantem, contra jus & æquum ab officio removerint, & religioni ſuæ addictos ipſi ſuffecerint, factum iſtud ſuum vi ſumma defendere conantes, quemadmodum illud ex recenti civitatis aquisgranenſis exemplo & oblatis ab altera parte ſcriptis ſatis conſtat, ſperamus autem non facile permiſſurum Cæſarem, ut pax Religionis & edicta a proximis anteceſſoribus ejus cum ſufficientiſſima cauſæ cognitione promulgata hac in parte violentur. Non latet equidem Cæſarem, quomodo Archiepiſcopis, Epiſcopis & aliis Eccleſiaſticis perſonis in pace Religionis a Cæſare proſpectum, quidque de bonis & redditibus Eccleſiarum, uno vel altero locum forte & religionem mutante, decretum fuerit, quam parum autem diſpoſitio iſta

Sæc. XVII. A. C. 1613.

Sæc. XVII. A C. 1613.

observata sit, ex multis exemplis bonorum Catholicis hactenus ablatorum perspici potest; tantum enim abest, ut ad Ecclesiam bona ista iterum remittant, ut indies magis magisque illis inhiantes, vel per insidias, vel per manifestam vim ea ad se transferre studeant, beneficia certe Ecclesiastica contra receptam consuetudinem ejusmodi hominibus ab aliquibus conferuntur, qui eorum minime capaces sunt, iique per vim Capitularibus obtruduntur, quin & desertores Religionis in beneficiorum istorum possessione conservantur, quemadmodum exempla in Diœcesi Wormatiensi reperiuntur, ut nihil de juramentis dicamus, quæ in occupatis istis Ecclesiis jam ad perpetuam Catholicorum exclusionem directa & recepta sunt. Hæc omnia Cæsari satis nota sunt, qui inde facile æstimare posset, quantis injuriis Status Ecclesiasticus hac ratione afficiatur, speramus igitur futurum, ut ad conservandam vetcrem Religionem & tuenda cum Ecclesiis bona spiritualia, sine quibus actum de Religione fuerit, severitatem aliquam adhibiturus & declaraturus sit, illata Diœcesi Wormatiensi anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto damna non modo non restituta sunt, sed etiamnum continuantur, & in dies magis magisque augentur, atque ita aggravantur, ut nisi quamprimum ipsis subveniatur, certissimum ei allatura interitum videantur, profa-

Sæc. XVII. A. C. 1613.

profanationes templorum & Sacellorum tot tantæque passim reperiuntur, ut earum commemoratione supersedendum existimemus, constitutiones certe circa concionatorum templa ante hæc tempora factæ negliguntur, eaque cum non exiguo Cæsaris contemptu etiamnum detinentur, Catholicis vero in exercitiis suis passim impediuntur, quemadmodum id superioribus Imperatoribus non semel, maxime vero prolixo admodum scripto anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto declaratum fuit; volumus igitur hic ea tantum inde breviter repetita, & ut remedium ipsis tandem afferatur, petimus, quantum damni Monachorum & Monialium cœnobiis in aliquibus imperialibus civitatibus inferatur, quamque subdole donationes ad pios usus factæ contra pacem Religionis pervertantur, a Catholicis itidem Statibus anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto in consignatione gravaminum, quæ hic, utpote in iisdem adhuc terminis constituta, repetita itidem volumus, ostensum satis est, ut autem appareat, utrum levatio aliqua & abrogatio gravaminum istorum facta sit, rogamus Cæsarem, ut cogitet, quid hactenus de veteri Ecclesia & statu Imperii Hirsfeldensi factum, quæque insidiæ Spirensi & Wormatiensi Diœcesibus structæ sint; anno enim millesimo sexcentesimo nono sub specie privilegiorum Cæsaris, aliarumque prætensionum,

Sæc. XVII. A. C. 1613.

num, irruptio subita in Diœcesin Spirensem facta, Prussselense oppidum bello tentatum, expugnatum, & ita deformatum fuit, ac si sub Turcarum potestate situm fuisset, pagi ad præposituram Imperii Odenheimicam pertinentes ut & Weibstadium oppidum vi occupatum, redditus omnes Ecclesiæ ablati, & subditi ad mutandam Religionem vi coacti, nihilque intentatum relictum fuit, ut Præpositura ista statu Imperii privata, Catholicis eriperetur, velut ex actis, & lite adhuc coram Cæsare pendente id videre est, factas per Archiepiscopales & alias Diœceses periculosas & perniciosas ab altera parte anno millesimo sexcentesimo decimo militum traductiones, & hostiles in Episcopatu Argentinensi conatus alios, Cæsari & toti mundo notissimum est. Episcopatus autem Wormatiensis quiete & tranquillitate sua frui nunquam poterit, præter enim incommoda perpessa alia, occlusionem Ecclesiæ Salanæ adeo continuatur, uti etiam nobilibus personis ob nuptialem festivitatem & baptismi administrationem eo confluentibus manus injicere, captivitatis, pœnarumque aliarum comminatione ab ea omnes deterrere nihil dubitent, quantis incommoditatibus Ecclesia Cæsarheimensis a Palatino-Neoburgicis & Godfrido Oetingensi Comite hactenus affecta fuerit, ex delatis ad aulam querimoniis manifestum fit, quæ insidiæ Archiepiscopatibus

Sæc. XVII. A. C. 1613.

bus & Episcopatibus Colonienſi, Herbipolenſi, Auguſtano, Ratisbonenſi, & Monaſterienſi, domui item Teutonicæ & imperiali civitati Bibracenſi a Correſpondentibus & ipſorum Sociis ſtruantur, ex additis variis documentis & ſcriptis perſpici poteſt. Eſſena item Eccleſia varie gravatur; ſunt enim, qui contra tenorem fundationis, ſtatuta item & privilegia ei conceſſa Virgines beneficii iſtius propter religionem minime capaces ei obtrudere expetant, ſunt etiam, qui a reddituum Eccleſiaſticorum abalienatione non abſtineant, & hoc quidem incommodum Conſtantienſis maxime Epiſcopatus in Marchionatu Badenſi experitur, qua enim ratione Catholici ibi opprimantur, notius eſt, quam ut multis probari egeat, cum igitur hæc & alia gravamina ita comparata ſint, ut Conſtitutionibus Imperii, paci Religionis, omnique honeſtæ rationi & æquitati repugnent, & a Catholicis perferri diutius & tolerari non poſſint, petimus, ut remedium ipſis Cæſar quamprimum adhibere, & de Catholicis in pacem & tranquillitatem adſerendis rationem inire exoptatiſſimam velit. Cum vero hoc anno Ratisbona peſtilentiæ morbo laboraret, ac jamjam quingenti quindecim partim ex civibus partim ex alienigenis perierint, de transferendis hiſce comitiis jam agi cæperat: Ceterum notatu dignum eſt, quod eadem urbs transacti

Sæc. XVII. A. C. 1613

sæculi eodem anno milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio rurſus gravi peſtilentia fuerit infecta.

§. X.

Tranſylvania a Bethlenio Gabore Turcarum ope miſere devaſtata.

Panon. nova & vetus pag. 306. Han. part. 1. fol. 342. Ortel. Rediv. pag. 33.

Dum hæc interea in Comitiis ultro citroque agitarentur, allatus eſt Nuntius, quod Sandares Baſſa, quem Achmetes Turcarum Imperator cum ingenti exercitu in Bethlenii Gaboris opem ſubmiſerat, in Tranſylvania Lugatium expugnarit, ac per portam ferream, quam vocant ad Devam, irrumpens omnem tranſitum intercluſerit: ab altera vero Tranſylvaniæ parte non procul a Cronſtadio Oglii Baſſa per anguſtas montium fauces penetrans, fuſis fugatisque præſidiis totum Barſacenſem tractum inundarit, ingentemque Janiſarorum numerum in ſuburbium Cronſtadienſe introduxerit: inſuper etiam nuntiatum eſt, quod Turcæ in Hungaria tumultuantes plurima oppida ad fidei Sacramentum Sultano præſtandum maxima vi compulerint, reluctantes vero bonorum deprædatione, cædibus, & incendiis mulctarint. Hæc ad Cæſarem fuere perſcripta: interim vero Agrienſis Baſſa, cum adverſus Turcarum

carum insultus ab Hungaris & Silesiis arma parari intelligeret, missis ad Forgatsium Cæsarei exercitus Ducem Legatis significabat, quod pacem cum Cæsare & Hungaris conservare etiamnum paratus esset, unice autem Transylvaniam invasisset, ut Bathorii sævitiam plecteret, eo autem nunc Varadinum usque propulso nil aliud supereresset, nisi ut Bethlenio Gabori Transylvaniæ Principatus vendicaretur. Enimvero paulopost eundem Sandares Bassa Transylvaniæ Principem constituit, ea admonitione addita, ut alieno periculo edoctus in Principatus Regimine abominandis Bathorii vestigiis non insisteret, sed Consiliarios partim ex Hungaris, partim ex Transylvanis seligeret, nihilque inscio Sultano aggrederetur: Idem quoque Bassa datis ad Forgatsium literis eum ulterioris irruptionis metu liberum esse jussit, eoquod Sultanus indicta etiam capitis pœna inhibuisset, ne Bathorio e Transylvania profligato Hungariam infestaret. Paucis post diebus Bathorius, ut in Principatum restitueretur, cum Sandare Bassa de Varadino in ejus potestatem tradendo agere decreverat, id vero cum sui animadvertissent, eum gladiis in cubiculo suo jugulare statuerunt, cumque id non succederet, proximo die, ubi ad lustran-

Sæc. XVII. A. C. 1613.

Sæc. XVII. A. C. 1613

ſtrandum exercitum foras egrediebatur, illum quinquaginta ex ſuis militibus in inſidiis collocati exploſis ferreis fiſtulis die vigeſima ſeptima Octobris trucidarunt. Quo facto Giecyus Varadinum Bethlenio Gabori tradidit.

§. XI.

Comitia Claudiopoli a Bethlenio Gabore celebrata.

Mercur. tom. 10. *l.* 1. *pag.* 89.

Die trigeſima Octobris Bethlenius Gabor cum Tranſylvaniæ Statibus comitia Claudiopoli habuit, in quibus decreto publico concluſum. I. Ut a Bathorio proſcripti reſtituerentur. II. Status omnes, nulla habita perſonarum ratione libero Religionis exercitio fruerentur. III. Princeps pacem cum Turcis, vicinis Regionibus, & maxime cum Cæſare coleret, fœdusque cum Moldavis & Valachis iniret. IV. Senatum ex tribus Nationibus eligeret, cunctisque avita eorum privilegia ſarta ſervaret. V. Legibus conſervandis & juſtitiæ adminiſtrandæ operam daret. VI. Electionem liberam nullatenus impediret, & confirmationem deſuper a Sultano de novo impetraret. VII. Si Princeps ſua rurſus poteſtate abuteretur, Officiales Provinciarum id impedirent, & a præſtito juramento liberi

beri cenſerentur: Plura alia ſtatuta, quibus pacem firmatum iri ſperabatur, fuere condita: finitis autem comitiis Bethlenius ad Turſonem Hungariæ Palatinum, & ad Hungariæ Status literas dedit, quibus ſe in Tranſylvaniæ Principem fuiſſe electum, ac Turcas ab hoc Principatu abduxiſſe retulit, ſeque cum vicinis amicitiam ſervaturum ſpopondit, ſpe fretus, quod Cæſarei & Hungari viciſſim ab omni hoſtili irruptione alieni forent, ſi vero finitimis propugnaculis inſidiari pergerent, Sultanum, qui nihil a Principatu abalienari paſſurus eſſet, iniquam ejusmodi vim totis viribus ulturum ſcirent. Sæc. XVII. A. C. 1613.

§. XII.

Subſidia adverſus Turcas a Cæſare in comitiis Ratisbonenſibus petita.

Non deerant quamplurimi primæ Nobilitatis Viri, qui tam ex Hungaria quam ex Tranſylvania aliisque locis Cæſarem de motibus damnisque per Turcas illatis, ac præſentaneo Chriſtianæ Reipublicæ & Imperii periculo certiorem redderent: Horum igitur ſortem miſertus Cæſar die trigeſima Septembris edictum promulgabat, quo hæc comitia ob peſtilentiæ metum Ratisbona ad

Piaſecc. Chron. pag. 284. Carafa l. c. pag. 49. Merc. l. c. pag. 37.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

ad locum magis commodum transferri ac quamprimum subsidia adversus Turcarum insultus decerni petebat, rogans, ut de certa pecuniarum summa ad quadraginta Menses duabus vicibus, scilicet Nativitatis Dominicæ & S. Joannis Baptistæ sequentis anni festis numeranda inter se consultarent. Verumtamen Protestantes die quarta Octobris Cæsari hæc in responsis dabant. Cum Cæsar de tollendis gravaminibus nullam feciſſet mentionem, palam declaramus, quod in nullum subsidium consensuri simus, nisi pace prius & justitia in Imperio firmata, etiam gravamina potiora in his comitiis fuerint abrogata, præsertim cum omnis de compescendis exteris hostibus deliberatio, nisi prius de interna quiete conventum fuerit, supervacanea habeatur. Accepto hoc responso Maximilianus Archidux eisdem pollicebatur, quod instituto Spiræ conventu de justitia aliisque rebus in integrum restituendis deliberatio habenda sit, verum Protestantes denuo toties revocata sua, sponteque quæsita urgebant gravamina, rejecta æquitate, dissolutis comitiis, armorumque potentia rem extorquere parati.

§. XIII.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

§. XIII.

Subsidia a Catholicis Statibus Cæsari promissa.

Attamen Catholici longe humaniores, cum extremam patriæ calamitatem siccis oculis haud ulterius intueri possent, debita erga Cæsarem reverentia hanc in sententiam respondebant: Etsi petitum auxilium Statibus grave accidat, spectato tamen, quod a Turcis imminet, periculo decretum est, ut „certa pecuniarum summa ad triginta „Menses circa Dominicam *Lætare*, & „Sancti Michaelis festum numeraretur, „hac tamen conditione, ut æqualitate „in imperio servata, quod adhuc re„stet, itidem persolvatur, pax & justi„tia conservetur, vectigalium exagge„ratio, & commerciorum inhibitio vi„tetur, exterorum quoque Principum „Christianorum auxilium expetatur, & „pecunia ea omnis ad nullos alios usus, „quam ad defensionem & conservatio„nem finium imperii convertatur, nemo „a contributione ista immunis sit, pe„cunia in vulgari & usitato valore ac„cipiatur, qui vero negligentes in per„solutione fuerint, in pœnam dupli per „mandata sine clausula condemnentur, „præparatio bellica & res monetaria „ad *Carafa l. c.*

Sæc. XVII. A. C. 1613. „ad proximum prorogatorum comitio„rum conventum differatur, interim „de peritis belli Ducibus & præfectis „deliberatio fiat.„ Insuper postulabant, ut pro futuro conventu terminus, locusque Rhenanis Electoribus aliquanto magis vicinus designetur. Hoc Catholicorum decretum ratum habuit Cæsar, monuit tamen, ut crescente indies a Turcis periculo promissam summam augere velint. Cum autem Protestantes propositam gravaminum suorum moderationem a Cæsare propositam acceptare, aut pro Turcico bello subsidium polliceri renuerent, die vigesima secunda Octobris Comitia hæc dissoluta fuere, Cæsar vero die decima sexta Octobris Ratisbona excedens, Lintzium nono post die advenit. Ceterum hæc ipsa Calviniſtarum pertinacia non modo Cæsari, sed & multis Augustanæ Confessionis Principibus, ac præcipue Saxoniæ Electori, qui fortius pro communi pace perorabat, plurimum displicuit.

§. XIV.

Multiplices clades Turcis a Christianis illatæ.

Appamian. in hunc ann. num. 6. Ineunte Mense Septembri Achmetes Turcarum Imperator ad Melitensis Insu-

Insulæ expugnationem animum adjecerat, contractis ad eam quamprimum exequendam classiariorum copiis: verum vastum illius consilium Melitensium felicitate, & Persarum insultibus disturbabat: mox tamen aliam septuaginta circiter triremium classem instruxerat, quæ Constantinopoli solvens rebelles Sorianos compesceret, alias tamen hujus classis triremes Turcicus Architalassus panes nauticos allatum, alias vero tributum ex Alexandria deductum miserat, quæ juxta Rhodum Insulam convenientes classi reliquæ sese adjungerent. Ea de re certior factus Octavius de Arragonia cum octo triremibus, quas contra Africanos Piratas in portu tenebat, e Sicilia solvit, ac secundissimis usus flatibus, altoque mari decurrens prope Scienscm Insulam in duodecim Turcicas triremes incidit, quarum sex unacum Prætoria post dimidiæ horæ conflictum in suam redegit potestatem, ceteras vero in fugam egit. De certo cæsorum & deletorum Turcarum numero (quoniam in mare sparsos nemo computat, constare haud potuit, horum alii quadringentos, alii septingentos, alii plures, alii pauciores præter Sinan Bassam numerant. capti fuere tres Bassæ unacum Cypri Bega & sexcentis Turcis: Hispanorum autem pauci ad-

Sæc. XVII. A. C. 1613.

Sleid. Rediv. l. 18. pag. 1323. Ferreras hist. Hisp. cont. art. 2. pag. 202.

Sæc. XVII. A.C. 1613

modum cecidere, quorum jactura abunde compensata est mille ducentis Christianis ex servitute liberatis præter opimam mercium prædam. Accepto hujus cladis nuntio Achmetes se validissima classe omnes ubique terrarum Christianos oppressurum minitabatur: Verum hæc omnia Sultani consilia facinus audax & felix cujusdam Christiani mancipii dissipavit: Hic enim, cum Turcas e prætoria, quæ Legatum Turcicum vehebat, aut aquandi gratia, aut lignatum in terram exscendisse cerneret, recuperandæ libertatis opportunitatem ceteris captivis clam exponit, qui continuo consurgentes retinacula funium discindunt, summaque virium contentione navem in altum propellunt, moxque arreptis armis Legatum circumsistentes vinciunt, ac cum eo velis longe felicissimis, superato Ægeo & Jonio mari Siciliam ac Panormi portum incolumes invehunt. Nec hic stetit fortunæ Turcis infensæ calamitas; quippe idem Octavius altero prælio Mauris decem navigia eripuit, & Ludovicus Faxardo Athlatici maris Præfectus Marmoram arcem cum ingenti hostium clade cepit: Interim Cypri Bega nuper captus, cum libertatem suam oblata etiam ingenti pecunia redimere haud posset, inciso sibimet jugulo nimiam

Octavii

Octavii cupiditatem elusit. Nec minus fatale erat Turcarum certamen adversus Etruscas triremes; hæ enim cum identidem, mari Mediterraneo Natoliæ littoribus perstrictis etiam in continentem infestis armis impetum facerent, terras Achmeti subjectas populabantur, prædas admodum opimas agebant, ac oppida quædam vi capta, ferro flammaque vastabant, præcipue vero Ingerramus classis hujus Ductor Anglimanum, munitissimum Caramaniæ oppidum, quinto lapide a Seleucia dissitum, expugnabat, ac penitus direptum destruebat, demum vero ad classem suam crebro recurrens eam non modo spoliis ditabat, sed etiam oppressis hostium triremibus, & Christianis in libertatem assertis plurimum augebat. Eodem quoque anno Cosaccorum undecim ferme millia, postquam Lithuaniam, Moscoviam, & Tartariam Przecopensem depopulationibus emensi fuerant, tandem Mæotide palude, Tauricaque Chersoneso superatis, meridiem versus, ad Euxinum pontum excurrerunt, atque in obvium irrumpentes portum viginti quatuor Turcicas triremes in Christianorum perniciem instructas incenderunt, non sine multis convitiis in Sultanum sparsis tandem recedentes. Sub idem quoque tempus Lusitani

Sæc. XVII. A C 6 3.

Sæc. XVII. A. C. 1613. Adenum Turcici imperii urbem ad mare rubrum ſitam ceperunt, ac ſpoliarunt.

§. XV.

Eſſexiæ Comitis matrimonium in Anglia diſſolutum.

Rapin Thoiras Hiſt. d'Angl. l. 18. Hic annus in Anglia celebris erat ob triplicem eventum, qui nonniſi diabolica arte, ut inquit Rapinus, excogitati, atque ad exitum deducti fuere: Horum initia erant diſſolutæ Eſſexiæ Comitis nuptiæ, progreſſus autem novum Comitiſſæ connubium, ac demum funeſto, ac prorſus iniquo fato earum exitum dabat Overburii Equitis cædes. Præprimis igitur Robertus Cæcilius juratus Catholicorum hoſtis veritus, ne juvenis Eſſexius Comes cædem Patris ſui ab ipſo promotam ulturus in ipſius perniciem quicquam moliretur, eundem ſibi arcto affinitatis vinculo obſtringere nitebatur, hancque in rem Franciſcam Hovrardam Neptem ſuam Comiti in matrimonium dare conſtituit: nec defuit conſilio ſucceſſus; quippe anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexto ambo nuptiis junguntur: Comite nonniſi decimum quintum, & Franciſca decimum tertium ætatis annum agente. Iter agebat Comes in Franciam & Germaniam, donec interim ejus

ejus Sponsa Viro matura esset, inde vero reversus non sine ingenti admiratione sua Sponsam suam, utpote secretis Roberti Carri natione Scoti, & Regi in primis dilecti, amoribus irretitam, usque adeo a se alienam repererat, ut illa nullo pacto matrimonii usum suo Marito concederet, spe freta, quod adhuc intacta eo facilius connubii sui dissolutionem a Rege utpote supremo Anglicanæ Ecclesiæ Capite, impetrare, ac Roberto Carro natione Scoto, qui Regis cliens nuper Rossæ Vice Dominus erat nominatus, nubere posset, in hunc enim Comitissa immodico flagrabat amore, quamvis adhuc illius flammas sedulo occultasset. Tandem vero, ut a Mariti sui thoro sese divortii beneficio liberaret, Suadente Turneria cujusdam Medici Vidua, Formanum de magica arte suspectum rogabat, ut Essexium Comitem ad connubii usum suis maleficiis ineptum, Vice-Dominum vero in Comitissæ amorem impotenter accensum redderet. Paruit Magus, hancque in rem Comitissæ quosdam tradidit pulveres in Comitis lectum inspergendos: circa Vicedominum vero sibi soli curam relinqui petiit Magus. Verum Comitissa, quamvis ejus Sponsus, Formari arte nihil proficiente, ipsius amplexus avide expeteret, tan-

Sæc. XVII. A. C. 1613.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

topere sese ab eo aversam monstrabat, ut Comes amore in contemptum verso illam quoque suo relinqueret arbitrio: hinc illa liberiorem auram nacta Carro Vicedomino suum hucusque occultatum amorem libere declarabat, eundem precata, ut conjugii sui dissolutionem apud Regem urgeret: Hic vero hanc sibi sortem gratulatus omnem spondebat operam, suumque consilium soli Thomæ Overburio sibi in paucis charo detegebat, qui tamen ea, qua par erat, integritate hujus facinoris indignitatem, periculumque eidem exponens, illum ab hujus propudiosi consilii executione absterrere, totis viribus conatus est. Carrus inde graviter offensus, Comitissæ instigantis furori ac vindictæ amicum suum immolare statuit, & denigrata ejus fama Regi auctor exstitit, ut Overburius in Moscoviam Legatus decerneretur: dolose tamen Carrus eidem Overburio suggerebat; quod, cum ejus ope ac consortio destitutus haud vivere posset, Regem accederet, oblatamque Legati dignitatem deprecaretur: incidit in has insidias incautus Overburius; mox enim Carus ejus repulsam pro pervicaciæ, insolentiæ, & rebellionis agitatæ indicio apud Regem interpretabatur, eumque eo inducebat, ut Rex infelicem hunc Virum ad Turrim Londinensem

nensem captum abduci juberet, cumque non ita pridem Gervasius Ellwysius hujus turris Præfecturam per Carri favorem obtinuisset, eidemque hoc nomine plurimum obstrictus esset, ad ejus jussa Overburius tam arcte custodiebatur, ut miser nullius alloquio frui permitteretur: Dum interea Overburius in carcere langueret, Nortamptoniæ Comes dextere a Carro subornatus, matrimonium Comitissæ dissolvi, a Rege petiit, eoquod Essexius Comes ad conjugii usum inhabilis foret, quo audito Rex, quamvis de tota rei serie a Carro jam antea edoctus esset, ne tamen temere quicquam decrevisse videretur, suis Pastoribus injunxit, ut desuper Comitem examinarent: His ad quæstiones de rebus, quæ Ecclesiasticos minime decebant, descendentibus Comes, qui ipsus ab indigna sponsa sua liberari desiderabat Studiose solum ea respondit, quæ dissolutionem matrimonii suaderent; quocirca Rex pronuntiata sententia utramque partem a connubii vinculo solvit, incassum reclamante Cantuariensi Archiepiscopo, quem tamen Rex graviter objurgatus, suæ sententiæ æquitatem ipsius vindicabat, Archiepiscopi vero sententiam nonnisi Puritanorum principiis inniti edicebat: *Exinde patet*, inquit Trisan-

Sæc. XVII. A. C. 1613.

Annal. Jacob. I. p. 3.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

thonum Comes, *quam potens ſit in Anglia auctoritas Regis in Judices*, quorum quatuor erant Epiſcopi, & tres Laici: Die igitur ſecunda Decembris Comitiſſa eidem, cujus antea illicitis ſeſe dicabat amplexibus, ſolemni pompa nupſerat, Scotis palam per ludibrium ſpargentibus, quod ipſemet Rex ſuos clientes edocuerit, quo artificio ſuas amaſias Maritis eripere, & ſibi copulare valerent; jam enim Rex pari ratione in Scotia Marchiæ Comitis matrimonium diſſolvit, ut Araniæ Comes Regis cliens hujus uxorem ducere poſſet. Ceterum Rex eundem Robertum Carrum peractis nuptiis Sommerſeti Comitem creabat.

§. XVI.

Overburius violenta morte ſublatus.

Wilſon Hiſt. Jacob. I. pag. 73. Calmet Hiſt. Univ. t. 16. Anton. Waldon Cour du Roi Jac. pag. 80.

Inito hoc matrimonio novi Sponſi unice eo intenti erant, qua ratione innoxium Overburium e medio tollere poſſent, quin tamen in necis ſuſpicionem traherentur. Poſt varias conſultationes tandem veneni clam propinandi conſilium præplacuit: hanc in rem Turneria rurſus ſuum obtulit obſequium, ſubornans juvenem nomine Weſton, quem carceris Præfectus in captivi famulum cooptare jubebatur:

tur: Referunt quoque nonnulli, quod Northamptonius Comes cuncta conscio Rege fieri, Præfectum admonuerit, alii vero, quod & vero magis simile est, testantur, quod licet Præfectus cibos subinde huic captivo a Vicedomino submissos in cloacam projecerit: nihilominus Westoni malitia acciderit, ut captus Overburius congelatum succum veneno imbutum sumeret, unde miser gravissimo morbo, quin illius causſam nosset, conflictari cæperat: Cum vero veneni vehementiam sentiret, suæque miseriæ auctorem haud ignoraret, ad Carrum Vicedominum literas dedit, supplex, ut ipsum e funesto hoc statu liberare vellet, cui tamen Vicedominus respondit, quod Rex adhucdum vehementi ira in eum concitatus esset, nec ipse adhuc propitiam ipsum placandi occasionem nancisci potuerit, de cetero eidem in mali remedium quosdam submitteret pulveres: Verum vix existimatam hanc medicinam sumpserat Overburius, cum illico ad morbum nova fieret accessio, quæ tamen Carro ejusque Conjugi adhuc nimium debilis videbatur ad accelerandam mortem illius, qui ambobus aliquando negotium facessere potuisset, quocirca Franklinum Pharmacopolæ famulum auro corruperunt, ut misero venenatum porrigeret

Sæc. XVII. A. C. 1613.

Wilson p. 74.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

clysterem, quo etiam paulopost ad supremas mortis anguſtias redactus est. Ne vero relicta in corpore vestigia veneni suspicionem ingererent, mox Franklinus, & Westonus Overburium cum morte luctantem injectis lecti stragulis oppresserunt, mortuumque nulla mora ac sine omni pompa sepelierunt, sparso in vulgus rumore, quod corpus ejus ex pustulis tantopere deformatum esset, ut diutius extra sepulchrum sustineri haud potuisset. Tam crudeli ac propudiosa morte vitam, famamque amittere cogebatur infelix hæc muliebris libidinis victima Robertus Overburius, qui Vicedomini nunc carnificis sui, olim vero intimi amici commodum & gloriam unice augere intentus, totam negotiorum molem, quæ soli Carro nimis onerosa fuisset, semper suis humeris imposuerat, rei autem bene gestæ honorem & gloriam soli amico suo integram relinquere assuetus erat.

§. XVII.

Pax inter Daniæ & Sueciæ Reges restituta.

Jæger. Hist. Eccl. l. 2. c. 7.

Pax Suecos inter & Danos, quamprimum Gustavus Adolphus Regni gubernacula capessebat, urgente Jacobo I. Angliæ Rege tractari cæperat, ast subinde

inde post, felicioribus plerumque Danicis successibus interpolata fuit: ubi vero tam pestilentiæ quem famis violentia in Calmaria & Oelandia Danorum pene innumeros absumeret, & Sueci viribus exhaustis belli molem sustinendo haud ultra pares essent, mutua necessitas tandem conficiendæ pacis consilia extorserat, acceptatis utrinque hisce legibus. I. Rex Suevus Danis Sonneburgum in Insula Osilia cedat, & Norwego-Lapponum ab aliquot annis usurpato dominatus supremi titulo semet abdicet, ac belli expensarum nomine, legeque restitutionis, per intervalla pendet aureorum nummum duodecies centena millia, pignus interea plenæ solutionis Halesburgum in Danorum Regis possessione hæreat, relictis Victoris arbitrio navigiis, belli tormentis, aliisque. II. Dani erepta Carolo Sueco, Regni propugnacula Colmariam, Helesburgam, atque Oelandiam Insulam reddant. III. Æquis partibus tam Dani quam Sueci Sundicum Vectigal percipiant: IV. Utrique etiam Regi triplicem coronam in suis insignibus gestare, integrum sit. His pactis inter hos Reges pax & concordia restituta est, quæ tamdiu firma substitit, donec eam amplioris potentiæ cupiditas, semper quietis impatiens, posteriori-

Sæc. XVII. A. C. 1613.

Hoyers hist. Dan.

Cluver. hoc ann.

Sæc. XVII. A. C. 1613. rioribus bellis infirmaverat, novo Rege novas armorum resodiente causas.

§. XVIII.

Smolenscum, aliaque loca a Moscovitis recuperata.

Merc. t. 10. l. 1. p. 69. Exeunte Mense Septembri Moscovitæ Smolenscum, quod Poloni nuper occupaverant, cum ingenti sexaginta millium armatorum exercitu cinxerant: Cosacci quidem nulla mora misso ad Cotevitium Polonici exercitus Ducem nuntio, subsidia, copiasque auxiliares sibi quamprimum submitti petierunt: cum autem hic Bellidux in biennali tumultu facile duodequinquaginta millia militum amisisset, obsessis præsto esse haud poterat, quocirea Cosacci & Heiducci ferme omnes dilapsi sunt, nonnisi trecentis Germanis militibus in urbe relictis, quos ad deditionem coactos Mosci occupata urbe & arce misere trucidarunt, recuperatis omnibus, quæ Poloni hactenus eis eripuerant. Ipse etiam Cotevitius Dux prævalente sensim Michaele Fedrowizio, Russorumque perfidia, tandem cum suis e Moscovia penitus recedere compellebatur: Tartari vero vel a Moscis conducti vel suapte potius ferocia impulsi, numero vicies mille Podoliam Poloniæ Regionem

nem interim invadunt, sexaginta pagos, duasque urbes incendio delent, & obvios quosque, nulla nec ætatis, nec sexus, aut conditionis habita ratione trucidant, agrosque duorum in longitudinem milliarium spatio, peremptorum cadaveribus studiose dispersis consternunt, tandemque ingenti præda onusti, nullo tunc vindice, ad suos impune revertuntur. Sæc. XVII. A. C. 1613.

§. XIX.

Moscovia a Cosaccis devastata.

Verum Cosacci paulopost Moscorum & Tartarorum sævitiam pari crudelitatis genere plectebant; eorum enim plusquam undecim millia e Lithuania ubi Fedrowitsii grassationibus obsistere nitebantur, in interiorem usque Moscoviam penetrabant, ingentemque auri, ceteræque rerum copiæ, quam Mosci Polonis extorserant, prædam recuperabant, demum vero direptis pluribus pagis in Tartaros quoque spoliis opulentos recta pergunt, atque ingentibus eos cladibus afficiunt, vicinamque circum Regionem rapinis exhauriunt. Horum felici progressu, domitisque hostibus Poloni tantisper respirare cæperunt, & Sigismundus Rex illatam cladem novo bello ulciscì parabat, *Appam. in hunc ann. num. 7.*

Sæc. XVII A.C. 1613. rabat, postquam die vigesima tertia Martii in castris Posonienſi & Varsovienſi fœdus cum Mathia Romanorum Imperatore feliciter concluserat, quo pacta, armorumque societates Poloniam inter & Austriam initæ fuere innovatæ, stabilito mutuo invicem armorum, pacisque & commerciorum cultura.

§. XX.

Sigismundi Bathorii obitus.

Merc. p. 304. Die vigesima septima Martii Sigismundus Bathorius Transylvaniæ Princeps, & quondam Turcarum terror obiit. Hic animi sui mutabilitate Principatum, famam, libertatem & vix non etiam vitam amiserat, tandem vero omnibus bonis spoliatus Pragam ad Rudolphum Cæsarem, cujus patientiam iterata defectione fatigaverat, confugere compulsus est, quin tamen ibi adversantis fortunæ invidiam declinare posset; cum enim de clandestinis cum Achmete machinationibus ab æmulis falso, crebro tamen, postularetur, arcta custodia per integrum ferme biennium circumseptus hærebat, donec tandem novissime detecta criminationum falsitate Mathiæ Cæsaris judicio innocens declaratus fuerit. Tantum valet, accuratæ cognitionis lumen

men carceribus inferri, reumque cauſſas non præjudicari, ſed diſcerni. Haud diu tamen recuperata liberioris aeris facultate frui poterat Bathorius, Repentina morte ſublatus. Hoc item anno die vigeſima Julii Pragæ obiit Henricus Julius Brunsvicenſium Dux. Sæc. XVII. A. C. 1613.

§. XXI.

Guilielmi Eſtii mors, ejusque elogium.

Inter celebratiores illius ævi Scriptores, qui hunc annum ſibi exitialem habuere, primo loco recenſendus venit Guilielmus Eſtius, patricio genere Gorcomii in Hollandia natus, qui Trajecti humanioribus literis, Lovanii autem in Collegio Falconenſi Philoſophiæ operam dedit, quam etiam integro decennio ibidem cum ſummo Auditorum applauſu tradidit. Theologiæ autem in eadem Academia Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo octogeſimo Doctor creatus, & Duacum vocatus Regii Seminarii Rector, ac paulopoſt ad Sanctum Petrum, Præpoſitus, necnon Univerſitatis Cancellarius nominabatur; demum vero pietate, modeſtia, doctrina, atque in pauperes beneficentia inſignis Literarium otium nunquam niſi tandem mortis neceſſitate interrupit,

Miræ Script. Sæc. XVII. Swert. Ath. Belg. Dupin. Bibl. de Auth. p. 45.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

pit, vivis ereptus Duaci die vigesima Septembris anno ætatis suæ, septuagesimo secundo. Porro Lovanii agens novæ D. Augustini operum editioni Lovaniensi insudabat: postea vero Historiam Martyrum, quos Gorcomii Calviniſtæ trucidarunt, edidit: descripsit quoque mortem Guilielmi Goudii, & Cornelii Mussii Minoritarum, quorum postremus Lugduni Batavorum Anno Domini millesimo quingentesimo secundo Martyrii coronam adeptus est. Præterea scripsit Estius quosdam Sermones Theologicos, Elogiam in libertatem Religionis, quædam Poemata & dissertationes de cera, quæ vulgo *Agnus Dei*: vocatur, verum præter plura alia ejusmodi opuscula edidit commentarios in quatuor libros Sententiarum, de quibus celebre hoc elogium judiciumque fert Dupinus, quod optandum foret, ut juniores Theologi diligentius hoc opus evolverent, atque exinde puriora Theologiæ principia haurirent: Non minori pretio ab eruditis habetur ejusdem commentarius in omnes Epistolas Divi Pauli, quod opus sicut & omnes ejusdem commentarii ab ipsis Protestantibus ob modestiam & eruditionem commendantur, atque adeo absoluta sunt, ut solus hic Author hoc in genere sufficere videatur: Eodem erudi-

eruditionis laude illustrabat epistolas Canonicas usque ad caput quintum epistolæ primæ S. Joannis, quod opus Bartholomæus de Petra complevit. Denique ejus *annotationes in præcipua ac difficiliora Scripturæ loca* minus ad enodandas Sacræ Paginæ difficultates, quam ad instituendos mores accommodæ videntur; quippe hunc in se laborem susceperat Estius, eo fine, ut Duacensibus Seminaristis Doctrinas Christianas, quas oretenus instillabat, scripto relinqueret: eapropter Petrus Berullus Cardinalis Patribus Oratorii serio inculcabat, ut hoc opus, sicut & ceteras Estii lucubrationes assidue evolverent: Denique digna tanto Magistro fuit illa Estii sententia, quod *sine cognitione Historiæ Ecclesiasticæ non possit esse perfectus Theologus.* Ceterum Estii operum editio nulla celebrior, quam Parisiensis, labore Horstii anno Salutis nostræ millesimo sexcentesimo septuagesimo nono adornata. Sæc. XVII. A. C. 1613.

§. XXII.

Petri Villarsii Viennensis Archiepiscopi extrema.

Ad hunc annum Miræus refert obitum Petri Villarsii, qui ex Mirapicensi Episcopo Viennæ in Galliis Archiepiscopus *Possev. App lit. P. Miræus l. c.*

Sæc. XVII. A. C. 1613.

scopus forma extitit non modo gregis, sed & Pastoris omnibus numeris absoluti. Erat vir in studiis indefessus, in procuranda Dei gloria, Religionis incremento & animarum salute longe studiosissimus. In literis vero Sacris profundissimam, quam hauserat, cognitionem ipsemet quoque luculenter suis ingenii fætibus prodidit, quos duplici volumine emisit, *de Simonia fiduciaria, de Sacerdotum Residentia in eorum Ecclesiis ex diplomate Sixti V. de Sacellis, funeribus & piis fundationibus, de juramentis & Blasphemiis, de celebratione Matrimonii, de Medici erga ægros officiis* præter plura alia opuscula prorsus utilia. Rexerat Ecclesiam suam annis omnino quatuor supra triginta, pastorali suæ curæ duntaxat exiguam diæcesis partem reservans, eoquod ea adhucdum hæresum vepribus vel maxime horreret. Tandem dierum, meritorumque plenus anno ætatis suæ septuagesimo sexto in villa quadam prope Lugdunum pie in Domino obiit.

§. XXIII.

Didacus de Jepes mortuus.

Huic adjungimus Didacum de Jepes in Hispania natum, qui Ordinem S. Hieronymi ingressus, ob vitæ austeritatem

ritatem, & scientiæ eminentiam tantum sibi nomen conciliabat, ut non modo Philippo II. Hispaniarum Regi a confessionibus esse mereretur, sed etiam Taraconensis Ecclesiæ Episcopatui præficeretur. Tandem vero non sine sanctitatis opinione anno ætatis suæ octogesimo tertio decessit. Reliquit posteris præter alia ingenii sui monumenta relationem de obitu Philippi II. Regis, necnon Historiam particularem de persecutione Anglica ab anno Domini milleſimo quingentesimo septuagesimo. Descripsit quoque vitam S. Theresiæ, cujus olim conscientiam moderabatur, ac insigne operum hujus Sanctæ elogium in tertii libri capite decimo octavo concinnabat. Sæc. XVII. A. C. 1613.

§. XXIV.

Celebriores Scriptores Ecclesiastici ex Ordine S. Dominici.

Nec deerant Sacro Ordini FF. Prædicatorum Scriptores Ecclesiastici, qui ingens de se desiderium reliquerant. Hos inter primus erat Gregorius Lombardellius Etruscus, patria Senensis, qui variis apud suos dignitatibus non sine laude defunctus, Senis die vigesima prima Maji obiit. Hic in perscrutandis, conscribendisque histo- *Echard Script. FF. Præd. t. 2.*

Sæc. XVII. A. C. 1613. riis assiduus, præprimis instante Clemente VIII. duplici libro veritatem stigmatum S. Catharinæ Senensis propugnabat: scripsit quoque perutilem Confessariorum institutionem, ac plurimorum Sanctorum vitas, præcipue B. Franci Senensis Carmelitæ, B. Neræ Tolomæi, Aldobrandinæ Ponziæ, Joannis Baptistæ Tolomæi, Beati Sororii Senensis, Genovefæ, Joannis Piccolomini, S. Martialis, Petri de Palermo, & plurium aliorum. Magnum etiam sibi nomen historicis ac Theologicis suis lucubrationibus comparavit Seraphinus Razzi patria Florentinus, qui in omni scientiarum genere præstans exegetica, parænetica, historica, Theologica, Canonica, dogmatica & Philosophica conscripsit opera, & quidem tanto numero, ut nullum in octogenaria vita sua temporis momentum a scriptione vacuum reliquisse videatur: prolixum omnium operum indicem exhibet Bibliotheca Ordinis. Variis insuper lucubrationibus ibidem commendantur Thomas de Monacho, Petrus Guasch, Ludovicus Hamel & alii.

§. XXV.

Scriptores e Societate Jesu hoc anno defuncti.

Scri-

Scriptorum numero inclyta Societas secuturi temporis fata præveniſſe, atque anticipatione provida futuro defectui proſpexiſſe videtur. Inter plures, qui hoc anno obierunt, inclaruit Bernardinus Roſignolius, qui pietate, ac eruditione clarus Taurini die quinta Julii deceſſit, cujus corpus quinquennio ab ejus obitu integrum eſt repertum. Scripſit de *actionibus virtutis*, *de diſciplina Chriſtianæ perfectionis*, & ſub alieno nomine, *ſtimulum virtutum*, & *Hiſtoriam Thebæam*. Polemicis lucubrationibus celebratur Stanislaus Grodicius natione Polonus, qui ſeptuagenario major Posnaniæ defunctus poſteris reliquit *Conciones de Purgatorio & Euchariſtia ſub utraque ſpecie*, necnon *Regulas fidei hæreticorum*, *trutinam contra Miniſtrum Calvinianum*, & Dialogum, quo demonſtrabat, *hæreticos* non eſſe Evangelicos. Scripſit etiam de *emendatione Calendarii Gregoriani*. Tertius eſt Joannes David natione Belga, qui ſexaginta ſeptem annos natus die nona Auguſti Antverpiæ ſupremum clauſit diem. Edidit librum contra frivolum: *Putabam*, quod radix, ſtirps, & germen eſt malorum, item *Extinctorium famoſæ facis Hollandiæ*, *Sordidas duas hæreticorum Sponſas*, *ſeu Hiſtoriam Eccleſiæ Hæreticæ*, *Reſpiraculum pro bulliente Muſto*

Sæc. XVII. A. C. 1613.

Alegambe Bibl. Script. S. J. Miræus l. c.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

Novatorum, *Alvearium adversus Philippum Aldegundum*, *Hæreticum Araneum* præter plura alia tam Dogmatica, quam Ascetica opuscula, quorum indicem contexuit P. Alegambe. Ceterum pro more illius ævi majorem, quam par erat, in controversiis acerbitatem præseferebat. Denique die decima sexta Junii vitam cum morte commutabat Hispali Ludovicus ab Alcasar, qui viginti annorum opus edidit, sub titulo, *Vestigatio arcani sensus in Apocalypsi, præter eas veteris Testamenti partes, quas respicit Apocalypsis:* Exstat quoque Lugdunensibus literis excusum ipsius opusculum *de Ponderibus & mensuris.*

§. XXVI.

Stephani Gerlachii fata.

Adam. Theol. Germ. Weissm. hist. Eccl. Niceron. mem. des hom. illustr. tom. 26.

Ex Lutheranæ sectæ Theologis, quos Literatorum commercio mors hoc anno subduxerat, primus occurrit Stephanus Gerlachius Knittlinga-Wirtembergicus, qui emenso studiorum curriculo prima Doctoratus laurea decoratus, Eslingæ Magister creabatur, postea Baroni Ungnadio Maximiliani II. Cæsaris ad aulam Ottomanicam Legato Præco, & Theologus adjungebatur, ubi eum Joannes Ferberus olim Lutheranus civis ac Pistor, qui ad Mahometem

metem defecerat, ut Christianam Religionem irrideret, e media turba ex Catechismo Wirtembergico his verbis Germanicis alloquebatur: *Cujus fidei es tu?* Cum vero Wirtembergenses Theologi de unione suæ Ecclesiæ cum Jeremia Patriarcha agerent, Gerlachius egregiam conferebat operam, haud alio tamen laboris successu, nisi quod Antistites Græci ipsius eruditionem & humanitatem deprædicantes, amplissima quidem verba, rebus tamen vacua redderent: Redux vero, postquam mare & aridam circuiverat, ut exteros sectæ suæ proselytos faceret, interim domesticos, omnesque paternæ suæ familiæ consanguineos ad Anabaptistarum hæresin transiisse, non sine magno animi sui mœrore compererat, eo vel maxime, quod nullis deinceps monitis eos in veterem orbitam revocare potuerit. Obiit tandem Tubingæ anno ætatis suæ sexagesimo septimo die vigesima Januarii. In scriptis suis pertractabat potissimum controversias tum ferventes contra Calvinistas & Joannem Busæum Jesuitam, cui *Anti-Busæum* opposuit: Edidit quoque suum *Anti-Daneum*, & *epitomen historiæ* Ecclesiasticæ. Sæc. XVII. A. C. 1613.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

§. XXVII.

Quirini Reuteri, Jacobi Christmanni & Jacobi Reinecii decessus.

Adam vit. Theol. Germ. Vossius de Mathem. Freher in Theatr.

Paulopost die vigesima secunda Martii Heidelbergæ decessit Quirinus Reuter, ejusdem Universitatis Theologus ac Rector, qui tractatum de censura Catecheseos Heidelbergensis, commentarios in Prophetam Abdiam, aphorismos Theologicos, Diatriben de ubiquitate, ac denique opusculum de significationibus cometarum conscripsit. Porro Mensis Junii die decima sexta naturæ debitum solvit Jacobus Christmannus patria Moguntinus, qui itidem Heidelbergæ linguarum Orientalium Professor Chronologiæ singularem impendit operam, ac circa idem argumentum crebras cum Scaligero velitationes literarias habuit: ipsemet autem calamo sat erudito, minus tamen nitido conscripsit *explicationem Calendarii Romani, Ægyptiaci, Arabici, Hebræi, Syriaci, Persici* &c. necnon *disputationem de anno & die Passionis Dominicæ* præter plures alias Astrologicas lucubrationes. Obiit etiam ejusdem Mensis die vigesima octava Jacobus Reineccius Tangermondiæ natus, qui Hamburgensis ad S. Catharinam Pastor ediderat

rat clavem S. Scripturæ, tractatum *de Calvinianorum ortu, progressu, & exitu*, necnon *Panopliam seu armaturam Theologicam, artificium oratorium, & artificium disputandi*, præter duos sermones in Psalmum nonagesimum. Sæc. XVII. A. C. 1613.

§. XXVIII.

Fidei Catholicæ incrementa.

Eodem anno, quo Calvinianæ hæresis furor Patres Carmelitas Discalceatos (*), dictique Ordinis Virgines Religiosas e Sylvaducensi urbe die vigesima quinta Novembris expulit, Hieremias Ferrerius natione Gallus, Calvinista apud Nemausenses celebris, hujusque sectæ Minister, Calvini venenum evomuit, atque ad fidem Catholicam reversus est. Cum autem anno Domini millesimo sexcentesimo secundo pro veteri hæreticorum more Clementem VIII. esse Antichristum edito libello propugnasset, postea cognito, deploratoque suo errore eleganter ac docte ipsus perversum suum dogma *de Antichristo* confutabat. Postquam vero Ne-

Serres Franc. hist. pag. 423. Miræus Script. Sæc. XVII. Amelot. mem. t. 2.

(*) Hi anno 1630. die prima Julii domicilium suum apud Ubios postea fixerunt, opitulante Ferdinando Bavariæ Duce ac Colonienſi Archiepiscopo.

Sæc. XVII. Sæc. 1613

mauſenſes Calviniſtæ Paſtorem ſuum ad Catholicorum caſtra tranſiiſſe compererant, inde graviter commoti, omnes debitæ moderationis limites exceſſere, prout fieri amat, quando bellua hæc multorum capitum, ut inquit Serranus, irritatur; cum enim in Ferrerium vindictam exerere haud poſſent, in ejus domicilium tam impotentibus furiis ſæviebant, ut direpta ac confracta omni ſuppellectili etiam libros igni comburerent, nec his contenti, illius quoque vineas, arboresque exſciderunt, fruges deſtruxerunt, nullumque furoris ac inſaniæ genus prætermiſerunt, Magiſtratu furioſos eorum conatus ſiſtere necquiquam adlaborante. Delati igitur ad Senatum Regium, graviter ſeditionis, perturbatæque pacis publicæ rei poſtulabantur, Rex vero in tam nefarii tumultus authores inquiri, deprehenſosque legum ſeveritate plecti juſſit, ſimulque tribunal ac Curiam Nemauſio in vicinum oppidum nomine Bellocarium, ut deinceps ibi jus diceretur, transferri præcepit. Hac demum ratione ſopita eſt hæc ſeditio, ac Calvinianæ Inquiſitionis ſævitia, quam nec Evangelica manſuetudo nec veritatis amor, ſed Catholicæ Religionis odium, quod Calviniſtas in ſectæ ſuæ fanatismo detinet, hiſce tumultuan-

tuantibus inſpiraverat. Felicioribus auſpiciis eodem anno Galli ex Maragnano, Inſula Orbis novi, redeuntes, inde ſex incolas, quos Topinamboſios nuncupant, ſecum advexerant, qui poſtea ejurata ſuperſtitione Lutetiæ Pariſiorum ab ejusdem Urbis Epiſcopo Menſe Junio Sacroſancto æternæ ſalutis fonte abluti ſunt, magno totius Aulæ, urbisque concurſu ac lætitia. Quoniam vero bellum hæreticorum plerumque pax ſit Eccleſiæ, haud exigua etiam eidem acceſſio facta eſt in Galliis per diſſenſionem, qua circa Verbi incarnati unionem hypoſtaticam, aliaque Chriſtianæ fidei Myſteria Molinus & Tilenus Calviniani Miniſtri inter ſe acriter digladiabantur, quin ſolius Scripturæ Sacræ gladius, quo quilibet erat præcinctus, hunc nodum diſcindere potuerit. Sæc. XVII. A. C. 1613.

Eodem hoc anno Samuel Fridericus Brenzius natione Germanus a Judaica ſuperſtitione tranſire meditabatur ad fidem Chriſtianam, quam etiam, utinam in Eccleſia Catholica! anno ſequenti profeſſus eſt, ac paulopoſt libellum edidit, ſub titulo: *deſtricta Judaici ſerpentis cuticula:* in hoc tamen libro Judæis vera vel falſa, atrociſſima tamen ſcelera, impietates, ac ſacrilegas blasphemias exprobrabat, unde quidam alius Judæus nomine Salomon Zebi librum

Sæc. XVII A. C. 1613.

brum mendaciis obsitum adversus Brenzium publici juris fecit, ita inscriptum: *Theriaca Judaica*, ubi tamen oppositio excessu suæ gentis vitia novis mendaciis nimium excusare nitebatur, Utriusque vero Authoris libros postea Joannes Wülserus latine reddidit, notisque castigavit: ad decem autem illa fundamenta, quo comprobare nitebatur, quod Jesus in Talmude nominatus non significet Christum Salvatorem nostrum, Joannes Andreas Eisenmenger Calvinista in suo *Judaismo detecto* solide respondit.

§. XXIX.

Heterodoxorum Sodalitas recens erecta.

Arnold Ketzer hist. p. 2. l. 17. cap. 18. Kortholt hist. Eccles. Sæc. XVII. sect. 1. c. 2. Malvasia cent. 16.

Ad hunc annum nonnulli referunt originem fanaticæ Sodalitatis, quam Calvinistæ, Lutherani, atque ex variis sectis nonnulli sub specioso nomine *Roseæ Crucis*, seu *invisibilium, & immortalium*, excogitarunt. Diversa est Doctorum sententia de illius Authore, quem nonnulli Valentinum Weigelium Pastorem, alii Rosium vel Christianum Rosencreuz, aut Joannem Andreæ fuisse dicunt: Nicolaus quoque Hunnius Wittenbergensis Theologus testatur, hanc societatem fuisse partum Calvinistarum,

ſtarum, qui hoc medio ſuam ſectam propagare nitebantur. Illius Sodales paſſim vocabantur *milites incantati*, qui per plures annos in diverſis Germaniæ Regionibus circumvagati ſunt, ſpargentes, quod unice totius Orbis tam in ſcientiis quam Religione reformationem intenderent, ac propterea de nobiliſſimis naturæ arcanis, lapide Philoſophorum, & de recta quadam medicina ad vitam per plura ſæcula propagandam, imo ipſam etiam corporis immortalitatem conſequendam aptiſſima plenam haberent cognitionem: Plura etiam tradebant dogmata, quæ ex Magia, cabala impura & Alchymia erant deprompta: anno autem Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo quinto libellum ediderunt, cui titulus: *fama fraternitatis*, unacum fratrum confeſſione: prodiit etiam anno Salutis noſtræ milleſimo ſexcenteſimo decimo octavo alius liber Teutonico idiomate ita inſcriptus: *Themis aurea, hoc eſt, de legibus Fraternitatis Roſeæ Crucis, qua earum cum veritate convenientia, utilitas publica & privata, necnon cauſſæ neceſſariæ evolvuntur & demonſtrantur, Auctore Michaele Mairo*, quod tamen nonniſi fictitium hujus Auctoris nomen eſt; hic enim tractatus Nicolao Hoffmano adſcribitur. Ceterum ſtolidæ hujus Sodali-

Sæc. XVII. A. C. 1613.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

dalitatis leges erant sequentes. I. Nemo illorum iter agendo aliud profiteatur, nisi morborum curationem, illamque gratis exerceat, omnes vero huic Societati adscripti jurato profiteantur, quod nullibi se ut tales manifestare velint, priusquam opportunum universalem reformationem exequendi tempus advenerit. II. Nullus propterea certo habitus genere uti compellatur, sed Religionis duntaxat consuetudini se conformet. III. Unusquisque Fratrum quotannis die C. in loco Sancti Spiritus se sistere, vel absentiæ suæ causas literis declarare teneatur. IV. Quilibet personam aptam & idoneam, quæ sibi vita functo succederet, eligere obstrictus sit. V. Vocabulum *Rosea Crux* illis sit instar Symboli, characteris, aut sigilli. VI. Centum saltem annis hanc Sodalitatem latere, necesse sit. Ceterum fanatici hi milites tanquam rebelles in Cæsaream Majestatem insurgentes anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo septimo victricibus Ferdinandi II. Cæsaris armis deleti sunt.

§. XXX.

Controversia de summa auctoritate in Sacra inter Protestantes exorta.

Jam

Jam per integrum ferme ſæculum A- Sæc. XVII.
catholici, cum Papæ auctoritatem A. C. 1613.
agnoſcere renuerent, ſupremæ autem e-
jusmodi poteſtatis neceſſitatem ſat lu- *Jæger. hiſt. Eccl. l. 2. 7.*
culenter deprehenderent, ambigui hæ-
rebant, cuinam tandem, quin eum Pa-
pam nominarent, ſupremam hanc au-
ctoritatem Judicis in fidei dubiis attri-
buerent: nullibi vero majori contentio-
ne, quam in Belgio fœderato hæc quæ-
ſtio agitabatur, occaſione exorta ex
controverſia, qua Gomariſtæ cum
Arminianis circa quinque *fundamenta-
les* fidei articulos (*) in eadem Calvi-
niſtarum Eccleſia jam ab aliquot annis
collidebantur: Agebatur demum de
hoc dubio per ſupremum ac ultimum
Judicem decidendo: olim ex ſectæ
hujus præſcripto hæc auctoritas Magi-
ſtratui vindicabatur, id quoque affirma-
bant Arminiani, negabant vero Goma-
riſtæ ſeu Contra-Remonſtrantes, qui
Sacræ hujus poteſtatis partem ad Ec-
cleſiam repræſentativam, ſeu ad Mi-
niſtros Eccleſiæ pertinere, ipſisque ſo-
lis de cauſſis & articulis fidei judicandi
poteſtatem competere contendebant:
Agitabatur igitur hæc quæſtio: *An*
Ma-

(*) Calviniſtæ in colloquio Hagienſi teſtati ſunt, quod Arminiani *fundamentum fidei* convellant.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

Magiſtratus Politicus etiam Jus & Imperium habeat in Eccleſiaſticas res, & an ad illum pertineat inquiſitio in puncta fidei? Erat quidem e re Arminianorum hanc poteſtatem Magiſtratui Laico aſſerere; probe enim perſpectum habebant, quod ſi judicium & *deciſio* de controverſiis, quas cum Gomariſtis habebant, Miniſtris in Belgio exiſtentibus permitteretur, ipſi procul omni dubio cauſſa ſua caderent, eoquod hi Arminianos odio plusquam vatiniano inſectarentur: Econtra Gomariſtarum intererat, Miniſtris hanc auctoritatem Papalem tribui, Magiſtratui denegari, cum illos ſibi propitios, e Magiſtratu autem potiſſimos ſibi adverſari noſſent. Prævaluit tamen Miniſtrorum potentia. Per ſummum nefas vero hanc auctoritatem Miniſtris vindicari, ac Magiſtratui denegari, propugnabat Joannes Uytenbogardus Arminianus, qui hac ſuper re tractatum *de ſummi Imperii in rebus Eccleſiaſticis auctoritate* conſcripſit, quem etiam poſtea in Angliam transmiſit, ut ſuffragia colligeret: Reſpondit eidem inter alios Adrianus Saravia Archiepiſcopus Cantuarienſis, cujus epiſtola prudenti Lectori latum judicandi campum aperiet: Erat autem hujus tenoris: *Deo gratias ago, qui tibi hanc mentem & animum dedit, quod publi-*

Sæc. XVII. A. C. 1613.

publico ſcripto a tam pernicioſo errore veſtros homines deterrere auſus es; vereor enim, ne Eccleſiis Chriſti plus mali ſit allaturus, quam illi cogitent, qui obſtinate eum defendunt. Propter hanc controverſiam miſerorum Papiſtarum hic in Anglia divexantur conſcientiæ, diſcrimen tantum eſt in ſubjecto ſummi imperii, quod hic in uno reſidet Monarcha, apud vos eſt in multitudine vel Optimatum vel populi, quæ res auget difficultatem, quia veſtri Ordines de Religione non ſunt ejusdem ſententiæ: veſtrorum Miniſtrorum nonnulli, ſi non omnes pro veris Chriſtianis, quibus tuto fidere poſſint, illos in rebus Eccleſiaſticis admittere non audent judices. Hæc ſpecioſa videtur ratio, ſed non vident eadem ratione probaturos, illos, penes quos eſt ſummum imperium, poteſtatem nullam habere judicandi NB. de tela & Lanificio, de textoribus & fullonibus, de re navali & aliis artificiis, quorum non tenent ſcientiam: ignorare videntur, Magiſtratus quæ non intelligit diſcere a peritis, quæ textorum ſunt a textoribus, quæ fabrorum a fabris & nautarum a nautis, ad quos cauſa, quæ controvertitur, non pertinet, quare poteſtas in rebus Eccleſiaſticis ad ſummum imperium æque pertinet, etiamſi penes quos illud eſt, ſint infideles aut mali Chriſtiani, ſicut ad fideles & pios: perſonarum in hac re non eſt ſpectanda fides & religio, ſed data divini-

Sæc. XVII. A C. 1613.

tus poteſtas, ſi juſta in negotio Eccleſiaſtico imperaverit infidelis Magiſtratus, parendum eſt; cum fideli, ſi jubeat iniqua, non ſit obediendum, quos alieno ſubeſſe imperio Deus voluit, ſi pii ſunt, prærepti tantum & poteſtatis a Deo inſtitutæ habebunt rationem. Nos vero & quotquot Eccleſiæ hic in Anglia miniſterio fungimur, ſolemni juramento profitemur, nos agnoſcere Regem ſummum habere imperium non tantum in cauſis civilibus, ſed etiam Eccleſiaſticis. Ejusmodi juramentum, ut apud vos in uſu eſſet, optandum foret, ad omnem ſuſpicionem tollendam de Miniſtris & Eccleſiarum veſtrarum Paſtoribus, quos, cum iſthic eſſem, memini non detuliſſe Magiſtratibus quantum debebant, quando illorum poteſtatem in cauſis Eccleſiaſticis nullam agnoſcunt. Quæ de hac re diſputata ſunt a probatiſſimis Theologis, miror veſtros homines aut non legiſſe, aut lecta contemnere; non enim alio loco habendi ſunt quam ſeditioſorum, qui ſummi imperii ſummam authoritatem in cauſis etiam Eccleſiaſticis non agnoſcunt, & ſuæ Ariſtocratiæ tribuunt illam authoritatem in rebus Eccleſiaſticis, quam Papa tribuit ſuæ Monarchiæ, ſed judicii improbitatem iſtorum hominum ſpecta: oppreſſi tyrannide Papæ Romani ad Magiſtratus civilis, qualis qualis erat, authoritatem & defenſionem provocavimus, & audiri in cauſa mere Eccleſiaſtica poſtu-

Sæc. XVII. A. C. 1613.

postulavimus: & tunc nihil non potestatis civili Magistratui tribuebamus, quisquis ille esset: hujus rei testis est epistola ad Hispaniarum Regem, & Ordines Belgicarum Provinciarum, quæ olim præfixa fuit fidei Confessioni Ecclesiarum, & tecum reputa, cujus Religionis illi fuerint, quantum tamen illis tribuerimus in fidei negotio. Ego tunc temporis Minister eram Ecclesiæ Gallicanæ Antverpiæ, & exemplaria illius confessionis Principi Auriaco & Comiti Egmondano offerenda curavi, frater uxoris meæ erat Comiti Ludovico a cubiculis, qui me ad Dominum suum adduxit, ut illi innotescerem, & exemplaria recens editæ Confessionis darem, ulterius Principibus distribuenda: congregavi primum tunc temporis Ecclesiam Bruxellis auxilio Domini de Tolossa, fratris Domini Sanctæ Aldegundæ, ex aulicis & paucis quibusdam civibus Gallici sermonis: in altercationibus Leidanis illam fidei confessionem & Catechismum allegari & urgeri video, ac si IPSUM ESSET DEI VERBUM. In sua vero confessione, ac si fidei Canon esset, nihil mutari patiuntur, ego me illius confessionis ex primis unum fuisse authoribus profiteor: sicut & Hermanus Modetus: nescio, an plures sint superstites, illa primo fuit conscripta Gallico sermone a Christi servo & Martyre Guidone de Bres, sed antequam ederetur, Ministris verbi Dei, quos potuit nancisci,

Sæc. XVII. A. C. 1613.

illam communicavit, & emendandum, si quid displiceret, addendum, & detrahendum proposuit: ut unius opus censeri non debeat, sed nemo eorum, qui manum apposuerunt, unquam cogitavit fidei Canonem edere: verum ex Canonicis scriptis, fidem suam probare, nihil tamen meo judicio in illa est, quod reprehendam, aut mutare velim, quod si sint aliqui, quibus non omnia probentur, audiendos censeo, & ex verbo Dei docendos, si quod reprehendunt secundum Dei verbum, nemo temere inter impios censendus est, qui doceri paratus est. Articulorum non idem omnium est pondus: esse possunt nonnulli, a quibus si dissentiant, sunt ferendi, non ab Ecclesia idcirco alienandi, idem censeo de Catechismis vestris, quos ipse aliquando tam in Gallicis, quam Teutonicis Ecclesiis docui: ab illis tamen dissentio in expositione descensus Christi ad inferos: postquam a vestris ejectus, huc sum reversus, mutavi sententiam, melius hic in Anglia edoctus concionibus & Scriptis tum doctissimi viri Reverendi Episcopi Vintonienſis, tum aliorum doctorum hominum, qui nulla in parte aut Calvino aut Bezæ cedunt, de qua re ad Ecclesias, quæ reformatæ dicuntur, duos conscripsi libros, qui nondum viderunt lucem. Cantuariæ die decima tertia Aprilis stilo Angliæ millesimo sexcentesimo duodecimo.

§. XXX

Sæc. XVII.
A. C. 1613.

§. XXXI.

Epistola Cyrilli Archiepiscopi Alexandrini circa controversa Arminianorum capita.

Novatores omni tempore in votis plurimum habebant, ut novæ suæ Ecclesiæ auctoritatem ex antiquitate Ecclesiæ Græcæ conciliarent, eamque errorum suorum sociam efficerent: ita anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo secundo Lutherani ad Jeremiam Constantinopolitanum Patriarcham suam Confessionem Augustanam transmiserunt, spe freti, eam velut Græcæ Ecclesiæ doctrinis consonam ab eo approbatum iri: Verum spe sua turpiter delusi, ab hoc Patriarcha strenue impugnati fuere: optatiori successu Arminiani novæ suæ factionis Suffragatorem nacti sunt in Cyrillo Lucare tum Patriarcha Alexandrino, quem Joannes Uytenbogartus Arminianæ sectæ Principibus circa fidei & rituum necnon ordinis & Regiminis Ecclesiastici ratione consuluerat: Hic ergo, qui se Papam & Patriarcham Alexandriæ nominabat, ex Valachia die vigesima secunda Septembris hoc anno sequentem epistolam ad eundem perscripserat: Petiit Humanitas tua, ut scribatur, quæ

Vid. supra l. 173. §. 78. pag. 128. Jæger. Hist. Eccl. p. 214.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

sit fidei nostræ professio; De essentia Verbi nulla est inter nos controversia, idem enim sentimus, una vobiscum Arianos explodimus, Samosatenosque, & reliquas hæreticorum Larvas essentiam oppugnantium, negantiumque, Filium, & Spiritum Sanctum unius ejusdemque cum Deo Patre consubstantialitatis.

De Personarum distinctione nullam esse aliam differentiam inter nos, compertum est, nisi quod in modo existentiæ personæ Spiritus Sancti ab utroque dicitis procedere, quod Ecclesia Græca non ita dicit. Jacobus Arminius, quem ego pluris facio, in libro disputationum, quas nuper ad me Dominatio tua misit, in publicis thesibus disputat de Spiritu Sancto, & præter alia ad Spiritus Sancti personam pertinentia, profitetur, se probare velle, Spiritum Sanctum ab utroque procedere, quod non perficit. Cum ea, quæ dicit, omnia sine dubio intelligantur secundum assertionem Græcæ Ecclesiæ; ipsa enim Spiritum Sanctum a Filio essentialiter & interne, & quoad esse, procedere negat. Quia veretur, ne dicendo a Filio, ut a Patre, duo asserat in divinis principia existentiæ Spiritus Sancti, quod esset impium: maxime cum sciat, istam additionem primum

primum Romanam Ecclesiam, innovationum amatricem, in Symbolo excogitasse: quam inaniter conantur, expositionem, non additionem esse, ostendere controversistæ. Qualemcunque vero exprobant Græci, falsam esse maleque factam: hoc quidem, quia in Ephesino Concilio, quod fuit tertium, in quo Cyrillus præerat Alexandrinus, decretum est, nemini licere proferre, aut scribere, aut addere, præter ea, quæ definita sunt a Patribus in Nicæno Concilio. Nec ideo debebant Romani in Symbolo addere *Filioque*, illud vero, quia non ita se habere veritatem ob multas rationes constat, &c. Hinc fit, quod diræ Græcis obnuntientur, Schismatici habeantur, imo impii, quia Romano Episcopo, qui (ut ajunt) errare non potest, adversentur. Cum autem Græci instent atque probent, non esse, neque se velle cognoscere in Romana Ecclesia plus authoritatis, neque per divinas, neque per humanas leges, quam in propriis Patriarchis; ideoque ut iis, sic Romano esse facile, posse labi, insurgit ei turba Jesuitarum, inter quos Aristarchus quidam, Sanderus nomine, in suo Chronologio, qui profuse plures recenset (si diis placet) errores Græcorum; at omnes in unum tendunt: nil enim omnes essent, si tantum

Sæc. XVII. A. C. 1613.

Sæc. XVII. A.C. 1613.

tum Papæ Romano crederent, eumque Superiorem vellent, atque profiterentur in Terris Chriſti Vicarium: quia vero hoc negant facturi, excommunicantur, & condemnantur. Et ſi Jeſuitis, vel mendaci crederemus Sandero, miſeri eſſent Græci: cum ii, qui diſputant, graviterque defendunt, homines de propria Salute non eſſe certos, Græcos jam condemnatos velint. Neque amplius ſpes, illos ſalvari poſſe, niſi Romam proficiſcantur, niſi inde plenariam obtineant indulgentiam. At non prætendunt Græci, iſtos corruptores audire, ſed ſtant in iis, quæ credunt eſſe primitivæ Eccleſiæ dogmata.

In articulo de Verbi incarnatione Eccleſia Orientis Græca minus differt a vobis. Verbum enim Dei incarnatum credit, a Beata ſemper Virgine Maria *non vi ſeminis, ſed vi Spiritus Sancti verbum eſſe conceptum, atque in eo humanam conſiſtere naturam, id eſt, carnem animatam eum aſſumpſiſſe, cum anima nempe rationali, & intelligenti, prodiiſſe ex ipſa Matre Semper-Virgine Deum incarnatum, non hominem Deiferum, in duabus perfectis naturis, & operationibus, unum eundemque ſecundum hypoſtaſin, totum Deum, & totum hominem eundem; neque Deum ſecundum corpus, neque ſecundum Deitatem hominem.*

Cir-

Circa Sacramenta de iis quædam maxime notanda ducimus, quæ principalia sunt, de Baptismo & Eucharistia: quorum usum ita necessarium arbitramur, ut sine eo neminem de fide posse esse certum credamus, quia ut ipsa sine fide, sic fides sine ipsis efficax esse nequit: in Baptismo Ecclesia Græca servat aliquas ceremonias, ut sunt abrenuntiatio Satanæ, susceptorum infantis fidei professio, nominis impositio, trina mersio, aliaque pauci momenti, sed omnes piis orationibus comitatæ, de quibus sine utilitate longum esset differere &c. Sæc. XVII. A. C. 1613.

In Sacramento Eucharistiæ istas maxime servari tenet Ceremonias: cum enim ob duo hoc tantum mysterium traditum esse nobis constet, in commemorationem mortis Domini, & in Corporis & Sanguinis sumptionem: ob mortem commemorandam Ecclesia nostra ante panis fermentati consecrationem solet illa verba recitare, *ut ovis ad mactationem ductus est, & ut agnus insons coram suo tonsore.* Deinde, *& quidam ex militibus Lancea latus ejus fodit, & statim exivit Sanguis & aqua.* Et vix ista finiuntur, & statim in calice vinum & aqua infunditur &c.

Esset hic inserendum *de partibus Sanctorum*, quæ *partes* novem minimæ par-

Sæc. XVII. A. C. 1613.

ticulæ ſunt panis, & Decima Sanctæ Mariæ, Matris Domini, quas poſt aquæ & vini in calice infuſionem, ab uno pane oblato ſumptas, penes Euchariſtiæ panem ponimus; ad ſignificandum, jam beatam eſſe ſortem Sanctorum, qui ut membra capiti Chriſto conjuncti, una in cæleſti Gloria triumphant. Sed non multum intereſt, ſi Orientis iſta pia peculiarisque Ceremonia, ad eſſentiam Sacramenti parum vel nihil pertinens, late non extendatur, cum de illa aliis conſtare neceſſe non ſit. Quamvis enim Romani ordinationes humanas ita ad ſalutem neceſſarias prædicent, ac profiteantur, ut niſi ad minimum punctum quis obſervet, apud illos ſalvari nequeat: Nos tamen, quoad me, econtra divinas, certas infallibiles credimus, humanas indifferentes, ut fallereque potentes ſuſcipimus, atque tenemus, judicioque Scripturæ & Evangelii & Spiritus Sancti examini ſubjicimus; quod ſi bonæ & utiles, amplectendas eſſe ducimus; ſin aliter, reſpuendas, & rejiciendas, &c. Expedita ceremonia partium orationes aliquot recitandas aggredimur, & finitis narrative verbis, quæ vel de Cœna Domini dici, vel ipſum Dominum retuliſſe memorant Evangeliſtæ; *cum accepiſſet panem & benedixiſſet, fregit eum dedit-*

Sæc. XVII. A. C. 1613.

deditque discipulis, & ait, accipite, comedite, hoc est Corpus meum. Et cum accepisset poculum, & egisset gratias, dedit eis dicens: bibite ex eo omnes, hic est enim Sanguis meus novi fœderis, qui pro multis effunditur. Statim Spiritum Sanctum invocantes dicimus: & facito quidem hunc panem pretiosum Corpus Christi tui, hoc quod in poculo est, pretiosum Sanguinem Christi tui. Quorum verborum D. Chrysostomus in libro, qui apud nos dicitur *Ministerium publicum*, & ante ipsum D. Basilius, ordinator est. Post hæc *frangimus panem*, & communicamus utramque speciem: & si quis laicus, id est, eorum aliquis, cui non est datum hoc Sacramentum administrare, communicare voluerit, & ipsi utramque speciem sumendam proponimus, &c. Et hic finem habent de Sacramento Eucharistiæ Ceremoniæ nostræ, &c.

Quod attinet ad Ecclesiasticum regimen nostrum, de quo ei placet intelligere, Monarchicum non est; mixtum est, & temperatum. Monarcha est unusquisque in sua Ecclesia particulari; imo nec ibi Monarcha erit, nisi Tyrannus esse velit. At si Monarcha, ubi contumacia captus fuerit, subdit se judicio Aristocratiæ Episcoporum. Quod maxime amplectimur: comprobatum enim

Sæc. XVII. A.C. 1613.

enim habemus talem ordinem fuisse a Deo institutum in Israelitarum Ecclesia, cujus quidem princeps Moises: Aristocratia tamen ordinabatur. Iste mihi videtur proprie modus regendi Ecclesias; quod si nos hoc tempore in aliquo deficimus, causa est infidelium tyrannis, ad quam multoties confugit hominum perversitas, confunditque ordinem Ecclesiasticum nostrum; quod non semel hisce temporibus oculi viderunt nostri, &c.

Græca Ecclesia in plures nationes dividitur, omnes tamen in fide Christi constantes sunt, Græcæ Ecclesiæ suoque ritui obtemperantes. Neque in illis præter Ceremonias aliquas, pro regionum consuetudine, innovationem in re fidei observabis: accidit aliquando, ob ruditiem atque imperitiam, alicui nationi superstitio, cui sine fidei detrimento indulgemus, quia occurrere non possumus, ob multas variasque difficultates. In iis autem, quæ ad fidei essentiam pertinent, perseverantes sunt, ac permanentes, sicut eis a principio est traditum, &c.

Istæ Nationes habent quatuor legitimos Patriarchas, inter quos primum locum tenet Constantinopolitanus, secundum Alexandrinus, tertium Antiochenus, ultimum Hierosolymitanus.

Con-

Sæc. XVII. A. C. 1613.

Conſtat, ante Imperium Orientis nunquam Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum functum titulo Patriarchatus; ſemperque Alexandrinum primatem fuiſſe, ut licet tum ex aliis locis, & argumentis tum ex primo Concilio omnium celeberrimo colligere. At ordo mutatus Conſtantini Imperatoris opera, qui novam Romam ſuam expertem alicujus novi magni Antiſtitis præſentia non patiebatur. Jure tamen nunquam Conſtantinopolitanus Patriarcha loci obtinuiſſet primatum, niſi rogatus Alexandrinus ſua ſponte ceſſiſſet: neque ceſſiſſet, niſi privilegiis donatus majoribus, & titulo ſupra Conſtantinopolitanum, quibus ad hoc usque tempus Alexandrinus cum totius Orientis fruitur admiratione; quæ ſi iis, qui ultra fines Orientis ſunt, aliquis Sermone exponeret, fabulam diceret, & tamen vera ſunt. Hæc autem ad tuam Dominationem, non quia de primatu cum Conſtantinopolitano contendamus; nam hoc quærere in Eccleſia, eſt lacerare Eccleſiam; & ſtoliditas eſſet, atque ineptia Eccleſiaſticis, de primatu loci cum detrimento animarum controverſari. Primus & magis beatus eſt, qui ad exemplum Pauli ſe conformat, qui minimus in Eccleſia eſſe profitebatur, ſed plus omnium ædificabat. At quoniam veri-

Sæc. XVII. A. C. 1613.

veritas ita se habet, hoc scribere non neglexi tibi amico meo; isto ordine primatus loci inter illos servatur, in reliquis pari sunt consortio prædíti, eoque modo fraternitas integre conservatur, &c.

Neque enim tibi hoc prætereundum, quod omnes Patriarchæ, præter Constantinopolitanum, ordinem optimum regiminis servent Ecclesiastici; & causa est, quia electio illorum est legitima, statque in iis, quorum nil interest, nisi florentem, bene rectam, & ordinatam aspicere Ecclesiam; quod si quid præterirent, Alexandrinus judex est vicinus & Censor, ad limitandum, & corrigendum ea maxime, quæ ad fidem spectant. Constantinopolitanus vero non ita, quia vis turcica ut plurimum sine præhabita electione, confirmat illum, qui plus dederit, quod vehementer eis exprobrat Alexandrinus. At non valet Turcica competere violentia, quæ sibi quærit juste vel injuste accipere, ideoque magis, a quibus datur, favet; deinde distantia locorum & aliæ difficultates obstant, ut huic absurdo provideri possit, &c. Potentior est Constantinopolitanus propter latus Imperatoris, at omnium infelicior. Antiochenus & Hierosolymitanus, probi ac humiles Prælati, vix sibi sufficiunt.

Ale-

Alexandrinus malus est, quia sine vi fratrum infandos debellat aliquando conatus, semperque iis formidolosus, & suspectus est: de sua vero authoritate & æstimatione apud omnes alii dicant. Hinc est, quod, nisi Athanasium confirmasset, non esset Antiochiæ Patriarcha; nisi suo voto, & opera electus, Theophanes non esset Hierosolymitanus; nisi nuper ejeciisset Neophytum Constantinopolitanum, non esset Timotheus: & iste quantum sibi timeat, quia mala via est adeptus Patriarchatum. Illustrissimo Oratori remitto, ut scribat. Quod si vult scire Dominatio vestra, quare ejectus sit Neophytus: ob multas suas contumacias. Ille a principio tyrannide usus gradum istum ascendit, deinde multo plus tyrannico usus est regimine: ut vero adjutores haberet, suarum voluptatum satellites, aliquos nebulones Romanos in Ecclesia nostra prædicantes introduxit, multos errores docentes, & simplicem populum seducentes. Admonitus fuit non semel a me, nec se moderare voluit: hoc est, quod me coegit, omni alio superato labore, & privato detrimento spreto, operam dare, ut gradu privaretur, quod perfectum fuit. Ad vacantem locum sibi Timotheus per numeratam Turcis pecuniam occupavit; ob hoc ei parit formi-

Sæc. XVII. A. C. 1613.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

formidinem nomen Alexandrini Patriarchæ, & adhuc usque in aliqua commotione Conſtantinopolis eſt, &c.

Electio Patriarcharum, prætermiſſo Conſtantinopolitano, ſtat in iis, qui ſunt *Optimates Reipublicæ*, qui congregati una cum Clero, poſt habitas orationes ſolitas eligunt, quem aptiorem judicarint. Ubi fuerint electi, ut habeant poſſeſſum, aliquam ſummam deponunt Turcis, qui Miniſtri fuerint illius Provinciæ &c. Alexandrinus ſolus Turcis non ſolvit, nunquam cum Turcis rem aliquam gerit Eccleſiaſticam, nunquam illos vult conſiliarios & Socios. Cauſa vero eſt prudentia, & induſtria Patriarcharum præteritorum, qui, providentes huic negotio, ſemper animos ſubditorum unitos conſervarunt: a qua unitate bona malaque pendent, quæ major eſt, per Dei gratiam, noſtris temporibus, ſtatque in omnibus pro nobis mirabiliter, neque unquam ſinit Eccleſiam titubare Alexandrinam, prompte adverſis occurrens magis magisque, quando vacans eſt. Quamvis pro aliis calumniis more Turcico ab infidelitate excogitatis, detrimenta patiatur quotidiana &c.

Ubi electi fuerint Patriarchæ, conſecrantur tribus ad minus Metropolitis, vel Archiepiſcopis in conſecratione interve-

tervenientibus. Ceremoniæ principales Consecrationis sunt istæ: Stat electus in templi medio, suppositum calcans pannum, in quo aquila picta est, quam ajunt mundanam significare Gloriam, quasi ei abrenuntiet, fidemque alta voce profiteatur, Symbolum recitans, & promittens, se fidelem fore Christo & ovili. Quam ceremoniam solitæ sequuntur orationes, cum invocatione Spiritus Sancti, & manuum impositione, & Episcopatus nominatione: & hic finem habet consecratio. Simili modo & Archiepiscopi, & Episcopi consecrantur. At hoc habent plus Patriarchæ, quod, finita Consecrationis ceremonia, detur eis baculus in manu, cum ampliori commendatione subditarum animarum, & aliquibus caput oleo ungitur, quod dicitur confirmationis, ut Hierosolymitano, & Alexandrino, at non aliis: quare vero? præter consuetudinem non aliam causam animadverto, nisi quam colligo ab iis, quæ tunc recitantur in ipso facto, ut sint videlicet, *uncti Domini*, ad similitudinem eorum, qui in Testamento veteri: at quia indifferens est Ceremonia, non utuntur alii, &c. Sæc. XVII. A. C. 1613.

Unusquisque Patriarcha suos habet Archiepiscopos & Episcopos; plures habet Constantinopolitanus ceteris, &

Sæc. XVII. A. C. 1613. post ipsum Antiochenus. Alexandrinus per suam diæcesim habet suos Chorepiscopos ducentis ab annis: causas vero recensere esset prolixum, quare non habeat Archiepiscopos, & Episcopos? Chorepiscopi vicarii sunt: differunt ab Episcopis, quia isti in proprio Episcopatu ordinare, constituere, & disponere possunt pro libitu: Chorepiscopi sine Superioris facultate non possunt, &c.

Quia vero aliquid scire peroptat de Hæreticis in Oriente, neque de illis, quidquid pro tempore fuerit, notare negligemus. Quatuor adhuc usque sunt Sectæ eorum, quibus Ecclesia nostra non communicat, Armenica, Coptica, Maronitica, & Jacobitica, quarum deformis est ritus, plusque brutæ Ceremoniæ: in fidei ratione hæretici; in moribus & aliis circumstantiis Ecclesiasticis dices, nil eos a belluis differre: tot tenebris ignorantiæ offusi, ut vix sciant, an credant, vel quid credant: unaquæque tamen obstinata est in propriis superstitionibus & erroribus.

Armenii, Manichæi Doctrinam sequuntur, multa credunt de propria Religione: Eorum Ecclesiastici dii tenentur in terris, quia leguminibus abstinent, jejunii tempore Quadragesimalis; sed dii isti, Deus verus est mihi testis, multoties stomachum mihi fecerunt: & qui

& qui percipit eorum obscœna & sub- Sæc. XVII.
morosa ridicula, sine dubio stomacha- A. C. 1613.
tur. At forsan tibi non displicebit, si mihi particeps fueris in quadam parte; accidit enim mihi, quod quondam Basilio, ut Gregorius refert, cum Armeno Athenis disputanti, quem e latere ferit Gregorius & Basilius *Victoriam in alteram partem inclinare facit.* Hoc modo mihi occurrit quidam Armenus, Barsabas nomine, cum essem Hierosolymis in Templo Sancti Sepulchri: ibique nacta opportunitate, quia supercilios Armenus erat, seque doctiorem ceteris suis profitebatur, coram populi frequentia, cum minus unquam credidissem in tam ignorantem hominem incidere, pro tempore mihi visum fuit, tentare, cujus esset Spiritus: tandem congredimur: colloquium nostrum inde habuit principium, quod Dominus Noster Jesus Christus non *secundum apparentiam* vel versatus cum hominibus vel passus est, quia Armeni non credunt vere passum. Sciscitanti vero mihi & urgenti, impium esse credere, non realiter passum Dominum; quod idem est, ac realiter operatum salutem nostram negare: aliisque rationibus inconcussus, & testimoniis Evangelii confusus Barsabas veritatem quidem fateri erubuit, at elegantius sese mihi opponere excogi-

Sæc. XVII. A. C. 1613.

tavit; cumque animadvertisset, aliter se non posse meas rationes annihilare, uno verbo totam quæstionem concluſit, & Controverſiam decidit: ego, inquit, ſcio, Religionem Armenicam Sanctiorem esse vestra, quia vos jejunio in Quadrageſimali fabis reliquisque veſcimini leguminibus, ex quibus multi vermes multaque lues ſcaturit; at nos, munditiem Chriſtiano debitam, ſervantes, iſta ut communia diebus terminatis jejunii arbitrantes, vix tangere audemus, & hoc nobis ſufficiat, &c. Nonne tibi ſtomachum peperi iſta narrando? at crede, me diu obmutuisse, ambiguum, quid tam craſſæ ignorantiæ reſponderi poſſet, nec oblitus dicti Euripidis, *animus dolore afficietur, lingua vero dolore non tangetur*. Bonis iterum verbis optimum diſputatorem ad aliud barathrum confuſionis trahere cogitabam. At unus ex domeſticis meis alta voce reſponderat, merito (dicens) Domine Barſabas Sanctus es, quia Pythagoræ animam geſtas; at ſi migraverit in Camelum, camelusque Barſabas eſſet, abſtineres amplius fabis? cui ſine mora ſimplex vir quidam, ſed feſtivus ſubjunxit; non dicas camelum; ſi Barſabas aſinus eſſet, poſſetne in hiſce regionibus vivere ſine fabis? In hiſce riſus circumſtantium coerceri nequivit: & iſtum

istum habuit finem nostrum colloquium. Abierat enim iratus optimus disputator, Armenus. Intelligat hinc tua prudentia, quibus fundata rationibus ista colluvies, se credit in fide Catholica perseverare: Super istam arenam eorum Religiosi propriam & sequacium salutem ædificant, &c. Sæc. XVII. A. C. 1613.

Alia Secta est Coptarum, qui doctrinam Dioscori & Eutychetis sequuntur; spurca natio, & barbara. Coptæ dicuntur, quia se circumcidebant: at modo non se amplius. Ratio, quæ illos ab hoc proposito, ab ipsoque facto semovit, est, non quod (ut dicunt) irritum sit contraque legem, dummodo & ipse Christus Dominus circumcisus est; sed quia ceteris Christianis, cum non se circumcidant, daretur occasio deridendi illos, &c.

Pestem istam sustineo in mea Ægypto, in Magni Cairi civitate, quæ cum antea Archi-Episcopatus esset Patriarchæ Alexandrini, ego quasi toto tempore mei Patriarchatus residentiam meam ibi posui, ob temperiem aeris, multasque alias commoditates: raro me Alexandriam conferens. Ibi ergo Coptæ isti tam multi sunt, ut, si Græci cum illis numerarentur, quomodo de Græcis & Trojanis scribit Homerus, decies Coptæ numerum superarent

Sæc. XVII. A.C. 1613.

Græcorum, & *multæ decades eguerint pincerna.* Multoties istos præcessores mei Patriarchæ, ille præsertim Meletius, ultimus Anteceſſor meus, vir Doctissimus, & exemplarissimus, tentarunt ad viam eos veritatis trahere: at nunquam potuerunt.

Papa Clemens VIII. Romanus, multa fecit, tulitque se componere cum illis, & rideret V. D. si sciret, quali usi fuerint Coptæ in hoc negotio stratagemate, quantumque Papa ab illis delusus fuerit; quamvis Baronius, novus Historiographus, antequam bene veritatem percepisset, cum forsan pro more Aulæ Romanæ adularetur Clementi, istam ei gloriam referre properaverit; quasi ob suam industriam, suis adeptam temporibus, voluitque ea de Coptarum in Ecclesia Romana conversione scribere in suis chronicis, quæ tempus non multum postea falsa fuisse omnia probavit. Imo Paulus præsens Papa istam ob causam aliquos Coptas ejecit Roma. Habent isti Superiorem, quem lingua vernacula vocant Jabuna, quod interpretatur, Dominus. Iste venit ad me aliquando visitatum in Ægyptum: quoties venit, mutus abit pro se, suorum aliquis loquitur, ille vero loquentis verba vel *remissione*, vel intentione capitis affirmat, vel negat. Os

vero

vero nunquam aperit, quia dicit, non licere multa extra domum ſuam loqui Jabunam, imo peccatum eſſe: at extreme, præterque modum, legem ſuam cuſtodit, quia non multa, ſed loquitur nihil omnino quidem. Ego loquax, & garrulus ſum, qui per me, non per alios, loqui debere exiſtimo. Quod autem in illo bono Domino mihi magis diſplicet, hoc eſt, quia nunquam mihi faciem, niſi oculos ſolos aperit, totum caput tectum ſindone vel ſurſum, vel deorſum motum faciem nunquam tibi dabit aſpicere: ſed dices, larvam eſſe tragicam. Nolo tibi ulterius eſſe moleſtus, vir prudentiſſime! de tam abſurdis ſcribens: eſt apud illos Coptas quidam Caſis, Petrus vocatus: Caſis interpretatur Presbyter. Ille me ſæpius adire ſolet: fatetur, ſe propriæ Religionis errores cognoſcere, & reprehendit ſuos: At ego ei parum credo, quia ſi, quod os profert, conſcientia dictaſſet, non amplius vellet Presbyter eſſe coptarum, &c. Sæc. XVII. A. C. 1613.

Maronitica Secta eſt Semi-Romana: quia multi Maronitæ profecti Romam, literis operam navarunt, indeque in Montem Libanum, Caſtellum, in Provincia Phæniciæ, ubi eſt eorum reſidentia principalis, migrarunt: optime a Romanis inſtructi, & modo tota

Sæc. XVII. A. C. 1613. quasi gens illa Romanam sequitur Religionem. Cum maxime eorum primus Episcopus se Papistam profiteatur, & quia Antiocheni Patriarchæ Diæcesis contigua est Maronitis, timeo, ne incipiant & vicinos inficere, præsertim cum a parte Patriarchæ, & a nobis admoniti, conveniens tamen non sit cautio; homo enim Arabs non capax est mali, quod serpit, &c.

Jacobitica est vilissima, & spurcissima natio, neque de illa est, quod aliquid scribatur, nisi quod ob hæresin suam Nestorianam nos latere non debeat, &c. Istæ sunt pestes in Oriente, quas Deus per commune flagellum infidelium moderatur, ne nobis noceant, &c. Hæc omnia magis curiose, quam cum utilitate, scribimus, tibi morem gerendo, maxime cum sciamus, & curiositatem aliquando delectare; quanto fieri potuit brevius, ista notare voluimus, &c. Essent alia magis necessaria ad scribendum, pertinentia ad illas materias, quæ hoc tempore a doctis agitantur, atque scribuntur, ut illa sunt, quæ de libero arbitrio, prædestinatione, & justificatione, de quibus quid certe tenendum, nondum constat mundo? Ecclesia nostra semper idem tenuit, una eademque via ista docuit: qui habet somnium, qui habet Sermonem

nem Dei, loquatur Sermonem Dei: quid paleis ad triticum? debent, quibus hoc creditum est, opus facere Evangelistæ, implereque Ministerium cum sobrietate, ut non ebrius passionibus, quibus plena sunt Jesuitarum opera, non mentiri, sed veritatem dicere præsumat. Scribere mihi de hisce aliquid non permittit angustum tempus, imo neque esse opus arbitror, quia gravioribus, doctioribusque convenit, sine metu laborem istum subire. Ut summatim fecit Jacobus Arminius, qui meo judicio doctus vir fuit; quia vero Theses scribit, in quibus implicite continentur materiæ, opus non cursim, ut ego feci, sed serio legi librum suum| oporteret, ut possit de illo dari copiosius judicium, & non temerarium; quod mihi tunc posset pro libitu charitas vestra imponere, si propriis essem in laribus, liber ab hoc molesto itinere. Cito me reversurum spero, si Deo placuerit: scribat ad me confidenter Dominatio vestra, responsa vero grata vicissim accipiet, meque amicum ei sincerum esse luculentius intelliget, in Christoque fratrem: præterea in meis literis animadvertet, quod nunquam aliquid exaratur, quod mihi non dictet ratio, & veritas, quibus semper mea submittenda esse volo. Absit a me, a Conscien-

Sæc. XVII. A. C. 1613.

Sæc. XVII. A.C. 1613.

tia, a moribus, ut veritas vel negligatur, vel non aliis omnibus præponatur: ob veritatem ego, & cum propriis meis fratribus Ecclesiasticis græcis controversor: hostis sum ignorantiæ, & ut populum simplicem esse indoctum, non moleste ferro, cum sciam, & in ignorantia, & rerum imperitia salvari posse homines adversus fidei hostes indies quasi dimicantes: atque non armis, sed patientia certantes, ut undequaque se Christi fideles probent. Ita mihi displicet, Pastores, & Episcopos nostros tenebris ignorantiæ obmergi: hoc est, quod nostratribus exprobro, at nil proficio. Nacti istam commoditatem Jesuitæ in Constantinopolim fundamenta jecerunt, ad erudiendos pueros: & proficiunt, quod vulpes inter Gallinas. Obruet tandem Romana doctrina mundum, dum nunc huic negotio tantam operam impendunt Curiæ Romanæ Satellites, nisi Deus propitius fuerit, cujus dextra sola navem nostram a turpi isto naufragio salvare potest; unaque spes nobis sua est misericordia & potentia; alias vires nostræ tenues essent ut resisterent persequutioni, quam præter alios ii, qui Religionis sunt Græcæ in Polonia, & Lituania, Ruteni, misere admodum sentiunt, probantque, ob vim, quæ eis infertur ab Ecclesiasticis

fticis Romanis, opera Jeſuitarum, ut Ecclefiæ ſe ſubjiciant Romanæ. Quia vero hoc ſe facturos negant, nil intentatum relinquunt Jeſuitæ, ut voti compotes fiant; hinc terrores, fugæ, exilia, cædes, multaque alia, quæ ſolo tempore Antichriſti futura legimus. Confugiunt ad Eccleſiam Græcam miſeri, cum jam videant everſas illius regni leges, extinctum fœdus de libertate ſervanda, ablatam omnem rationem tuendæ pacis publicæ. Velimus Eccleſiaſtica authoritate noſtra ad Regem, ad proceres intercedere, rogare, ut liberi dimitterentur. Contigit Alexandrini Patriarchæ patrocinium hoc ſe ſuſcepiſſe, nec neglexit ſcribere ad Regem, ad magnates omnes; hortari illos, quo fieri potuit, proteſtari pro juſtitia, pro jure, pro legum reverentia, & tandem rogare, obſecrare. At omnia vana. Adhuc usque illinc certior factus ſum, pejus ingraveſcere perſecutionem, & violentiam, quo plus & Moſcoviam occupare deſperant. Quæ certe in Polonia incepta multis aliis ſubminari videntur dominiis; & quid mirum, ſi & ipſam Conſtantinopolim aggredi auſi ſint? Audio, vos cavere vobismetipſis, ne hoc fermentum detrimentum aliquod populis veſtris inferat; & valde mihi placuit. Idem, prout

Sæc. XVII. A. C. 1613.

Sæc. XVII. A. C. 1613.

prout poterimus, nos quoque omni tempore faciemus, & tum magis, si vestro spirituali consilio adjuti fuerimus, vestra charitate prosecuti, qua vos viciſſim a nostra justum erit: ut uno spiritu, fidem Christi orthodoxam amplectentes, utrique pergamus ad supernæ vocationis adimplenda mandata, fideliter certantes, & semper veritatem defensantes, in Ecclesiæ Catholicæ incrementum, in Gloriam quoque Sempiternam Dei Patris, & Filii unigeniti, & Spiritus Sancti sui, cujus benedictio, & gratia tecum, mi dilectiſſime, semper sit, faveatque his votis atque laboribus, quotquot sustines, pro exercendis pietatis officiis, in utilitatem spiritus eorum, qui tuis mellifluis fruuntur Sermonibus. Ne autem amplius tædio tibi simus, finem literis imponimus, dextramque dextræ jungimus, fraternoque affectu te salutamus. Libros mihi missos ab Illustriſſimis Ordinibus, ubi primum rediero, Deo dante, videbo, & duplici gustu legam, quia mihi ab ipsis Dominis missi sunt, quibus quidem per literas meas quamplurimas egi gratias, quod si Dominatio vestra oretenus adhuc plures adderet, gratam rem mihi præstaret. Pro libro vero Arminii me tibi debere fateor; rependere tamen curabo ad propria revertens

vertens, aliquo manuscripto, & si quid aliud mihi est, omnia communia tuæ charitati erunt. Optarem, quod mihi faceret luculentum catalogum auctorum electorum recentiorum (exceptis iis, quos Illustrissimi Ordines ad me misere) qui graviter atque docte scripserunt in utramque Scripturam, maxime in libros Mosis, in majores Prophetas, in Evangelia, Paulique Epistolas; quibusque vos ad plus utimini, & alios authores, qui scripserint tum in Theologia, tum in Philosophia, & aliis in artibus, in Mathematicis, illumque proxima occasione ad me mitteret, & mihi adderet nomina Doctorum, qui apud vos sunt famosi & nominati, vicissimque nobis imponeret, quidquid ei ab istis partibus cordi posset esse, semper prompte gratificabimur tuæ humanitati, quam optime valere cupimus.„ Sæc. XVII. A. C. 1613.

Haud tamen mirum est, quod hic Patriarcha tam prone ad Arminianorum placita descenderit; absoluto enim studiorum curriculo in Germaniam profectus Calvinistis sese aggregabat, eorumque errores in Græciam secum ferebat, quamvis venenum suum occultare satageret. Demum Archimandrita Alexandrinus a Meletio Patriarcha electus in Poloniam decernebatur, unionem, quam quidam Lithuaniæ Episcopi cum Eccle-

Sæc. XVII. A. C. 1613.

Ecclesia Romana meditabantur, eversurus. Inde vero in Græciam reversus, ac vivente adhuc Meletio in Patriarcham Alexandrinum renuntiatus anno Domini millesimo sexcentesimo, duodecimo in Valachiam & Moldaviam contendit, ubi suis declamationibus, diris & execrationibus in Ecclesiam Romanam sese celebrem reddidit, arctamque cum Protestantibus amicitiam coluit. Postquam vero anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo primo Patriarchalem sedem Constantinopoli invaserat, mox clam Calvini hæresin tradidit, obstrepentibus Episcopis Græcis: eidem tamen suffragante Angliæ Legato, cujus opera Sedi suæ restitutus, varia typorum genera pro edendo sectæ suæ Catechismo ex Anglia Constantinopolin transferri curabat; jam enim librum de fide & doctrina Ecclesiæ Græcæ composuerat, quem Carolo I. Angliæ Regi nuncupatum ibidem typis edidit: Re comperta Turcæ suam eidem typographiam evertebant, Hollandiæ autem Orator fidei Confessionem sub nomine Cyrilli Genevæ juris publici fecit, quam, utpote Calviniſtarum doctrinæ circa Eucharistiæ Sacramentum consonam Mathæus Caryophilus confutabat, edito libro, cui titulus: *Censura in confessionem fidei, aut æquius perfidiæ Calvinianæ,*

nianæ, typis editam sub nomine Cyrilli Patriarchæ Constantinopolitani anno 1633. Sæc. XVII. A. C. 1614. Postea Cyrillus unacum articulis suæ confessionis a Bereensi Episcopo anathemate percussus, & a Meletio Syrigo Doctore, aliisque confutatus, ob Calvini hæresin a Græcis dire vexabatur. Arminiani igitur duntaxat de Cyrilli tanquam apostatæ patrocinio, non autem de Ecclesiæ Græcæ suffragio gloriari poterant.

§. XXXII.

Achmetis Turcarum Imperatoris literæ ad Mathiam Hungariæ Regem.

Hic idem annus Domini millesimus sexcentesimus decimus quartus eventuum diversitate, ac turbarum multitudine, si quis alius præcedentium, non minus varius, quam funestus erat. Præprimis vero belli flammam, quæ per pacem inter Christianos Principes, & Turcam Zitwatorockii initam in Hungaria paulo ante extincta videbatur, Bethlenius Gabor rursus sufflare moliebatur; cum enim Cæsarei quædam Transylvaniæ oppida prius inique erepta occuparent, Bethlenius confestim Achmetem Turcarum Imperatorem hac de re certiorem reddebat, qui nulla mora

Petr. Revæ de Monarch. Hung. cent. 7. Merc. Gall. tom. 10. l. 2. Ortel. contin. p. 48.

Sæc. XVII. A. C. 1614. mora literas minis graves ad cunctos Transylvaniæ Ordines perscripsit, Mathiæ vero Cæsari per legatum significari præcepit, quod nullam de Transylvania amplius mentionem faceret, ac de ea ne cogitaret quidem, sed eam sibi relinqueret, belli jure & proprio peculio acquisitam: propugnacula vero in superiori Hungaria Bethlenio redderet. Habebantur adhuc Posonii comitia, in quibus Georgius Thurso Regni Palatinus Cæsaris mandato, quid Achmeti respondendum, Hungariæ Ordinibus proposuit, demum re, ut par erat, maturo consilio sæpius discussa, quosdam Proceres Lintzium ad Mathiam Hungariæ Regem decrevit, qui quemadmodum unanimi suffragio hoc negotium fuisset conclusum, eidem significarent: Hi ergo ad alloquium admissi hæc Regi exponebant: *Turca perfidus non servabit pacem, & periculum est manifestum, ne aliquo quæsito colore, ut jam sæpius factum est, vocatus, Transylvaniam provinciam arte & natura munitam, invadat & occupet, qua obtenta, nullo labore, etiam absque Asiaticis copiis quocunque tempore in regnum irrumpere potest. Hæc prævenire, ne accidant, sapientis est. Irritare autem potentiorem hostem, summa est temeritatis. Non semper enim bella etiam justa de causa suscipienda sunt. Magnas*

res est, deliberationem lentam postulat, si-quidem fortuna illius semper ancipiti stat loco; neque in unius potestate belli finis & initium est; metienda igitur sunt tempora, hostium vires, & apparatus diligenter perpendendi, comparandæ nostræ vires, vis fortunæ communis animo volvenda.

Sic ergo cum Barbaris nostro tenui judicio procedendum: literæ per hunc Legatum Turcicum scribendæ ad Ottomanicum Principem, postea Rex noster, ad illum quosdam gentis Hungaricæ & vicinorum Regnorum destinabit Legatos, per quos ad singula puncta & clausulas in literis ejus contentas responsurus esset. Serio interim admonendus erit, ut ab excursionibus & violentiis, quibus publica pax turbatur, abstineat, & suos abstinere faciat, quod a parte nostra fideliter præstabitur, tum etiam Oratores illi omnia gravamina & violentias contra pacem patratas declarabunt, easque in Ottomanica porta exaggerantes pro prudentia sua exprobrabunt, in id vel maxime intenti, ut pacis continuatio etiam de cetero conservetur & stabiliatur. Sic de statu quoque Transylvaniæ Commissarii Hungari in certum aliquem locum, præcedente præsertim Transylvanorum postulatione, cum plena potentia pro præsentibus negotiis componendis, per Regiam Majestatem expediendi erunt, qui restinctis quibusvis novi belli, aut intestinorum odiorum

Sæc. XVII. A. C. 1614.

fomitibus, negotium omne cum Transylvanis ita componant, ut tam hujus regni, quam ipsius provinciæ salus permaneat, omnisque via, unde huic regno & ipsi Provinciæ exitium evenire posset, tollatur, Legationis ad Sultanum continuato curriculo: si vero idem iniquas conditiones proponeret, & per eas pacem rumpere comperiretur, in eo casu Hungari vestigia prædecessorum suorum sequentes, cum confœderatis provinciis, juxta leges eorum simul vivere & mori, & hosti manifesto sese opponere non prætermittent, præstabuntque, quod fideles bonosque patriæ cives decet, modo sua Majestas sic peractis cum Sultano & Transylvano legationibus, reportatisque utrinque responsis, & intellectis aliis, quæ sub his Legationibus accidere possunt, comitiis indictis, cum fidelibus Statibus & Ordinibus Regni communicare clementer dignetur.

§. XXXIII.

Regis, & Hungariæ Ordinum responsio ad Achmetis literas.

Reva l. c. Pann. nova & vetus. Ortel. coutin. pag. 50.

Placuit Regi hoc Hungarorum consilium, quocirca unaomnes in hanc descendebant sententiam, ut priusquam belli alea foret experienda, res consilio decerneretur; collatis igitur suffragiis, die vigesima septima Maji Sultano hoc modo responsum est: *Meminit qui-*

Sæc. XVII. A. C. 1614.

quidem Majestas Regia, quomodo pax ad Zituatorok utrinque inita, scriptis, signatisque literis comprehensa, atque a Divo Rudolpho, & moderno Rege ac Cæsare, juxta posteriorem pactorum formulam confirmata fuerit, nihilque sibi magis curæ fuerit, quam ut pacis leges, & jurisjurandi utrinque præstiti fides, inviolata & integra persisteret, absque mutatione aliqua & fraude, gravi edita cautione, ne quis clam vel aperte in quacunque parte regni constitutus sub pœna capitis illam turbare, aut paci aliquid contrarium facere auderet. In majorem etiam pactionum firmitatem, Andream Nigronium duobus abhinc annis Constantinopolim, ut illa, quæ componenda restarent, integre componerentur, expedivimus, ea fiducia, quod Turcici Imperatoris legatus secundum initæ pacis conditiones expediretur. Quod cum præstitum non fuerit, sed quædam interea dissensiones & offensiones occasione Transylvaniæ, vicinorumque locorum inciderint, aliæque multiplices actiones hostiles ex finitimis ipsius ditionibus in nostris Regnis & provinciis patratæ fuerint, ut eæ prohiberentur, postulavimus, nostrasque eo nomine querelas Constantinopolim misimus, quæ cum tam arduæ fuissent, ut nonnisi ab utroque Imperatore componi potuissent, eas supra dicto Negronio tractandas commisimus: sed quandoquidem ille hucusque in ditione ipsius tenetur, neque quo

Sæc. XVII. A. C. 1614.

in cardine ardua hæc negotia versentur, sciatur, difficile erat, ad omnia literarum ipsius capita nunc respondere. Ubi autem ad nos una cum nostro Orator Turcicus advenerit, adhibito quorumdam ex Regnis, ditionibusque nostris Primariorum consilio, plenius responsuri erimus: hortamur interim, ne contra stabilitæ pacis jura aliquid a suis patrari violenter permitteret, & contrarium facientes punirentur, quod a parte sua observari nobis persuademus, quod si vero ab ejusmodi actibus hostilibus sibi minus temperaverit, justa causa vindictæ præbita nequaquam ulterius id dissimulabimus, sed quibuscunque viribus ultionem persecuturi sumus. De Transylvania, vicinisque castris & arcibus, quas usque adeo in literis suis urget, ubi Commissarii, qui ad negotia illa tractanda eo missi sunt, & Andreas Nigronius unacum Turcico Oratore redierint, nobisque de successu tractationum exposuerint, maturo & æquo responso mentem nostram sumus aperturi.

In iisdem etiam comitiis non sine magna Hungarorum repugnantia tandem conventum, ut Germani milites pari cum Hungaris jure in eorum propugnaculis, finitimisque urbibus præsidia agerent. Sub idem tempus Mathiæ Cæsari nuntiatum, quod Pragensis Archipræsul ex omnibus ditionibus & nominatim ex Osseg Cistercienſium Mona-

Monaſterio Prædicantes ejecerit, inde vero maximi per Bohemiam motus pertimeſcendi forent. Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. XXXIV.

Gallia inteſtinis motibus agitata.

Haud magis pacata erat Gallia, Regii ſanguinis Principibus, aliisque nova indies molientibus: nec una erat horum motuum origo; quosdam enim Reipublicæ amor, alios odium in Regni Adminiſtratricem, potiſſimos privati commodi ſtudium ac invidia incitabat in Conchinum, natione Italum, quem auctoritate gratiaque conjugis ſuæ Eleonoræ ſibi conciliatum Regina Marchionem creaverat Ancræum, ac denique ad ſummum totius Regni Equitum magiſterium evexerat, Regii ſanguinis Principibus & Palatii Magnatibus palam querentibus, quod duobus hiſce alienigenis plus auctoritatis tribueretur, quam ceteris omnibus Aulæ Miniſtris. Inſuper non leve averſionis argumentum erat immodicus favor, quo Regina Guiſiam, Contiamque, fœminas Principes proſequebatur, easque lætiſſimis, & aſſiduis cænis, ludisque recreabat, aliis, præſertim Nivernæa Duce, & Sueſſionenſi Comitiſſa, ejusdem cenſus & Ordinis Matronis ad æ-

Gramont. Hiſt. Gall. l. 1. Serran. Franc. Hiſt. pag. 923. Calmet hiſt. Univ. l. 151. Merc. Gall. tom. 10. l. 1.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

quale gratiæ consortium non adhibitis. Inde vero contra Reginam privatæ primum indignationes audiebantur, brevi in publicæ ultionis flammas erupturæ, quarum primam scintillam ambæ hæ Nobiles fœminæ sufflabant, dum Nivernia Maritum, & Comitissa Mayenium, quem deperibat, in Reginam, ceterasque Regiæ gratiæ socias incendebant. Porro ab his in alios sensim aliosque Principes currente murmure, ac quæstibus magna Principum pars & Procerum non pauci, haud salutatis Regentibus, aula dilapsi sunt. Primus Condæus, die sexta Januarii, tum Nivernius, Mayenius & Longavillæus, decima Februarii die clam discesserunt. Dux quoque Vindocinensis, quem Regina in arce Regia captum detinebat, e carcere amicorum, qui eum inviserant, ope elapsus, in Britanniam auffugit. Bullionius vero, sueta Calviniſtis fraude, etsi hujus dissidii ac secessionis author esset, specie tamen hos transfugas reducendi, ac rursus Reginæ conciliandi, re tamen ipsa Principatus sui incolas armandi studio, Sedanum quoque digressus est. Tum primum belli civilis per Gallias datum est initium, & Condæus quidem Castrorusum invasit, malefidam vero stationem ratus, in Campaniam se recepit, quo Nivernæus jam-

jamjam irruperat, ac Mesieras urbem, & arcem cum suis militibus occupaverat, eodemque ferme temporis articulo Mayenius Suessiones, Longavillæus Picardiam, & Cæsar Vindocinensis Armoricos aggressus est, totamque minorem Britanniam ferro flammisque devastans incolas prædationibus exhausit. Erat adhuc invalida eorum factio, utpote nondum Sectariis aucta: præterea privati commodi, quo quisque ferebatur, studia sensim inter ipsos Principes dissidia conflabant: Pollicebatur quidem Bullionius, Calvinistas suos in Condæi verba juraturos, ast vix sperari poterat, hos cum Principe Catholico, cujus studium a secta hac erat alienum, conventuros. Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. XXXV.

Condæi Principis literæ ad Reginam.

Ut Condæus Princeps seditionis motæ calumniam a se amoveret, ad obtentum, qui in bellis civilibus sat familiaris esse solet, recurrens pravam publicæ rei administrationem prætexebat, die decimo sexto Februarii perscripta ad Reginam sequenti hac epistola satis acerba: *Quæsito ab aula secessu Principes prævenerunt consulto Regni Gallici ruinam, quæ imminet, alta illis* *Merc. Gall. ad hunc annum.*

Sæc. XVII. A.C. 1614.

silentia in hanc diem ne pro crimine verba forent: si quando Regis concilio interfuere, servando decori magis vocati, quam promendæ sententiæ: perfunctorie interpellati, quid censerent: habitaque pro caduca sententia, si a Regentibus discreparet, ita obmutuere, dum pessumibant res Gallicæ. Medii miserationem inter & metum saluti privatæ postposuere publicam, quod in præsenti lugent & reparant. Principes, Clerum, nobilitatem & populum pro uno ordine prava eorum administratione habent, qui Regis ætate abusi Regni statum per factiones convellunt, per avara in sui augmentum consilia dissipant, rectos pro communi omnium utilitate Reginæ affectus torquent in prava pessimis eorum consiliis, qui nova indies moliuntur. Excidio Principum, atque inveterato malo, non alia in præsens medela occurrit, quam quæ a Comitiis regni generalibus sperari potest, convocari debuissent statim ab Henrici excessu, quibus Regentis authoritatem potentius nixam majore cultu prosecutus fuisset omnis ordo: hinc mali primordia: hinc diruta ad Sebusianos Burgi arx Regia, reluctantibus Principibus, ipsoque Mommorancio Connestabili: hinc profligata arci diruendæ, quadringenta librarum millia: hinc in matrimonia consilium præcox & indebitum, quibus Rex ipsiusque Soror impuberes in Austriacæ gentis consortia transeunt, infausta Gallis: hinc parlamentorum

torum libertas oppressa: hinc arcium, hinc urbium præfecturæ pro regentium libidine distributæ: hinc dissidia Sorbonam inter & reliquos Theologiæ Doctores, per vanam disputandi licentiam aucta, parum debito tempore: hinc Ecclesiæ Præsulum authoritas læsa: hinc dignitates per odia ademptæ probis, per gratiam procuratæ improbis & indignis, posthabita Principum & primorum autoritate, quorum ea consiliis geri e republica erat: hinc delecti arbitrio novæ gentis, nullo Principum suffragio, & exteri Principes legati, additis libellis in compendium memorialibus, per quos prodita & commissa arcana regni Tyronibus nequam & imperitis, procul habitis, quorum res agebatur: hinc in Navarram & Monferratum machinationes ab externis Principibus destinatæ: hinc Venetos inter & Rhetos expetita olim ab Henrico IV. fœdera impedita: mutata hinc matrimonii cum Sabaudo consilia, ejusdem Henrici votum: hinc edicti Nannetici violata fides, quæ Henrico superstite steterat, ara concordiæ, præsidium genti, unde hodie Sectariis legitimi questus, & in ultionem arma: hinc empta trecentis librarum millibus Ambasia, arx Regia: hinc dona immensa in immerentes collata per exhaustum ærarium: sic debilitatæ Galliarum vires, & paucos inter eosque ignotos, nisi per scelera & cædes, divisa

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

divisa ærarii immensa spolia, quæ nefas est Principibus inconsultis, neque participibus profligari: quæ cum ita sint, e Republica est, ut trium Franciæ Ordinum comitia intra trimestre indicantur, quo temporis intervallo meam, ceterorumque fidem adstringo, nihil armis innovandum per nos, quibus una cum Regno salus est in ejus fortunam natura vocatis. Interim suspendi petimus destinata Regum matrimonia.

§. XXXVI.

Reginæ responsum ad Condai literas.

Gramont. l. c. p. 42. Janson. contin. p. 410. & seqq.

Has literas Regina die vigesima prima Februarii accepit, ex quibus cum suam præcipue administrationem peti, probe intelligeret, hinc diluendæ in suum caput calumniæ studio mox Condæo hæc in verba respondit. „Ipsa„met diu comitia indicere statuebam, „obstitere tamen seditiones, quarum „pars magna es: objicis, quod largi„tione Regia plerosque etiam præter „meritum auxerim: ast motus undique „concitatos, Rege impubere, partim „consilio, partim dissimulando, partim „liberalitate, prout necessitas deposce„bat, dissipare studui, minime Princi„pum, nec tui oblita: hos ego nun„quam despexi, sed Provinciarum Præ„fectu-

„fectura honoratos, divitiisque auctos Sæc. XVII.
„colui, ne saltem pacem turbarent: si A. C. 1614.
„autem in hoc peccavi, multa tecum
„contuli consilia, cur toto quadriennio,
„quo Regnum administro, nihil eorum,
„quæ nunc mihi exprobras, meministi?
„cur me secreto non admonuisti? cer-
„te non distul'ssem malo remedium;
„Pepigi Regia in matrimonia fœdus,
„Gallisque Hispanos pace junxi: ast,
„inquis, consuli debuissent Principes?
„sed nunquid id tibi ex Aquitania re-
„duci manifestavi? Dein profligatum
„a Ministris meis ærarium, & publicam
„auctoritatem fuisse usurpatam quere-
„ris? sed Condæe! ubi tuus ille in
„publicum amor, quo fervidus in sedi-
„tionem armaris? si per tres annos hi
„effræni licentia jam debacchantur, cur
„hucusque siluisti: si Regno consulere
„tibi est animus, cur rebellioni te Prin-
„cipem præbes, cur turbas concitas,
„cur patriam in seipsam armas? non
„opus esset armis extorquere, quod
„ego ultro feciss'em: quæris vanos in se-
„ditionem prætextus: ego autem in
„nullo peccavi magis, quam quod ni-
„mis multa dissimularim, ac tecum le-
„nius egerim. Omnia mea studia in id
„erant intenta, ut in pace & tranquil-
„litate Regnum floreret: in id adsciti
„fuere in sanctius consilium Viri probi,
„qui-

Sæc. XVII. A. C. 1614.

„quibus salus publica curæ est, neque „mihi alia erit mens, dummodo per „tua arma liceat.„ Hæc quidem Regina ad Condæum perscripsit, cum autem facile perspiceret, eo jam deventum esse, ut ferro frangenda sit seditio, ne igitur, quod sui muneris rationes exigebant, negligeret, nec, ita suadente Matris cura, Regi filio suo in ullo defensionis genere deesset, vim vi repellere statuit: Aderant eidem citius dicto Bassompetrus, & Galatisius Helvetici præsidii Ductores cum fortissimorum tribus millibus. Prætorianorum quoque sub Espernonio Duce quatuor millia, novisque supplementis a Lavardino adductis tredecim armatorum millia adversus Principes, quorum exercitus vix sex millibus constabat, in aciem fuere educta.

§. XXXVII.

Actum de pace Reginam inter & Principes concilianda.

Serran. & Gramm. l. c.

Interea Bullionius Calvinianæ sectæ Princeps, hujusque belli Author conjuratorum Principum copias ducebat, indicto ad Suessiones loco castra metatus: cum vero Prasilinius jamjam cum valida manu contra Nivernium Ducem in Campaniam moveret, & Gui-

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Guisius Dux Parisiis delectos militum ad pugnam paratos haberet, territi Principes impari suorum numero, cum copias eas, quæ multitudine, caussæque justitia præeminebant, successu quoque prævalituras timerent, pacem, excusata tamen rebellionis culpa, exoptare cæperant: Opportune etiam Regina concordiæ avidissima Guisium selegerat, qui Reginæ nomine Principibus pacem offerret: seliguntur hanc in rem Vantadurius Dux & Thuanus, quorum tamen industriam Principum pertinacia elusit. Mittuntur iidem iterum ac tertio, adjunctis Boissisio, Bullonio, & Joannino, qui ad Suessiones delati præter spem cunctos Principes ibidem congregatos, excepto Vindocinensi Duce repererunt. His ergo seditionis pericula exponunt, Reginæ clementiam deprædicant, honestasque pacis conditiones offerunt: Inclinantur ad saniora Principum animi, placuitque agendis inter se rebus, scribendisque legibus locus Manechildis oppidum, ubi demum in has itum est conditiones. I. Regni comitia ad diem decimam tertiam Augusti indicantur. II. Arces recens exstructæ diruantur. III. Milites per nuperos Principum motus conscripti nulla mora dimittantur. IV. Ambasia urbs & arx Condæo, depositi jure, ad tem-

Sæc. XVII. A. C. 1614.

tempus permittatur. V. Reſtituatur Dux Vindocinenſis Præfecturæ Britannicæ. VI. Principes reſtituantur, eisque non modo præteritorum oblivio, promittatur ſed & apud Regem exterosque Principes excuſatio, *quod tanquam boni publici, non Rebellionis ſtudio diſceſſum primo ab aula, dein ad caſtra ventum eſſet.* VII. Militi ex ærario publico ſtipendia ſolvantur. VIII. Factionibus quibusvis pro omni tempore abſtineatur, initæque diſſolvantur. IX. Nivernio Duci Campaniæ Præfectura reddatur. His legibus annuere omnes, excepto Vindocinenſi, qui tum abſens erat, huicque fœderi ſubſcripſerunt, quod etiam Rex, ac Regina ejus Mater Regio firmarunt annulo.

§. XXXVIII.

Novi tumultus per Condæum Principem, ejusque Socios concitati.

Sleid. cont. l. 18. art. 10. & ſeq.

Attamen ſicut nec diuturna nec firma pax in chartis ſcripta eſt, ubi ſincera animorum conjunctio deſideratur, ita ſane haud diu valuit hoc fœdus recens initum, Principum indignatione non extincta, ſed ſub cineribus adhuc latente. Hos inter Cæſar Vindocinenſis recenti præſertim captivitatis memoria in Reginam adhucdum excandeſcens,

Sæc. XVII. A. C. 1614.

descens, nec paciscentium in verba jurabat, nec militem, ut jussus erat, sacramento solverat, sed potius Marchionem Bonivetum valido cum equitatu Pictavorum terras invadentem in partibus retinuerat. Interea Condæus Ambasia relicta Pictonum Provinciam petiit, quo tamen animo incertum; prævaluere, quibus persuasum, quod Rohanensem Ducem ad opem ferendam animatum adveniisset, quo comperto mox Castanæus hujus urbis Episcopus Condæum seditiosa moliri suspicatus cives armari, atque excubitorum numerum augeri & Principem urbis ingressu arceri præcepit: Condæus vero agnito civium furore Nobilem nomine Latrium in urbem præmittit, qui ejus nomine Episcopo minas intentaret, si persisteret prohibere aditu Principem, cui tamen in seditiones nec animus nec vires essent. Jussa exequitur Latrius, qui tamen, cum audacius minas in Episcopum evomeret, a furente populo fuisset trucidatus, nisi civis quidam Condæo favens ipsum in domo sua occultasset. Postea Episcopus omnes Condæo fidos urbe expulit, & Principem, qui ipsus nonnisi septem Nobilibus stipatus ad portam accessit, urbis ingressu armata vi excluśit. Condæus hac injuria exacerbatus, ad Dissæum oppi-

Matth. Paris hist. Lud. XIII. Memoir. de Rohan.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

oppidum contendit, ibidemque Episcopi Palatium destrui, soloque æquari jussit, Bonivetus quoque hujus Præsulis terras devastavit, pagisque spoliatis rusticos crudelem in modum affligens, ipsum quoque oppidum Thurium deprædatus est, templisque exustis, nec Sacris nec profanis locis pepercit. Insuper Condæus de injuria questus has literas ad Reginam dedit: *post pacem a me procuratam, dum sine belli apparatu in Aquitaniam proficisci intenderam, pro hoste publico ab Episcopo Pictavienſi habitus sum: æquius vero publicus hostis est, qui Franciæ Principes recens de Rege & Regno bene meritos infectatur. Vix credi potest injussum Episcopum eo temeritatis esse provectum: in plano est vindictæ modus, si spontaneum est, quod peccavit. E dignitate Regentis est, animadvertere in crimina, maxime, ubi spreta dignitas Principum, in quorum Persona Rex petitur.* Hæc Condæus, Regina vero nil dubitans, Principi in res novas esse consilium, nulla mora contra Vindocinensem Ducem nil minus suspicantem cum valido milite in Britanniam, Brisaccum Equitum Magistrum immisit, ipsa vero unacum Rege die quinta Julii cum reliquo agmine in Pictones magnis itineribus irrupit, quo comperto Bonnivetus, ne crudelitatis & insolentiæ

pœnas

pœnas daret, mox in fugam avertitur, miles ejus dilabitur, & Condæus Episcopo Castanæo reconciliatur. Tum vero ad primum Regis in Armoricos progressi conspectum, animi rebelles ad obsequium redeunt, arma Vindocinensis ponit, arx Blaveti, vetitæque munitiones ceteræ solo procumbunt, & Rex celeri atque incruenta expeditione Parisios victor revertitur. Tam efficax restinguendis bellis civilibus remedium est, Regis præsentia. Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. XXXIX.

Ludovicus XIII. Franciæ Rex Regno administrando per ætatem capax declaratus.

Postquam Ludovicus XIII. Rex die vigesima quarta Septembris decimum quartum ætatis suæ annum, quo ex Regni lege ad capessendas imperii habenas adultus censetur, ingressus erat, ipse comitantibus eum plusquam octingentis Nobilibus Curiam accessit ibique solio recumbens declaravit, quod nunc ætate major propriis par Regno consiliis esset, suum igitur imperium sibi a Deo datum Senatorum fidei conjungi, & pietate ac justitia invicem sociari peteret: Hæc dicentem excipiebat Cancellarius, qui Reginæ ob adminis- *Calmet Hist. Univers. lib. 151. Gramont. l. c. Declar. Carol. V. Reg. anno 1374. Ordon. Philipp. III. anno. 1270.*

Sæc. XVII. A. C. 1614. nistrati hucusque Regni curas grates rependens ex omnium Ordinum sententia Regem rogabat, ut deinceps quoque Reginam consilii sanctioris Principem omnium dispensatricem agnoscere velit: illa vero gressu ad Majestatem composito proximius Throno accedens, Regem a solio assurgentem, eique detracto pileo obviam euntem his verbis alloquebatur: *Læta regimen cedo Regi, quem uti filium amo, ità ut Dominum veneror: quadriennio, quo Regnum tenui, anxie cavi, ne quid detrimenti pateretur res Gallica, pacem magnis sumptibus procuravi, qua stetit florens regnum, & stabit, si quid valent, quibus administratio committetur.* Dein sermone ad Principes & Senatores converso hos omnes suæ sollicitudinis testes invocabat: actis postea Reginæ Matri gratiis Cancellarius decretum, quo Rex Regno adultus declarabatur, promulgabat, Rex vero Nannetense edictum, necnon decreta contra duellantes, Blasphemos, & temere jurantes, vel noxia fœdera ineuntes condita ad acta referri jussit, Luparam demum regressus, toto populo festive acclamante.

§. XL.

Sæc. XVII.
A. C. 1614.

§. XL.

Controversia inter Cardinales & Episcopos Franciæ Pares exorta ob loci honoratioris prærogativam.

Indicebantur solemni diplomate Regni comitia, prius vero die secunda Octobris pro more privati per Provincias habebantur conventus, ut quid in comitiis proponendum, & quinam ad illa delegandi sint, decideretur. Attamen jam tum oriebatur contentio de jure præcedendi; quippe Episcopi illi, qui simul erant *Pares Franciæ* priorem Cardinalibus locum prensabant, ea permoti ratione, quod veteri lege apud Gallos summa esset *Parium* dignitas, hinc *Pares* dicti, quod pares inter se reliquis omnibus, ipsis quoque Regii Sanguinis Principibus antecederent, quando in Sacris officiis suis v. g. inauguratione, Regi ministrant, atque ex necessitate muneris assistunt. His addebant, quod Episcopi Pares in Parlamento seu Curia Archiepiscopis præcedant, proin & Cardinalibus, quorum dignitas extranea in Senatu non consideratur. Opponebant autem Cardinales, quod ipsi olim Regii sanguinis Principes præcesserint, donec

Gramont. lib. II. p. 54.

Sæc. XVII. A. C. 1614. in Posliacensi colloquio Principes, prævalente Condæi necnon Calviniſtarum potentia, in Eccleſiæ contemptum primas ſedes uſurpaſſent, reclamantibus Lotharingio, Guiſio & Turnonio Cardinalibus: Carolus quoque VIII. Franciæ Rex, dum ab Alexandro VI. in Cardinalium Collegium duceretur, primam Sedem Decano ceſſiſſet, atque anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo lege ſancitum eſſet, quod Epiſcopi Pares in Senatu Regiis Principibus proin & Cardinalibus, quorum ſedes ſunt ante Principes, cederent: præcipue cum Parium Epiſcoporum Principatus ac dignitas extra fines ſuos poſita, ſit vacua, Eccleſiæ autem Principatui nullus ſit terminus, niſi quos habet Univerſus Orbis Catholicus: *Parum*, inquiebant Cardinales, *e dignitate Epiſcoporum eſt cum ſuis Principibus contendere, lethalis foret victoria, ſi per vana honorum aucupia vis Eccleſiaſtici Principatus deſtrueretur: Romanæ Sedi hoſtium plus æquo ſunt, quam ut debeat civili inter fratres concordia diſcuti: hoc unum, quod ſoli Cardinales eligant ſummum Pontificem* (*) *prævalet infinitis ſpatiis omni digni-*

(*) Hanc prærogativam ſolis Cardinalibus, qui in primitiva Eccleſia ceteris Diaconis, Presbyteris atque Epiſcopis vix non parea

dignitati Ecclesiasticæ. Hac lite utrinque agitata, solemni Senatus decreto proCardinalibus pronuntiatum est, quod tamen Episcopi tam iniquo ferebant animo, ut in eam diem Senatu abstinuerint (*): id vero, cum ab Evangelica humilitate alienum videretur, haud parum displicuit Regi. Sæc. XVII. A. C. 1614.

pares erant. anno Domini millesimo centesimo trigesimo Innocentius III. vindicabat: Reguante quidem Nicolao II. anno 1059. hoc jus solis Cardinalibus Episcopis competebat, salvis tamen Cæsareis juribus: Non desunt etiam undecimi sæculi monumenta, ex quibus constat, quod Cardinales, Episcopis atque Archiepiscopis cesseriut.

(*) De hac tamen prærogativa in Galliis tum Cardinalibus contra Episcopos asserta, haud ineleganter ita subjungit Gramontius Tolosani Senatus Præses: *Certe præcipua Cardinalium dignitas est, in omni loco, ipsisque e Regio Sanguine Principibus magnificum est, Matris reverentia venerari, quos ipsa veneratur: etenim pro diversitate temporum diversa fuit possessio primæ Sedis; ut Principes Sanguinis, ut Cardinales Regum gratia prævaluere; ita jus fuit: Ecclesiæ Principes sunt Cardinales, ab eo Collegio delectus est in primam Sedem, eoque ipsorum caussa tanto est potior, quanto summo Pontifici cedunt Principes.*

Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. XLI.

Comitia Regni Parisiis celebrata.

Hist. du Parlem. cap. 46. Serran. Franc. Hist. Gramond. l. c. Argentré collect. Judic. tom. 2. pag. 94.

Die igitur vigesima septima Octobris, postquam omnes Ordinum Oratores in Augustinianorum Aula convenerant, solemni per urbem supplicatione ad Basilicam Beatæ Virginis datum est comitiis initium. Nunquam major erat confluentium frequentia, nec unquam minor erat comitiorum utilitas: Ex Ecclesiasticorum Ordine, cui Joyosa Cardinalis præerat, convenere centum quadraginta Deputati. Nobilium Ordo, cujus Præses erat, Senescyus Baro ex centum triginta duobus constabat. Robertus vero Mironus Parisiensium Mercatorum Præfectus ac tertii seu plebæi Status Præses agmen ducebat delegatorum centum nonaginta duorum, qui totam referebant nationem. Nondum eo tempore Parisiensis Curia in frequenti hoc consessu Sedis prærogativam habebat, Universitas vero Parisina, ut admitteretur, supplici libello urgebat, quæ tamen petitio velut insolens communi omnium sibillo, effusisque cachinis rejiciebatur. Prima autem comitiorum die Rex in Aula Borbonica hujus conventus causas breviter exposuit, fusius

sius per Cancellarium explanatas. Altera die Ecclesiasticorum Ordo Pauletam (*) legem Reipublicæ maxime nocivam, ac propudiosam abrogari petebat: cum autem Tertius Ordo seu Plebæi, quibus ex hac lege haud exigua accedebat utilitas, hæc in suum præjudicium proponi interpretarentur, potius juramenti religionem, qua se cuncta ad Dei honorem, Ecclesiæ augmentum, Regis obsequium, & Regni tranquillitatem procuraturos spondebant, infringere, quam Ecclesiasticis assentire decreverant. Tantum impedit commune Reipublicæ bonum privati dispendii formido: Ut igitur vicissim Clero molestiam inferrent, mox thesin illam toties agitatam in medium producunt: *nullam esse potestatem in temporalibus supra Regiam, hancque uni immediate Deo subjectam, nullisque obnoxiam interdictis.* Sæc. XVII. A. C. 1614.

(*) Hanc legem excogitabat, rem administrante Sullio Duce, quidam nomine *Pauletus*, cautum ea erat, ut omnes, qui Magistratus quoddam officium obtinuissent, quotannis sexagesimam ex officii sui reditibus partem Regi solverent, eo commodo, ut hoc officium certo transiret ad eorum hæredes, quibus demum integrum foret, illud aut acceptare, aut aliis vendere.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. XLII.

Alia Ordinis Eccleſiaſtici propoſitio circa Concilii Tridentini promulgationem.

Calmet Hiſt. Univerſ. lib. 151.

Interim die ſeptima Novembris Clerus a Rege petebat, ut Tridentina Synodus publice promulgaretur in Galliis, addita tamen hac clauſula: *ſine præjudicio Coronæ Regiæ, libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, privilegiorum & exemptionum, ſi quæ Capitulis, aut Monaſteriis conceſſa, quibus conſervandis ſtudebit impenſius Clerus, habitis in id rei ad Summum Pontificem precibus: quæ privilegia interim ſalva erunt, non obſtante promulgatione Concilii.*

Hanc in rem non minus docte quam eleganter diſſerebat Perronius Cardinalis, declarans, ea, quæ ad fidem ſpectant, jam alias eſſe recepta, a decretis vero circa diſciplinam & reformationem per præfatam clauſulam omne aufferri præjudicium. Nihilominus vehementer obſtabant Plebæi, aſſerentes, hanc Cleri propoſitionem eſſe valde periculoſam, proin, eo ex capite, quod nova & in prioribus comitiis in uſum non deducta ſit, rejiciendam eſſe, aliunde vero ob Calvini ſectam in Regno toleratam novum exin ſchisma pertimeſcendum, ſi Rex Synodi promulgationi

tioni annueret. Albaſpina vero Franciæ Theſaurarius addebat, quod Perronius pridie in conventu declararit, Henricum IV. Regem a Papa cenſuris fuiſſe ſolutum, ea lege, ut præfatam Synodum promulgaret, attento autem Catholicos inter & Hugonottas diſſidii periculo Regem eidem Perronio injunxiſſe, ut hanc conditionem relaxari, Pontifici ſupplicaret. Denique Rex æque ac Regina hanc Cleri petitionem minime gratam habebant, & Clerus ſuam agendi rationem vindicare jubebatur: nec tamen propterea Eccleſiaſticorum conſtantia infringebatur, ſed denuo Synodum cum præfata clauſula in Regno recipi a Rege petebant, addentes, quod Pontifex rogaretur, quatenus coronæ privilegia & libertates Gallis ſartas ſervare velit: Ad hæc verba velut ad claſſicum, tertius Ordo ſeu Plebæi uno ore exclamabant, Regis auctoritatem lædi, hæc jura non a Papa dependere, nec ea eſſe gratias Regi ab eo conceſſas. Inſuper Mironus & Savaronus adverſus Concilii promulgationem nomine tertii Ordinis tam acriter declamabant, ut circa hoc caput Clerus & Nobilium Ordo populi rerum ignari violentiæ atque importunitati cedere cogerentur. „Attamen, „ut ait Gramondus, piorum judicio ni-

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Sæc. XVII. A.C. 1614.

„hil obfuiſſet, promulgare & ſequi rem „Sacram: ſub addita enim clauſula man„ſiſſent privilegia Galliæ, imbuebamur „Concilii Oecumenici doctrina puriſſima, „& ſi quid irrepſerat contra politicas „leges, aut privilegia Regni, explicari „fas erat, aut mutari, prout propone„batur: non hæc Concilio, quod vo„cant, eſſentialia, non hæc de fide: „parerga erant, citra neceſſitatem ad„jecta, quæ nihil vetuit leniri, aut tol„li penitus: quæ contra objiciebantur, „vana erant.

§. XLIII.

Acrior contentio circa Pontificis Poteſtatem in Reges Franciæ.

Gram. l. c. Calmet l. 151. Serran. Franc. Hiſt.

Rurſus quæſtio de ſummi Pontificis in Reges poteſtate ultro citroque cum ingenti animorum contentione agitabatur: Decernebantur perſæpe Cleri Oratores ad tertium Ordinem & a tertio Ordine ad Clerum: ſæpe etiam Aquenſis Archiepiſcopus, necnon Fenolietus Antiſtes Montpeſſulanus in ſuis ſermonibus querebantur, quod Plebæi Theologicarum rerum ignari improbe manum in meſſem alienam mittere præſumerent, *non poteſt*, inquiebant illi, *populus ſuam propoſitionem, qua ſummo Pontifici hanc poteſtatem denegant, pro ar-*

ticulo

ticulo fidei valituram in acta sua referre, sutorum ea ultra crepidam judicia sunt: inconsulto Cleri oraculo narrantur a populo de fide fabulæ, quæstiones autem de fide ad solum Clerum pertinent. His vero Marmiessæus Tolosanus nomine tertii Ordinis, hæc reposuit: non ea tertio Ordini mens est, ut fidei præcepta distribuat: Clero competit Evangelii prædicatio: Ast plura fidei insunt, quasi parerga in dignitatem ipsius extrinsecam adinventa: habebimus ea, quæ de fide sunt, salva & intacta, intacta autem fide possunt disciplina, jurisdictio, & pleraque his similia attingi, quorum aliqua quandoque diversis ab antiquo usibus in prava degeneravisse constat. Plura equidem his addidit Orator, cui tamen Montpessulanus Antistes paucis respondit, idipsum nosse, an propositæ quæstiones fidem non attingant, negotium esse Ecclesiasticum a laicorum foro alienum. Nihilominus denuo prævaluit Clero populus, qui tanquam leges, ut vocabant *fundamentales*, seu nunquam mutabiles stabiliri petiit hæc tria. Sæc. XVII. A. C. 1614.

I. *Sacrilegium esse, Reges, unctos Dei, quocunque prætextu occidere.*

II. *Debitam uni Deo immediate Regum in subditos potestatem.*

III. *Nullis Sedis Apostolicæ interdictis subja-*

Sæc. XVII. A.C. 1614. *subjacere imperia Regum, subditosque nunquam exsolvi posse Sacramento fidei.*

Primæ huic assertioni assensit Ecclesiasticorum ac Nobilium Ordo, eamque Romanæ Ecclesiæ sententiam esse, semperque fuisse comprobatum reddebat Cardinalis Rupifacaldius, maxime ex novissima censura, qua condemnabatur Becani Jesuitæ liber, Regicidas impune in Regum capita provocans: Commendabat etiam Concilii Constantiensis decretum Sessione decima quinta promulgatum. Secundæ autem & tertiæ propositioni interceſſere duo primi Ordines, Ecclesiasticorum & Nobilium: eas de fide esse negabant omnes, secundam quippe politicam, & si de Gallis regibus loquatur, veram, dubiam vero & plerumque falsam esse, si de Principum promiscue omnium in subditos potestate intelligeretur. Soli tamen laici ac plebæi importunius instabant, petentes, ut trinæ hæ leges ab omnibus Ordinum Deputatis, & deinceps a cunctis Beneficia vel Regni munia possidentibus jure jurando, appositoque chirographo & sigillo firmentur: adversa autem opinio tanquam impia, abominanda, veritati, & Gallici Regni, quod immediate a solo Deo dependet, institutioni contraria damnetur.

§. XLIV.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. XLIV.

Perronii Cardinalis oratio pro auctoritate Sedis Apostolicæ.

Hæc controversia ingenti strepitu utrinque ab Oratoribus agitabatur, nullo tamen in Regni utilitatem ex hac quæstionum vanitate proventu, in quo vel maxime carpendi Ordinum Delegati, qui non eo fine ad comitia fuere vocati, ut trium Franciæ Ordinum conventus transferrent in Scholasticorum altercationes. Inter ceteros vero tam Ecclesiasticos quam Nobiles, elegantius, magisque erudite pro Pontificia auctoritate nemo unus perorabat præter doctissimum Cardinalem Perronium, qui die vigesima nona Novembris in Nobilium conventu hæc exposuit: „Propo„sitio secunda nequaquam de fide est, „ex Innocentii autem tertii rescripto „asserentis, *Regem Galliæ nulli in profa„nis esse subjectum*, nil aliud concluditur, „quam quod hæc assertio sit historica, „secus omnia in Decretalibus contenta „habenda essent de fide. Circa ter„tiam propositionem, cum in quibus„dam casibus Pontifex in Regum sce„ptra potestatem habeat, contraria opi„nio præpostere velut de fide proponi„tur, sed vix problematica dici valet, cum

Hist. du Parlem. c. 46; Calmet hist. Univers. lib. 151.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

„cum ea omnino nova sit, Luthero & „Calvino fautoribus nuper nata: Porro „Galliæ Reges, dum throno inaugurantur, Sacramento vinciuntur pellendi „Regno suo hæreticos, ergo si juratam „fidem, in hæresin prolapsi, frangerent, „si hæresiarcharum fautores, si novi „dogmatis assertores efficerentur, si „Ottomanicæ superstitioni nomen darent, nonne ad Christi Vicarium pertineret, perjurii pœna & Dominici „ovilis custodia. Hæc communis omni „ævo fuit sententia, & hodiedum ubique est, excepta Gallia. Ipsi quoque „Gallici Doctores, qui hanc Pontifici „potestatem denegant, nunquam suam „opinionem pro dogmate fidei vendi„tarunt, sed veram & politicam duntaxat asseruerunt. Exemplis etiam „plenæ sunt Historiæ: sic S. Ambrosius „Theodosium Imperatorem anathemate „perculit, Euphemius Patriarcha Con„stantinopolitanus Anastasio obsequium „negavit, acriter eidem Symachus Pa„pa restitit, Papa Clotarium Galliæ „Regem, Justinianum II. & Philippi„cum Imperatores punivit, Gregorius II. „Leonem Isauricum Iconoclastarum fau„torem imperio dejecit. Sic Romana „Sedes Carolum Magnum ad Occiden„tis Imperium evexit, Childericum, „substituto Pipino, regno dejecit, Phi„lippum I.

„lippum I. ab Eccleſia ſemovit, Hen- Sæc. XVII.
„ricum IV. Cæſarem, Philippum, Joan- A. C. 1614.
„nem Othonem, Raimundum Toloſa-
„num, Fridericum II. Petrum Arrago-
„nium & Petrum Caſtellæ Regem ob
„hæreſes, aliaque crimina anathema-
„tis pœna mulctavit, ſubditosque fidei
„Sacramento ſolvit, agnoſcens tamen,
„quod nullam in eos haberet poteſta-
„tem, niſi ei data eſſet deſuper. Poſt-
modum Perronius Theologos & Jure-
conſultos non modo exteros, ſed &
Gallos, proin minime ſuſpectos longe
ſerie producebat, ex quorum teſti-
moniis comprobatum reddebat, quod
„Papa juxta eorum ſententiam lapſis in
„hæreſin Regibus, vel fidei hoſtibus
„communione interdicere poſſit & Re-
„gno: abſurda igitur eſt ſententia, quæ
„contrarium velut *de fide* promulgat,
„cui veterum ſubſcripſit nemo, recen-
„tiorum ex Gallis pauci: unde ad ſum-
„mum tanquam theſis politica defendi
„poſſet problematice (*).„

His

(*) Cum enim Reges nec ab inauguratione nec a fide Orthodoxa, regiam habeant poteſtatem, & antiquis temporibus etiam Chriſtiani Ethnicis & hæreticis Principibus obſequium præſtiterint, ac ipſa Religio vim legum civilium haud enervare videatur, proin aliquis

Sæc. XVII. A. C. 1614.

„His subjungebat Perronius, quod „hic error primum Henrico VIII. Anglíæ Regi viam aperuerit ad schisma, „& usurpanda Sedis Apostolicæ jura: „hæc nova quoque opinio non aliud „præcinat, quam apertam rebellionem „in solium Petri: non autem nova o„pus esset condemnatione, ajebat Car„dinalis, quia jam diu hoc dogma, „uti de fide orthodoxa proponitur, Apo„stolico rescripto damnatum, & ut hæ„reticum est pronuntiatum. Tolerat „igitur Clerus Gallicanus, hanc Thesin „problematice defendi, quo fiat satis „& Ecclesiasticæ, & profanæ auctori„tati, de cetero non ea mens esset Regi „Christianissimo, ut Sedi Apostolicæ „obluctari velit, neque sub tanto Rege „timenda forent interdicta, qui nedum „Ecclesiæ Filius, sed &, protector & „liberator esset, haud ignarus, quod hæc „thesis Salmurii & in Anglia ab Hugo„nottis fuerit eo fine excogitata, ut „Franciæ Ecclesiam ad idem schisma & sta-

quis etiam in hæresin lapsus adhuc hæres censeatur Patris sui, multique Pontifices non sacris fulminibus, sed precibus monitisque perversos Principes ad Saniora reducere conati sint, censentes, non semper expedire, quæ fors licent, hinc merito Perronius hanc Sententiam ad problema revocabat.

„& ſtatum, in quo Anglicana Eccleſia „gemiſcit, redigere. Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. XLV.

Tertii Ordinis reſponſum ad Perronii Cardinalis orationem.

Abſoluta Perronii Cardinalis oratione Tertii Ordinis Oratores pro ſua theſi, quicquid ex antiquitate Hiſtorica aptum, invenire poterant, ſtudioſe conquirebant, præprimis recens quoddam reſcriptum proferentes, quo trecentis abhinc annis in Franciæ comitiis declaratum fuit, quod *ab omni tempore dicatur Galliæ Regnum Deo uni ſubditum in temporalibus.* Hanc vero opinionem „ſuam variis confirmabant exemplis, ac „doctrinis, aſſerentes, Chriſtum diver„ſas a gladio habuiſſe claves, Petrum„que fuiſſe juſſum, mittere gladium in „vaginam, Eccleſiam in volentes ſuum „exercere imperium, plebeios in ido„lolatriam lapſos non ſpoliaſſe bonis ſuis, „minus ergo Reges. Chriſtum reſpon„diſſe Pilato, Regnum ſuum non eſſe de „hoc mundo: Chriſti ævo tyrannos fuiſ„ſe Cæſares, & tamen Chriſtum di„xiſſe: *Reddite Cæſari &c.* Martyres in „Tyrannos, qui eos ad Idolorum cul„tum impuliſſent, non fuiſſe graſſatos; „Principibus etiam diſcolis deberi ob-

Calmet Hiſt. Univerſ. l. 151 pag. 257.

Sæc. XVII. A.C. 1614. „sequium, D. Paulum docuisse verbo „& exemplo: posse Pontifices in dijudicandis Regum gestis decipi, illis ex „privato odio adversari &c.„ Hanc in rem decantatam proferebant fabulam de Alexandro III. qui pedem collo Friderici III. imposuisse narratur. Addebant postea, solum Deum esse Regum Judicem juxta illud: *Tibi soli peccavi*: subscribi a Clero Gallicano Concilii Constantiensis doctrinæ, qua Reges etsi, tyranni forent, occidi vetantur: vix quoque fieri posse, ut Regi corona adimeretur, quin non ei adimeretur simul & vita, si enim depositus esset, non amplius illum fore Regem, & si pro suo Regno decertaret, fore rebellem morte dignum, & si Ecclesia posset illum Regno spoliare, fortiori jure reliquos omnes homines ab eadem Ecclesia, bonis suis spoliari posse.

Postea declarabant, quod tertius Ordo nunquam hanc Thesin proposuerit tanquam credendam de fide, sed unice tanquam *politicam* Magistratus doctrinam: Pontifex autem queri non possit, si *politice* credatur; sicut enim Rex non habet jurisdictionem in Papam, ita nec Papa in Regem, ut Regem. Ad exempla vero a Perronio allata respondebant, quod Childericus Rex non a Papa, sed a comitiis fuerit regno spoliatus,

liatus, (qua ratione autem Regni Ordines in comitiis Regem ſuum ſpoliare potuerunt Regno, quod a ſolo Deo ſe accepiſſe profitetur?) Philippum vero & Ludovicum XII. contra Boniſacium & Julium Pontifices reclamaſſe ajebant. Sæc. XVII. Sæc. 1614.

His igitur Regis auctoritatem vindicabat tertius Ordo. Ceterum ipſe Jacobus I. Angliæ Rex Perronii Cardinalis orationem confutare nitebatur, transmiſſa *de Jure Regis* in Gallias lucubratione, quæ in operibus Regiis præfati Jacobi Regis fol. 193. reperitur.

§. XLVI.

Pariſienſis Curiæ Patres Tertii Ordinis ſententiæ adſtipulantes.

Quamvis Pariſienſis Parlamenti ſeu Curiæ Senatores ad hæc comitia admiſſi non fuerint, minime tamen ſat propitiam novo Regi adulandi occaſionem fore negligendam cenſebant; quocirca percepta Eccleſiaſticos inter & Plebeios contentione circa Pontificis auctoritatem, die decima tertia Decembris a Regio Senatu petebant, ut hæc dogmata *omni tempore*, ut ajebant, *in Galliis recepta, & Regno congenita* pro tuenda Regis vita, pace & tranquillitate publica confirmare, necnon illas innovare pœnas velit, quæ in pluribus

Calmet hiſt. Univ. l. 151. *Argentre coll. Jud. tom.* 2. *p.* 95. *Commen. Cler. Gall. p.* 570.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

dictis jamjam quinquaginta tribus abhinc annis contra ejusmodi transgressores decretæ fuerunt. Annuit Curia, quæ paulopost hanc in rem sequens promulgari jussit dictum: *Rogante Servino Procuratore Regio Senatus censuit, pro lege politica, Regnique fundamentali habendum posthac, quod Rex Galliæ unius Dei Beneficio regnet, & quod neminem in temporalibus superiorem se agnoscat, necnon quod sacrum sit ipsius caput, adeo, ut nemini liceat, quocunque obtentu, quicquam adversus eum moliri.* Verum hoc Senatus dictum graviter tulit Clerus, questus, quod Parlamentum, cujus tamen jurisdictio, comitiis Galliæ convocatis, cessat, omneque jus Regium in ipsa translatum censetur, ultro tamen nec interpellatum, partes suas interponere præsumpsisset: præcipue vero cum Nobiles in eandem quoque sententiam cum Clero iverint, proin non essent pro lege assumendæ propositiones, quas popularis Ordo proposuit, sed æquius videretur, quod duorum Ordinum suffragia uni soli prævalerent, de cetero autem id juris neutiquam sit Parlamento, ut comitiorum generalium decretis intercedat, cum summum jus, pro Republica decernere, *sub Regis placito* solis Ordinibus competat. Suffragabatur pariter Clero Sedis Apostolicæ Nuntius,

tius, qui Pontificis auctoritatem, quam hac ratione læsam credebat, pro viribus vindicare nitebatur. Exinde vero haud procul aberat, quin in altercationem abiisset hæc disputatio, nisi Cardinalis Surdisius ad Regem ablegatus obtinuisset, ut propositiones Tertii Ordinis in suppenso haberentur, donec opportuniori tempore discussæ, aut in legem abirent, aut penitus abrogarentur: Ceterum Rex interim Senatus edicto die sexta Januarii anni sequentis hujus causæ cognitionem sibi reservabat. Nihilominus, cum Parlamento hæc Regis sententia minime arrideret, præfatum suum decretum prælo dare, ac per urbem, Regnumque dispergere attentabat, approbante id imperita plebe: Haud parum ejusmodi temeritas displicuit Regi, qui mox decretum suum novo diplomate Regio confirmans, typographum promeritæ pœnæ subjici jussit, quamvis id ægre Parlamentum, & Ordo popularis ferret. Hic denique erat exitus acerrimæ hujus contentionis, intempestive nimis ab Ordine Tertio concitatæ, quæ tamdiu sopita jacebat, donec Clerus in comitiis suis congregatus anno Christi millesimo sexcentesimo octogesimo secundo, annuente etiam Bossutio, orationem Cardinalis Peronii ex suis commentariis deleverat. Sæc. XVII. A. C. 1614.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. XLVII.

Irritus Comitiorum successus.

Gramond. l. c. Serran. hist. Franc. pag. 927.

His utcunque complanatis, Nobilium Ordo fervide insistebat, ut noxia lex, vulgo *Pauleta* dicta, qua Reipublicæ munera vendere licuit, abrogaretur: rursus tamen vehementer reclamabat Ordo popularis, apud quem plerumque propria utilitas æquitati ac justitiæ prævalere solet; ut vero hujus Ordinis Oratores saltem Clerum ad suas partes pertrahere possent, eidem exponebant, quod & ipsi Tridentinæ Synodi auctoritatem in Galliis saltem populi assensu salvam habere vellent, dummodo Clerus vicissim articulum de abrogando Pontificis jure admitteret: verum subdola horum nundinatio ac pollicitatio, quæ tamen ad nutum impune violari potuisset, nimium infirma erat, ut Præsulum constantiam infringeret. Præsules tamen ultimum arietem pro obtinenda Concilii Tridentini promulgatione admovere tentabant, misso hanc in rem ad Tertii Ordinis Deputatos Bellovacensi Episcopo, qui tamen populares animos ab hoc proposito longe alienos experiebatur. Insuper etiam die decima nona Februarii Nobilium Ordo Clero Gallicano significabat, quod nec ipsi piis eorum desideriis satisfa-

tisfacere auderent, eo potissimum nomine, quod plures Ludovici XIII. Regis Prædecessores sese huic promulgationi disertis verbis opposuissent. Tandem igitur die vigesima tertia Februarii anni sequentis clauso Borbonico Palatio, in quo comitia habita fuere, cuncta a tribus Ordinibus concluſa eo fine prælegebantur, ut postea Regi offerrentur approbanda, simulque confirmanda. Hanc in rem seligebantur Oratores, & quidem a Clero Armandus Richelius Episcopus tunc Lucionensis, a Nobilitate Sanassæus Baro, denique a populo Mironus Præses. Placitorum autem hæc erat summa. I. *Jus, quod vocant, annuum, seu PAULETA, cujus usus virtuti, literisque pernicioſus est, revocetur, ac Regiæ domus & militiæ officia hucusque venalia, deinceps distribuantur pro meritis, & stipendii numero.* Hæc tamen lex haud inhibere potuit, quin non officiorum nundinatio adhuc viguerit, ac hodiedum vigeat. II. *Beneficia Ecclesiastica Viris probis, sola virtutis & doctrinæ habita ratione conferantur.* III. *Profusæ in Primores, quandoque immeritos, pensiones minuantur, si non omnino eas extingui præplaceat.* His plurima alia adjuncta erant decreta, quæ libello comprehensa Richelius, per integram ferme horam perorans, Regi exhibebar, ac-

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

cepto haud alio reſponſo, niſi Regem daturum operam, ut inſpectis Ordinum libellis, quamprimum fieri poſſet, reſponderetur: tandem vero die vigeſima quarta Martii Cancellarius nomine Regis eidem declarabat: *Libellos eorum perlectos eſſe ſedulo, ſed tantam eſſe rerum varietatem atque multitudinem, in plerisque etiam contrarietatem, ut tantillo tempore pro rei exigentia excuti omnia non potuerint, cum igitur in præcipuis capitibus Regis propenſum animum, affectumque claris ſignis perſpexiſſent, non eſſe, cur de minoribus dubitarent, conſtituiſſe Regem venditionibus, emptionibusque officiorum modum ponere, aut ſi opus ſit, morem eum omnino tollere: quæſturam fiſcumque ſecundum leges conſtitutum iri:* ad cetera Cancellarius eos, quamprimum fieri poſſet, reſponſum exſpectare jubebat.

§. XLVIII.

Gramondi judicium de hiſce comitiis.

Gramond. ad ann. 1614. pag. 76.

Accepto hoc reſponſo trium Ordinum Delegati ſolutis comitiis ad ſua reverſi ſunt, haud alio tamen emolumento, niſi quod immenſis ſumptibus plurimas proponere querelas potuerint, nullum vero remedium, ſed res magis adhuc turbatas reliquerint, nihilque pro utilitate populi, aut Regni ſalute, recta-

rectaque administratione stabilitum viderint: Haud ingratum erit percipere criticum de his comitiis judicium Scriptoris cujusdam Galli, Gabrielis Bartholomæi Gramondi, in sacro Regis Senatu Consiliarii, atque in Parlamento Tolosano Præsidis, qui ita differit: *Legibus in hoc conventu sancitis, ac repente pravo usu abrogatis, ut Galli sumus, vidit deteriora ætas sequens, adeo, ut comitiis, a nobis nihil debitum dici possit, præter immensos sumptus, quos Gallia pro amplissimo cætu impendit. Necdum excesserat annus, cum jus annuum, cum officiorum forensium & militarium commercia, cum pensiones valuere ut ante, prævalente apud omnes contemptu legum. Acta hæc exeunte anno millesimo sexcentesimo decimo quarto, & ineunte millesimo sexcentesimo decimo quinto, inutilis plane, versoque in contrarium effectu, Comitiorum convocatio fuit: haud dicere pigebit in transitu, non egere Galliam novis legibus, quas Regni Comitia, quas Reges dicant: quid enim aliud est leges constituere, statim pravo usu abrogandas, quam nomen Regium, quod præseferunt, habere in ludibrium? quos Autores legum agnoscimus, iidem sæpe subversores sunt. Ordinationum volumina habemus ad nauseam & adhuc patimur leges quotidie novas, paucis sæpe remediis, & levioribus curabis morbum, quem multitudo procurat, & auget.*

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

get. *Ita quæ tuemur legibus, per leges amittimus; qui cibis ingurgitatus, deceſſit alimento; adeo moderatione valemus: certe melius conſuleretur Galliæ, penuria legum, quæ eo facilius obſervarentur, quo plenius innoteſcerent. Legum molle obruitur populus, anxioque in valentes, aut abrogatas judicio, abdicat omnes; ut legibus laborare dici poſſit, perinde ac malis.* Hæc ille.

§. XLIX.

Inutiles conatus Pariſinæ Univerſitatis.

Calmet l. c. Argentre tom. 2. Collect. jud. pag. 94.

Univerſitatem Pariſinam a comitiis fuiſſe excluſam, jam ſupra meminimus, nihilominus tamen quædam Facultates, præcipue Artium, ſuas querelas congregatis Ordinibus exponere meditabantur, hancque in rem plures conficiebant libellos ad Ordinum comitia deferendos. Verum Facultas Theologica in Sorbonæ aula, habito conventu die decima ſeptima Decembris, rebus utrinque mature ponderatis, cenſuit, quod quidem Facultati artium liberum eſſet, ut ſuo ſolo, non autem Univerſitatis nomine præfatos libellos porrigere valeat, illis tamen Facultas theologica minime ſubſcriberet, nec ipſa pro ſe ejusmodi libellum confice-

ret,

ret, eoquod *satis ampla essent summorum Pontificum privilegia, tot & tanta Regia diplomata, Sanctissima supremi Senatus Decreta, insuper & Statuta prudentissime Sanctissimeque sancita haberet Facultas. Quodque si aliquid deesset ad Ordinis Theologici splendorem, & privilegiorum conservationem, deberet ipsa facultas Regiam adire Majestatem, quam semper propitiam & præsentissimam inveniet:* Sæc. XVII. A.C. 1614.

Nihilominus Solmonius Universitatis Rector quibusdam Theologiæ Doctoribus, ac tribus aliis Facultatibus eidem suffragantibus plebei Ordinis Deputatos accessit, in lingua Gallica exponens, quod Universitas, quæ alias ceteris omnibus eminuit, ac primogenita Regis Filia nominata est, nunc ad tam miseram redacta sit conditionem, ut quamvis in omnibus comitiis in Francia celebratis gravaminum suorum libellos porrigere permissa fuerit, nunc se excluſam doleat: his expositis Rector hosce Deputatos rogabat, ut ipsi saltem Facultatum libellos, quos tum eis porrigebat, acceptare dignarentur. Verum Mironus Tertii Ordinis Præses eum ad Ecclesiasticorum Ordinem remittebat, quo eum pariter jam antea Mense Novembri Senatus edito decreto recurrere jusserat, eoquod Universitas hujus Corporis membrum esset. Attamen

Sæc. XVII. A. C. 1614.

men Ecclesiastici Ordinis Deputatis multum displicuit hæc Rectoris temeritas, cum non ad ipsum, sed ad Clericorum Ordinem spectaret, ejusmodi libellos comitiis porrigere: Rector tamen in quodam conventu apud Mathurinos die quinta Decembris habito suum prælegebat libellum, in quo plurima petebat, & de multis querebatur, quæ tamen omnia sexaginta articulis comprehensa a Facultatis Doctoribus fuere rejecta: Toties iterata repulsa tantopere commoverat Rectorem, ut suum libellum invitis etiam Facultatum Decanis urgere decerneret: Igitur decima nona Januarii die, nonnisi octo Facultatum membris eum comitantibus, Ecclesiasticorum Ordini suum offerebat libellum, in quo præter alia speciatim duo articuli his verbis concepti legebantur: Rogamus Regiam Majestatem, ut omnes Beneficiati, Ministri & Universitatis subditi, omnesque Ordinum Superiores tam Regulares quam Laici jurato profiteantur. 1. Quod Rex in suo Regno & temporalibus Dominus sit independens, & nec ipse exauctorari, nec ejus subditi ab obsequio solvi valerent, sed Regi suo debitam semper obedientiam profiterentur, atque sponderent, quod hanc subjectionem tam publice quam privatim observare, prædica-

dicare & docere velint. II. A quibusdam Theologiæ Doctoribus a Rege seligendis conficiatur Index librorum prohibitorum. Cum autem Rectoris petita a Sorbonæ Doctoribus fuissent rejecta, hinc pariter Ecclesiasticus Ordo nullum ad ejus postulata responsum dedit, sed duntaxat libellis, quos Regi porrexerat, articulum inseruit, circa ea, in quibus Rector emendationem Universitatis petebat. Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. L.

Pontificis literæ ad Ecclesiasticorum & Nobilium Ordines.

Obstiterant, ut memoravimus, in hisce comitiis vehementissime Nobiles atque Ecclesiastici, ne Tertii Ordinis propositio prævaleret; unaomnes enim sibi persuasissimum habebant, quod, nisi Religionis Sanctitas, Divinæ, Ecclesiasticæ & politicæ vindictæ timor, Sacratæ Majestatis reverentia, & patriæ amor sceleratos aut fanaticos a nefando parricidii scelere cohibeant, nimium inefficax remedium quæreretur in abrogata quadam Pontificiæ jurisdictionis parte, præcipue cum tertii Ordinis Oratores nullum, qui omnino ex Imperatoribus, Regibus, vel Principibus a Papa exauctoratus dicitur, ostendere potue- *Calmet Hist. Univ. l.* 151.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

potuerint, qui occasione hujus depositionis fuisset trucidatus: nec ullo unquam tempore Ecclesia definierit, quod ejus Capiti in Regum vitam & Regna jus competat. Percepta autem Præsulum pertinacia, qua sese Tertii Ordinis postulato opposuerant, haud modice gavisus est Paulus V. Pontifex Maximus, qui ea de re Universo Clero Gallicano grates rependit, transmissis ad eum Apostolicis literis, quas Præsulibus congregatis Sedis Pontificiæ Nuntius lætanter tradebat; mox vero universus Ecclesiasticorum Ordo responsum omni submissione atque obsequio plenum ad Papam dedit, spondens, quod cunctis, quos fidei hostes moturi essent, ausibus fortiter sese opponere, atque in Ecclesiæ triumphum vertere velit. Pariter non minus obsequiosum rescriptum Pontifex ad Nobilium Ordinem hanc in rem transmisit; de ejus tamen responso nihil nobis constat.

§. LI.

Regressus Wolfgangi Guilielmi Ducis Neoburgici ad fidem Catholicam.

Carafa Germ. Sacr. pag. 52. Janson. Contin. p. 443. l. 5. tom. 7.

Solida magis lætitia Catholicam Ecclesiam, ejusque supremum Pastorem ac Pontificem Paulum V. affecerat

since-

sincera Lutheranæ sectæ abjuratio, qua facta Comes Palatinus Rheni, Dux Wolfgangus Guilielmus Neoburgicus ad Danubium Princeps die vigesima quinta Maij, Dusseldorpii publice Orthodoxum se professus est. Jam dudum huic Principi Lutheri sordes, quarum lutulentam farraginem in ejus libris olfecerat, desipere incipiebant, magis autem suorum Pastorum doctrinam sibi suspectam habebat, postquam in utroque Ratisbonensi Colloquio eorum fraudes & prævaricationes coram audiisset, atque ex lectione librorum Catholicorum veræ Ecclesiæ antiquitatem, sanctitatem, concordiam ceterasque illius præclarissimas dotes perspectas habuisset. Ne vero tum illico Religionem, quam animo amplexatus erat, exterius profiteretur, obstabat adhuc Parentum, amicorum, Principumque offensa, sectariorum oblocutio, inconstantiæ suspicio, tumultus formido, atque insidiarum periculum. Tandem vero, cum veræ fidei luci haud ultra oculos occludere posset, unacum conjuge sua Dusseldorpium contendit, ubi a Præcone Lutherano, quod integro abhinc anno, & ne paschate quidem ad Cœnam Dominicam accessisset, interpellatus, proxima die Dominica se accessurum respondit: Enimvero dicta die, quæ

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Merc. Gall. tom. 10. l. 2.

Vid. Supra Lib. CLXXXV. §. 35.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

quæ Triadi Sanctiſſimæ Sacra erat, detracta larva, editaque publice fidei Catholicæ Profeſſione SS. Euchariſtiæ Sacramentum e manibus Pro-Epiſcopi Colonienſis unacum uxore ſua in Parochiali Templo recepit, Lutheranis fanatico furore percitis, & gaudio exultantibus Catholicis. Habita deinde eſt ab ejusdem Eccleſiæ Decano perelegans Concio ex Joannis capite tertio, in qua ſimul etiam cauſſæ, cur Dux ad Romanæ Eccleſiæ caſtra redierit, exponebantur: Poſtea pomeridiano tempore Wolfgangus Chrismatis Sacramento publice fuit confirmatus, & quarto poſt die, quem auguſtiſſimo atque anniverſario ritu, Sanctiſſimo Chriſti Corpori Sacrum voluit Eccleſia, ipſus nudato capite cereum ardentem manu geſtans devotiſſime publicam ſupplicationem comitabatur. Hæc ubi inaudiit Philippus Ludovicus Ducis Parens, rem ægerrime ferebat, nec tamen ejus preces aut minæ animi conſtantiam frangere, aut eum impedire poterant, quo minus, Jacobo Hailbrunnero, Lutherano Concionatore aulico unacum Lutheri Bibliis abire juſſo, Palatii ſui Sacellum Sacerdotibus Catholicis traderet, & poſt trimeſtre mortuo ſuo Patre, in Ducatum Neoburgicum Catholicam fidem poſtliminio reduceret. Hanc

in

in rem Provinciæ comitia indixerat, in quibus Religionis cauſſam potenter agens, cunctos ad exempli ſui imitationem hortabatur, nonnullos vero, quos ſectæ ſuæ fanatismo abreptos ad ſeditionem pronos experiebatur, aula exactos Officiis etiam ſuis amovebat, ejus vero Matri, quæ vehementer commota erat, plus Deo quam Parentibus obtemperandum reſpondens, ſuæ ſectæ libertatem in aliquo arcis cœnaculo exercendam reliquit, ille autem ad arcem Hochſtadianam diſceſſit, Fratrum vero alter Solisbacum, alter Hilpolſteinium, ditionem, teſtamento Patris eidem deſignatam contendit. Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. LII.

Wolfgangi Ducis edictum de non turbandis in Religione ſubditis.

Cum Wolfgangus Dux inſperatam hanc Religionis mutationem ſuis non modo Aulicis, ac Conſiliariis, ſed & Regionum iſtarum incolis Lutheranæ ſectæ addictis haud gratam fore, probe cognoſceret, ut turbas inde orituras præverteret, ſuosque ſubditos præcipue Juliacenſes in Officio contineret, edictum de non turbandis in Religione ſubditis die decima quarta Junii promulgabat, hujus tenoris: „Non modo *Merc. Gall. tom. 10. l. 2.*

Sæc. XVII A. C. 1614.

„ad me delatum fuit, sed ipsus etiam „animadverti, quod nonnulli ex meis „Consiliariis, Præfectis & Ministris, a„liisque subditis ob Christianam meam „conversionem & publicam fidei profes„sionem, transitumque ad veterem Ro„manam Ecclesiam valde perturbati, ac „solliciti sint, quasi ob cognitam per„spectamque Religionum differentiam, „eos in usu Religionis suæ minime con„servaturus, sed conscientiis vim illa„turus, atque ad alterius Religionis „confessionem amplectendam adacturus „sim: cum igitur magna inde altercatio, fidelitatis, atque obsequii mihi „debiti mutatio, potissimum periculo„sis temporibus fieri facile posset, mihi „vero tale quid in mentem nunquam „venerit, testatum facio publicis hisce „literis, quod a pactis, mutuisque ob„ligationibus, non modo non discedere, „sed illis etiam, qui inde discesserint, „omnibus viribus repugnare, quæ con„tra attentata sunt, hactenus, abroga„re, measque actiones ad Divini No„minis gloriam, patriæ salutem, &ju„stitiæ omnibus ex æquo, sineque ullo „Religionis respectu administrandæ con„servationem dirigere decreverim. Spe„ro autem, omnes in fide & obedientia „mihi debita constanter permansuros, „hos vero, qui contrarium facturi, &

„ab

„ab obsequio fideque debita defecturi Sæc. XVII.
„sint, beneficiis & privilegiis vel ab A. C. 1614.
„Antecessoribus meis acceptis vel aquisitis haud quaquam amplius fruituros.„ Quoniam vero prudentissimus Princeps frequenti experientia compertum habebat, quod subditos a sua Religione alienos, Ministellis identidem seditionis flammas sufflantibus, in officio haud diu continere posset, hinc iis abactis Parochias a Sacerdotibus Catholicis administrari jussit, prævalente ejus constantia Provincialium oppositioni ac contumaciæ.

Sub idem tempus, Brandeburgicus Princeps, qui pariter eliminato Luthero Calvini sectam in Juliacensi Ducatu introductere decreverat, promulgato edicto quemlibet in sua Religione conservaturum pollicebatur.

§. LIII.

Wolfgangi Principis fundamenta pro amplectenda Religione Catholica.

Tam fervida ac sincera Neoburgici Ducis conversio non modo ingentem admirationem, sed & iniquam indignationem, ac fallacem suspicionem in Calvinistarum ac præcipue Lutheranorum animis pepererat: Unde ex illis nonnulli temeritate haud toleranda *Reihing Mur. Civit. Sanct. p. 3.*

Sæc. XVII. A. C. 1614.

scribere non dubitabant, quod hic Princeps ab Augustana Confessione, quam a teneris probe norat, & valde suspexit, atque impense coluit, ad Catholicos transierit, ut *increscentibus de Juliacensi ditione dissidiis eo certius Ligam Catholicam in auxiliis haberet:* Præterea alii spargerent, quod hunc Principem alias ingenio magno, ætate maturo, judicio firmo, modestia ac prudentia singulari commendabilem non convincens veritas, sed blandiens fortuna, & Conjugis suæ importunitas ad hunc transitum impulerit. Hac ergo judiciorum iniquitate commotus Princeps genuinas mutatæ Religionis causas ipsus strictim conscribere, ac typis vulgari voluit. Erant autem sequentes hæ duodecim. I. *Principio comperi, Catholicorum doctrinæ, multa ab adversariis vane, falsoque imponi, & illos longe alia, aliterque docere, quam isti fingunt.* II. *Cum omnes nunc sectæ tanto numero, Scripturam Sacram tanquam unicam suæ fidei normam jactitent, & tamen non nisi una fides vera esse possit: securius & solidius medium veritatem cognoscendi nullum reperire potui, quam Ecclesiæ Catholicæ per omnes ætates consentiens in Scripturis interpretandis, & rebus fidei declarandis Magisterium.* III. *Cum Christus Dominus Apostolos ad fundandas in toto orbe Ecclesias miserit, dicens: Sicut*

Sæc. XVII. A. C. 1614.

cut misit me Pater, & ego mitto vos: illisque auctoritatem magisterii maximam dederit, cum dixit: Qui vos audit, me audit: Apostoli vero potestatem prædicandi, peccata remittendi, Sacramenta dispensandi, ipsam doctrinam a Christo acceptam, Successoribus suis, ab iisdem in alios atque alios, continua serie ad nos usque derivandam communicarint, unde etiam sive ab Apostolis, & Apostolicis viris fundatæ, sive ex talibus propagatæ Ecclesiæ ob eandem originem Apostolicæ dictæ sunt: Apostolicam Ecclesiam mihi tanquam fidei Magistram audiendam esse concluси. Quia vero tot hodie Sectæ tam inter se pugnantes, tanquam Apostolicæ doctrinæ Custodes, Apostolicæ Ecclesiæ nomen sibi arrogant; quæ tamen omnes legitimorum pastorum successione carentes suam originem ad Apostolos referre nequaquam possunt, non potui non Ecclesiam Catholicam tanquam vere Apostolicam sequi, quæ continuam legitimorum pastorum seriem & eandem semper, ac immutatam doctrinam ab Apostolis hucusque retinuit. IV. Cum præterea ex sacris Scripturis apertissimum sit, ad unitatem conservandam, Petrum ceteris Apostolis præpositum, eique a Christo supremam Vicariam, Ecclesiæ regendæ potestatem in perpetuum, non solum illis verbis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ

Sæc. XVII. A. C. 1614.

inſeri non prævalebunt adverſus eam &c. promiſſam, ſed etiam poſt reſurrectionem illis: paſce agnos meos, paſce oves meas, reipſa collatam fuiſſe: hanc vero Petri poteſtatem cum omni antiquitate Catholici agnoſcant & venerentur; ſectæ autem hodie omnes a Catholicis aliencæ pernegent atque contemnant, non potui non iſtis relictis in Catholicorum partes tranſire. V. *Plurimum vero ad Romanam Eccleſiam, quam Magiſtram fidei ſequendam, me permovit evidentiſſima Romanæ Cathedræ a Sancto Petro usque ad hunc Paulum V. per tot ſecula continuata, tum eadem ſemper doctrinæ ſucceſſio, qua etiam olim Sancti Patres cum nondum tanta eſſet, tanquam validiſſimo telo adverſus omnes hæreſes uſi ſunt.* VI. *Accedit maxima omnium Generalium Conciliorum auctoritas, in quibus Epiſcopi plurimi totius Eccleſiæ Catholicæ, in Spiritu Sancto legitime congregati; ſemper & Romanum Pontificem ſupremum Præſidem agnoverunt, & eandem fidei doctrinam, quæ etiamnum apud Catholicos conſervatur, contrariis hæreſibus proſcriptis, ac damnatis tradiderunt.* VII. *Et Patres quoque tum antiquitate, tum Sanctitate venerandi, doctrinam Catholicam in ſacris Conciliis traditam amplexi, ſcriptis clariſſime illuſtrarunt, & contra hæreſes conſtantiſſime defenderunt: quin etiam in quibuscunque exortis controverſiis, ad Romani Pontificis* auctо-

auctoritatem & judicium incredibili submissione confugerunt. Quare quod sæpius audivi: Patribus antiquis consentientem a Catholicis dissentire, & hæreticis consentire non posse, id perfecto re ipsa verum comperi. Nam cum R. P. Petri Canisii Societatis Jesu Theologi Opus Catechisticum majus, sedulo complures menses pervolvissem, & circa controversos fidei articulos non tantum Scripturam, sed etiam Conciliorum & Patrum antiquissimorum clarissima testimonia, ab illo pulchra serie, distincte recitata ponderassem, solis luce clarius vidi, doctrinam quam Catholici profitentur, totius orbis christiani & omnium seculorum fuisse; ab illa vero longissime abire omnes sectas a Catholicis alienas, ut proinde ingenue consiteri debeam, inter omnes vias, quas mihi divina Bonitas ad veritatem Catholicam ostendit, præcipuam atque expeditissimam fuisse operis illius Canisiani lectionem, quam ea re omnibus errantibus, ad viam veritatis brevem ac securam aspirantibus, maxime commendatam velim. VIII. Cum præterea Domini voce facile sit veros a falsis doctoribus discernere ex fructibus, quos ferunt; nam vera doctrina multos, falsa nullos Sanctos gignit: facile mihi quoque fuit ex hoc capite veram fidem reperire. Cum enim viderem non modo antiquos Ecclesiæ doctores, sed etiam alios innumerabiles omnis generis, sexus, ætatis,

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

tatis, ſtatus homines, qui ſub Romanæ Eccleſiæ obedientia in fide Catholica conſtanter usque ad ultimum ſpiritum vixerunt, Sanctitate vitæ ſingulari, divinis ac humanis ſuffragiis, nemine contradicente, conſpicuos fuiſſe; quibus vel unum parem apud ſe omnes Sectæ a Catholica Eccleſia ſeparatæ ſive antiquæ ſive recentes demonſtrare non poſſint: nihil dubitavi, relicta ſecta, quæ & auctorem peſſimæ vitæ hominem habuit, & hactenus nullum clarum Sanctum protulit, fidei, illuſtrium Sanctorum feraciſſimæ, nimirum Catholicæ, inſiſtere, & immori. IX. *Multum me etiam ad fidem Catholicam amplectendam permovit univerſitas credentium. Cum enim Scripturæ, veram Chriſti Eccleſiam per totum orbem, omnibus ſeculis usque ad finem mundi diffundendam teſtentur, & proinde ob locorum, temporum, fidelium univerſitatem antiquitus Catholica appellata, eoque nomine tanquam proprio & peculiari a primis ſeculis ſemper ab omnibus hæreſibus, quæ tempore, loco, perſonis arctiores fuerunt, & ferme ab auctoribus nomen ſumpſerunt, clariſſime diſcriminata ſit: nolui in alia Eccleſia eſſe, quam quæ hodie etiam totius mundi ore ſola Catholica appellatur, & Catholici nominis rem, ſecundum Scripturæ indicia, & Patrum interpretationem poſſidet.* X. *Maximi denique momenti apud me fuit admirabilis Catholicæ Eccleſiæ concordia & unitas, quam*

quam adeo Sacræ literæ & Sancti Patres prædicant. Vidi enim in illa fideles tanto numero in tam multis, longe dissitis totius mundi partibus per tot secula unius summi Pastoris ductu, & auspiciis in eadem fidei doctrina sine ulla dogmatum mutatione consentire; contra vero omnes alias sectas in tanta paucitate, in tantis locorum angustiis, tam brevi temporis spatio sine duce, sine capite, tum a primis auctoribus suis, tum a seipsis in multis dogmatibus sæpius dissidere. XI. Ex his ergo omnibus concluſi, me coram divino tribunali inexcusabilis imprudentiæ reum futurum, si diutius paucos unius ætatis, obscuros; plurimis quindecim ætatum illustrissimis Doctoribus: novam, angustam, non modo summo Pastore, sed etiam inferioribus legitime vocatis Ministris carentem; veteri, amplissimæ sub uno summo, aliisque inferioribus Episcopis ex Christi institutione bene ordinatæ Ecclesiæ anteferrem. XII. Nec etiam extremæ Superbiæ coram Deo notam effugere me posse putavi, si, quod hodie multi faciunt, omnium aliorum, tanquam hominum errori obnoxiorum judiciis spretis, privatum animi mei sensum circa res fidei & Scripturas intelligendas, Ecclesiæ Catholicæ antiquitati, universitati, consensioni præponerem. Quare non solum prudentiæ, sed & modestiæ Christianæ legibus obtemperans, proprium judicium

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

in fidei doctrina uni, Sanctæ, Catholicæ, Apostolicæ Ecclesiæ subjeci, & æternum subjicio.

Jacob Franc. relat. Hist. contin. p. 97. Jæger. hist. Eccl. l. 5. c. 3.

Postquam vero Wolfgangus dux de Philippi Parentis sui obitu certior factus erat, pro officii sui debito fidem Catholicam, quam unice veram agnoverat, in ditione sua instituere cæpit, sub anni decimi sexti principium edito decreto hanc in sententiam. „ Haud incogni„tum mihi est, multos non solum Cle„ricos, sed nobiles etiam itemque ci„ves, agricolas, & alios esse, qui Ro„manæ Catholicæ Religioni tacite ad„dicti, Religionis suæ exercitio longo „jam tempore caruerint, nec profiteri „fidem suam ausi fuerint, illis & omni„bus aliis liberum imposterum sit, non „solum ad Romanam Catholicam Ec„lesiam accedere, sed & Missas, con„cionesque sacras audire, Scholas Ca„tholicas aperire, processionibus pub„licis operam dare, & aliis id genus „Catholicis exercitiis devotionem suam „testari, sed & exteris peregrinatio„nes per ditionem meam facere volenti„bus id permittere. Vota, si quæ ab „aliquibus, quod Romanam Catholi„cam Religionem nullo modo amplecti, „vel si id fecerint, pro Apostatis habe„ri velint, facta sunt, irrita omnia „pronuntiamus, severissima in eos pœna, „qui

„qui Religionem istam professis, ex- Sæc. XVII.
„probrare quid ejusmodi ausi fuerint, A. C. 1614.
„constituta: volumus præterea, ut nul-
„la Catholicis, non solum a consilia-
„riis meis, sed etiam a Præfectis, Con-
„sulibus, Senatoribus, civibus & sub-
„ditis circa Processiones & alia Catho-
„lica exercitia peragenda inhibitio fiat,
„nec contumelia aliqua ipsi afficiantur,
„aut ludibrio habeantur, sed omnis
„ipsis benevolentia exhibeatur, eadem-
„que ab ipsis vicissim exspectetur. Pro
„confusionibus in Ecclesia & Politia
„evitandis, volo, ut uno Calendario,
„eoque novo & correcto omnes utan-
„tur, solutionum tamen ex contracti-
„bus veteribus perficiendarum termini
„ad dies decem prorogentur, novæ au-
„tem obligationes, & festorum in Ec-
„clesia celebrationes ad Calendarium
„novum conformentur. Custodes tem-
„plorum & campanatores quotidie tri-
„bus vicibus matutino scilicet, meri-
„diano & vespertino tempore, in Nati-
„vitatis, Passionis & mortis Christi Sal-
„vatoris memoriam, pulsis campanis, ut
„ante hæc tempora factum, signum
„dent. Concionatores & alii Luthera-
„ni a jurgiis, diris & detestationibus
„Catholicorum abstineant, hi vero mo-
„destiæ itidem studeant, operamque
„dent, ne in constitutam adversus delin-
„quentes

Sæc. XVII. A. C. 1614.

„quentes severissimam pœnam incur„rant. Dispensationes in causis matri„monialibus omnes imposterum cessent, „& matrimonia de jure prohibita seu il„licita sub severissima pœna vitentur. „Ad extremum præcipio etiam, ut pro „vitando scandalo, & in eorum, qui „capiendis & vendendis piscibus ope„ram dare solent, gratiam, a carnibus „in conviviis & diversoriis publicis, Ve„neris, Saturni & aliis interdictis sive „abstinentiæ Catholicæ diebus, omnes „abstineant. „

§. LIV.

Lutheri Secta a Brandenburgico Electore cum Calvinismo commutata.

Merc. Gall. t. 2. tom. 10.

Hoc item anno Joannes Sigismundus Brandeburgicus Elector longe aliam, diversamque Sacrorum mutationem, ac sectæ nundinationem instituit, dum magnam partem gentis illius, quæ vetustis Wandalis oriunda Marchiam hodie Brandeburgicam tenet, a Lutheri ad Calvini sectam suo exemplo ac mandato compulit, ea permotus ratione, *quod quam longissime a Catholicorum cultu recederet;* hæc vero Principis sui intemperies subditorum, qui Lutheri adinventis assueverant, animos tantopere exulcerabat, ut Berolini ferme ad se-

Cluver. epitom. ad hunc ann. pag. 772.

ditio-

ditionem res spectare videretur, ad hanc ritus Lutherani immutationem, tumultuante plebe, ac Calviniſtarum præconum ædes ſpoliante. Haud pacatiores erant utriusque Sectæ Præcones, qui inter ſe ipſos calamo & ore ſæviebant, atque alius alium de Templorum pulpitis rabularum more contumelioſis declamationibus tanta populi offenſione proſcindebant, ut Elector hoſce Paſtorculos, quatenus a jurgiis, & ejusmodi contentionibus abſtineant, promulgato edicto monere compelleretur: „His altercationibus, inquiebat Elector, quibus aliqui in alias Eccleſias, quibus ipſi tamen judices nunquam dati fuerunt, mordacibus verbis pro concione invehuntur, easque modis omnibus calumniantur, reprehendunt, execrantur, & condemnant, modum aliquem ſtatuere, noſtrarum partium eſt. Idem fecerunt anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo Brunsvicenſes & Luneburgenſes Duces, & quarto poſt anno Auguſtus Saxoniæ Elector, & noviſſime ante tradecim annos Joannes Lignitſenſis. Id quoque ſuadet transactio cum Lutheranis Principibus facta. Exin autem facile omnes æſtimare poſſunt, quam ſæpe animo commotus fuerim, quod longo hactenus tempore multos in meo

Sæc. XVII. A. C. 1614.

„Ele-

Sæc. XVII. A. C. 1614.

„Electoratu (& quidem tales, qui ambitione potius, quam zelo pietatis ducti, nec minimum, si in arenam descendere cogerentur, præstare, vel si lucri aliquantulum facere possent, ad Pontificios facile transirent) gloriam apud homines magis quam apud Deum captando, imprecationibus, criminationibus, calumniis, diris, obtrectationibus, execrationibus, & id genus vociferationibus aliis templa, & pulpita omnia complere audierim, verum falsumve & loco tam sacro conveniens indecensve an proferrent, attendentes minime, dummodo Christianos alios urerent, morderent, satisfacerent affectibus, bilem profunderent, & communibus nostris hostibus Jesuitis, Pontificiisque aliis risum moverent, ansamque calumniandi præberent.

„Sacra certe Scriptura non vult, ut qui in fundamento Religionis, scilicet solis Christi meritis conveniunt, ex Christiana Ecclesia excludantur. Nec etiam vult, ut quod controversum est, criminationibus & calumniis (quod Diaboli proprium est,) vel conjecturis, & falsis allegationibus, sed verbo Dei confutetur. Inde apparet, quam longe importuni isti vociferatores a vero tramite aberrent. Constituo igitur & præcipio, ut omnes Ministri ver-

„Verbum Dei ex Auguſtana Confeſſio- Sæc. XVII.
„ne *emendata*, ejusque apologia, in- A. C. 1614.
„terniſſis omnibus otioſorum, & am-
„bitioſorum Theologorum primatum
„Eccleſiæ & brachium ſæculare affec-
„tantium interpretationibus, in Tem-
„plis proponant, atque criminationi-
„bus aliarum Eccleſiarum prorſus abſti-
„neant: quicunque autem contra man-
„datum hoc deliquerint, verbis pri-
„mum, poſtea Miniſterii amotione, aliis-
„que pœnis mulctabuntur: ſi qui au-
„tem conſcientiis ſuis frœnum hoc e-
„dicto injici putaverint, nullatenus ob-
„ſto, *quo minus miniſterio ſuo ſe abdi-*
„*cent, & impetrata venia ex Electo-*
„*ratu meo diſcedant, ſeque ad ea loca*
„*conferant, ubi ipſis ſævire & Chriſtia-*
„*nos alios convitiis proſcindere, & con-*
„*demnare licuerit:* Si autem huic man-
„dato obtemperantes ab aliis ſcripto
„vel ex ſuggeſtu infamia aliqua affician-
„tur, aut ad certamen provocentur,
„absque meo conſenſu in arenam non
„deſcendant, ſed ejusmodi vociferatio-
„nes contemnant.„ Hæc fuit ſumma celebris illius edicti, in quo plane multa occurrunt, quæ Catholicorum criſi relinquimus.

§. LV.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. LV.

Novi Evangelii leges ab Electore pro ſua reformatione ſtatutæ.

Merc. Gall. l. 2. tom. 10. pag. 20. Janſ. Cont. pag. 393. Sleid. Red. l. 19. p. 1376.

Inſuperhabito hoc edicto, quod Confeſſionis Auguſtanæ factio in Calvinianam contra Imperii leges ad id usque temporis ſervatas, atque adverſus decretorum comitialium ſtatuta transfuſa fuerit, lamentabantur Lutherani, ne ipſi quidem parcentes Principi: immerito tamen; cum enim juxta ſectæ ſuæ inſtituta Principi ac Magiſtratui ſummum in Sacra jus competat, ejus quoque auctoritati ac judicio reſervatum cenſetur, quænam Religio ſibi, ſtatui ac populis, inſpecta temporum rerumque viciſſitudine, magis conveniat. Hac igitur poteſtate utebatur Elector, qui, poſtquam Lutherum cum Calvino commutabat, novas etiam, & antehac illic non auditas leges ſuis ſubditis præſcripſerat, erant autem hæ:

I. *E Templis omnibus imagines omnes & ſtatuæ tollantur.* II. *Altaria Saxea, quia Pontificiorum opus, dejiciantur.* III. *His menſa lignea, linteo nigro velata ſubſtituatur.* IV. *Cœnæ Dominicæ tempore mappa candida ſuperinſternatur.* V. *Tabulæ, Cruces, crucique ſuffixus Chriſtus, pictus, fictus, ſculptus, aut metallo fuſus,* quia

Sæc. XVII. A. C. 1614.

quia Pontificii ritus, penitus exterminentur. VI. *In cœnis Dominicis non orbiculatæ Papistarum hostiæ, sed nudi panes, similagineæ massulæ, placentæque bene latæ, sed in oblonga segmenta dissectæ, deque lancibus exemptæ populo dentur in manus, populus vero quod quisque viritim accepit, id ipse suamet manu frangat, comedat, suum in usum vertat.* VII. *Calicum in cœnis synacticis usus tollatur (quoniam & Papanis eorum usus est,) e scyphis autem bibatur.* VIII. *Institutionis Cœnæ Dominicæ narratio posthac legatur; & non cantetur.* IX. *Ante Collectam oratio præmitti sueta, deinceps prætermittatur.* X. *Sacrificæ vestes & apparatus missarum universus aboleantur.* XI. *Nec candelabra, nec candelæ lucentes, vel in aris posterum, vel alio templorum ullo loco tolerentur.* XII. *Cœnaturientibus in Synaxi mappa posthac non præpandatur.* XIII. *Ad porrectam quoque Cœnæ portionem in synaxi cœnans inclinare caput tanquam ad Christi præsentiam caveat.* XIV. *Sub iisdem quoque synaxibus, Cœna non a genuflectentibus aut prostratis, sed a stantibus, aut alio situ corporis utentibus percipiatur.* XV. *Crucis expressio peracta benedictione negligatur.* XVI. *Presbyteri posthac altaribus adstantes faciem cœtui, non dorsum ostendant.* XVII. *Collectas iidem & Epi-*

Sæc. XVII. A.C. 1614.

ſtolas legant, non cantent. XVIII. *Peccata presbytero confiteri poſthac antiquatum in perpetuum ſit.* XIX. *Nomine Jeſu pronuntiato caput nec inclinetur nec aperiatur.* XX. *In Cathedris templorum precatio non ſilentio, ſed ſonore peragatur.* XXI. *Ad ægros, quoniam (Luis præſertim tempore) contagionis periculum ſanis impendet, Cæna Dominica ne deportetur.* XXII. *Baptiſteria lapidea (quoniam Papismo ſueta) deſtruantur.* XXIII. *His pelvis ſubſtituatur.* XXIV, *Epitaphia, Chriſtique cruci ſuffixi ſimulacra poſthac in templis ne tolerentur.* XXV, *Decalogus & Catechismus immutentur.* XXVI. *Sancta Trinitas neutiquam aut ſculpatur: aut pingatur.* XXVII. *Verba de Myſterio Cænæ Dominicæ ſenſu ſano capiantur & explanentur.* XXVIII. *Epiſtolarum & Evangeliorum vicem in templis poſthac lectio ſuppleat.* XXIX. *Lectionique ſubjecta mox explicatio partis alicujus librorum nec Epiſtolicæ, nec Evangeliſtarum introducatur.*

Hutterus Calvin, Aulico. Polit. initio, & pag. 117, 155. & ſeq.

Præterea in alio diplomate ad Provinciæ Ordines die decima octava Martii dato Elector (ut Olearius Paſtor Hallenſis deplorat.) Formulam concordiæ appellitabat *Concordiam diſcordem*, ſimulque Auguſti Electoris dicta repetens, ſe ab avaris ſuis Paſtoribus deceptum fuiſſe querebatur: poſtea aſſerebat, quod ſub-

subditi absque hac concordiæ formula salutem consequi possent, eoquod ea nonnisi ambitiosorum Poparum opus esset; hi vero eam consarcinando duntaxat aureos crateres, divites præbendas, & alia munuscula fœnerati fuissent. Eodem adhuc anno Elector Mense Octobri ex Marchia omnes, ut vocant, Superintendentes Berolinum convocabat, atque exposita hujus reformationis caussa eis denuntiabat, quatenus cum Calviniſtis desuper in arenam nec descenderent, nec deinceps adversus hanc mutationem declamare auderent. Hi autem omne obsequium pollicebantur, ac ne ullus quidem in tam ampla ditione, tamque antiqua Universitate reperiebatur, qui cum hisce Dipnosophistis disputare ausus fuisset. Ab initio quidem Provinciales Marchiarum Ordines præcipue Borussi novis his decretis atque edictis vehementer obsistebant, Augustanæ Confessionis doctrinam eo vel nomine urgentes, eoquod hic Princeps ex pacto, juratoque hujus sectæ tutellam pollicitus esset. Prævaluere tamen novi hujus Reformatoris auctoritas, necnon Ministrorum quorumdam ad omnes nutus venalium ac Principi adulantium obsequia: paulatim quoque vulgi ad novitates proclivis levitate factum, ut sensim Calvino subscri-

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

berent haud pauci: ceteri vero, qui in Lutheri verba pertinacius jurabant, ex Marchia & Berolino excedentes, ad usque Baltici maris oras passim se effundebant, alii denique adhuc Lutherum suum adversus Calvini impietates seditiosis etiam armis vindicare moliebantur, uti anno sequenti memorabimus.

Ceterum ex Lutheranæ sectæ Præconibus complures abolitæ Religionis suæ caussam in ipsorum scelera, quæ Deus per Principis sui præpotentiam castigasset, in suis Concionibus palam rejiciebant, in quo rem propius tetigisse videbantur, quam Lutheranus ille Pastor ex Austria profugus, qui, Lipsiæ anno Christi millesimo sexcentesimo quinto edito libello, ex diabolo caussam periclitantis suæ sectæ didicisse scripsit, hæc referens(*): Diabolus ipse ex obsesso quodam studioso hæc mihi objecit: *Ministelle, tibi dicam, quomodo & qualiter vos Austriaci Verbum Dei amiseritis? nimis securi eratis de Religiosa pace, & juramento Cæsaris, qui vobis religionis vestræ præs-*

(*) Nicol. Blumius, historische Erzehlung von einem besessenen Studenten zu Pirna (Leipzig 1605.) pag. 4. cujus rei veritatem testatur Kreidius in tract. Nosse me p. 301. vide Arnolds Kirchen und Ketzer-Historie part. 2. l. 17. cap. 2. §. 3.

præsidium pollicebatur, confidebatis: cum autem hac fiducia sopiti stertebatis, ego sociique mei a vestro Superiore (forte Luthero) *potestatem, facultatemque recepi, ut vobis vestram eriperem Religionem: cum autem ex diabolo sciscitarer, an & ipse ad hoc operam suam contulisset? respondit, præcipuus ex ceteris fui, meamque operam ad te ex Austria ejiciendum impendi. Nonne verum est, ibi Pastoris munere fungebaris? tribus omnino annis in exilio fuisti, & te tamdiu contra Cæsaris interdictum clam in Austria detinuisti?* Quid de ridicula hac relatione ex Lutherani Præconis ore facta censendum, Lectoris judicio relinquimus. Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. LVI.

Aquisgranensium Lutheranorum tumultus tandem armis sedatus.

Interim Aquigranenses Lutherani audaciam cumulantes audacia, non modo adversus Magistratum, Catholicam doctrinam, ejusque Sacerdotes, sed contra ipsam etiam Cæsaream Majestatem insurgebant, ac supremi sui Capitis imperata minasque despiciebant, promissis sectæ suæ Principum, maxime Batavorum auxiliis ferociores facti: unde Cæsar, qui hosce seditiosos internuntiis, & Oratoribus ad saniora reduce- *Cluver. l. c. Merc. Gall. pag. 39.*

Sæc. XVII. A. C. 1614.

reducere incaſſum nitebatur, ad extremum illos proſcriptionis edicto mulctare cogebatur, hujus pœnæ executione Colonienſi Electori, atque Alberto Archiduci demandata. Verum Palatinus Elector datis ad Galliæ Regem literis inſtabat, ne Cæſaris ſententiam ad opus deduci permitteret: Nec ſucceſſu caruit Electoris petitio; quippe Franciæ Rex Preauſſio ſuo in Flandria Oratori negotium dabat, ut regias literas Electori Colonienſi traderet, eumque expoſito non modo Aquisgranenſium, ſed totius Imperii, ipſiusque Cæſareæ auctoritatis periculo, ab hujus edicti executione deterrere niteretur, ac quantocius, quid hæc admonitio apud ipſum effeciſſet, reſcriberet. Verum Marchio Spinola, cui Albertus Belgii Gubernator Cæſaream ſententiam exequendi curam commiſerat, habito triginta millium equitum peditumque delectu, cum quadringentis curribus, & octoginta belli tormentis Trajectum indeque Aquisgranum profectus die vigeſima prima Auguſti ibidem caſtra poſuit, miſſoque in urbem feciali ſui adventus rationem ſeditioſis ſignificari juſſit. Hi vero inter arcta prehenſi, conſultatione facta in hanc ivere ſententiam, ut Clerus unacum Nuntio Apoſtolico & Primoribus quibusdam porta

Vid ſupra Lib. CLXXXIX §. 8.

ta egressi, supplices pro urbe & civibus deprecarentur. Nec spreta fuit hæc submissio; quippe pactis utrinque initis Ambrosius Spinola cunctos de Cæsaris gratia certiores reddebat, qua obtenta cives tradita urbe Brandeburgenses præsidiarios die vigesima quarta Augusti dimisere, introductis duodecim Cæsareis vexillis. Postea occlusis omnibus portis, & abrogato spurio Protestantium Senatu, legitimus Romano-Catholicus in pristinum restituebatur, qui etiam die vigesima octava Augusti primum habuit Curiæ consessum, militibus quibusdam utpote præcipuis turbarum authoribus in custodiam abductis, ac Matthia Smeetsio & Antonio Nigro capite plexis. Eo tandem remedio quies Urbi, & Catholicæ Religioni libertas tum obtigit, quæ postea complures in annos prospere perduravit.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. LVII.

Plebeia Francofordiensium seditio continuata.

Majori adhuc ferocia in Senatum suum Francofordiæ cives debachari pergebant; ipsa enim temporis mora, aliisque super alios in colluviem suam pertractis seditiosi numero, audacia, vi-

Sleid. Rediv. l. 19. p. 1345. Merc. Gall. tom. 10. l. 2. Janson. Contin. pag. 464.

Sæc. XVII. A.C. 1614.

riumque fiducia tantopere crescebant, ut Magistratui, qui inquietis terrori esse debuisset, jam inciperent esse formidini; licet enim biennio abhinc Senatum inter & cives quædam transactionis capita fuissent inita, inde tamen præcipue circa rationes accepti & expensi a Senatu reddendas novæ excitabantur turbæ: unde die quinta Maij, cives magno numero confluentes Senatum in Curia sedentem, occlusis prius auctoritate privata portis urbis dein & Curiæ, postulatis primum impudentibus adoriuntur, postea eorum importunitati cedere renuentem per aliquos dies concluſum detinent, minisque atrocibus, omnique malorum genere intentato tamdiu perurgere ac premere pergunt, donec die nona Maij veteres Senatores vitam fortunasque suas Magistratus abdicatione redimere cogerentur, palam tamen professi, quod inviti ac contra jus gentium, indicta causſa, per vim pristina dignitate dejecti essent. Remanserunt adhuc in Senatu octodecim nuper Veteribus adjuncti, qui cum Mercatores a frequentandis proximis nundinis hoc tumultu absterreri vererentur, promulgato edicto eosdem de plena securitate ipsis præstanda certos reddebant: Evolutis autem aliquot septimanis Matthias Cæsar

sar per fecialem civibus, intentata pro- Sæc. XVII.
scriptionis pœna, præcipi jussit, ut re- A. C. 1614.
pressis ejusmodi motibus in reos exacte inquirerent, pro culpæ meritis plectendos, simulque Senatum injuste dejectum quam celerrime restituerent. Constituebantur Cæsarei hujus mandati executores Elector Moguntinus, & Hassiæ Landgravius, qui tamen nec monitis nec minis quicquam proficere poterant apud obstinatos hosce, qui ex ipsa Cæsaris clementia novam tumultuandi ansam quærebant; cum enim Imperator declarasset, quod in rebellionis auctores, ni cæptis abstinerent, legum severitate animadversurus, morigeris vero ac *ipsis quoque Judæis* præsidium & favorem præstiturus esset, ea ipsa promissio civium contumaciam erga Cæsarem, invidiamque in hebræos eo vehementius accendit, necquicquam illos dehortantibus Moguntini, ac Hassiani Principum legatis, qui die vigesima secunda Augusti. cunctos juvenes, qui seditiosis civibus famulabantur, ad se accersitos monebant, ut suos Dominos, necnon opificum tabernas pro vitando periculo desererent, alioque interim migrarent. Sed his monitis tantum abfuit, ut exacte obtemperarent hi solutissimæ licentiæ juvenes, quin vel suopte furore, vel a factiosis impulsi ad

Sæc. XVII. A.C. 1614.

vesperam turmatim confluerent, ac converso in Judæorum plateam impetu portam saxis, ferro, securibus ac dolabris infringere niterentur. Non sibi defuere Judæi, vim vi, arma armis repellentes: ast aucto furentium numero, quidam brachio, alii aure aut oculo mutilabantur, duobus omnino trucidatis, demum ædibus perfractis integra nox prædationibus, & miseræ gentis vexatione insumebatur, donec orto sole civibus in opem concurrentibus incomposita hæc turba dissiparetur; postea Judæi, ut graviori periculo vitam subducerent, ejusdem adhuc diei, qui vicesimus tertius Augusti fuit, hora post meridiem prima numero mille quadringenti, pars navibus, alii lembis, cymbisque recepti, multi sursum, plerique secundo flumine Mæno deorsum navigarunt, asportatis secum, quæ furor intacta servabat, suppellectilis suæ reliquiis. Tandem Magistratus, ut suæ consuleret securitati, edicto publico promulgari jussit, quod omnibus opificum famulis, & Ministris pristina libertas, atque immunitas restituta sit, hique omnibus in locis pro honestis adolescentibus habeantur: veteribus quoque Senatoribus, cum urbem tuto repetere non possent, interim honesti quidam cives suffecti sunt, quibus etiam reliqui

reliqui cives fidei ſacramentum dixere, initio quidem reclamantibus Legatis, qui tamen pro declinando vitæ periculo ad ejusmodi machinationes connivere compellebantur. Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. LVIII.

Præcipui ſeditionis authores Cæſaris mandato proſcripti.

Nihilominus hæ turbæ nec Legatorum indulgentia, nec pœnarum comminatione adhuc extinqui poterant, ſeditioſis quibusdam civibus nova identidem molientibus: hos inter præcipui erant Vincentius Fettmilchus Dulciarius Piſtor, Conradus Schoppius Sartor, & Conradus Gerngroſſus arcularius. Hi erant velut Triumviri ad res in deteriorem ſtatum præcipitandas a ſeipſis delecti. Sed inter hos Vincentius velut Dictator dominabatur; ad eum enim ſeſe adjunxerant, inquietiſſimi quique cives, & advenarum quoque non pauci: Hic ea, quæ hucusque egiſſet, Authore ipſa civitate, ſe feciſſe jactitabat, ejusque rei, cum eam, quæ tum præſens adſtabat, civium multitudinem in teſtimonium vocaret, omnes inſanis vocibus acclamabant, ſe teſtes fieri: quoniam vero tot civium flagitia, ac ipſorummet Legatorum vilipenſio *Merc. Gall. tom. XI. l. I.*

Sæc. XVII. A. C. 1614.

pensio in Sacræ Cæsareæ Majestatis contemptum manifeste redundaret, non potuit non indignanter ea ferre Imperator, præsertim cum Vincentius præcipuus ille turbarum Author novam insolentiam prioribus petulantiis adderet; cum enim substituti nuper Senatores in Curiam ut vocant, *Romanensem* convocati de exequenda Cæsaris voluntate deliberarent, ipse cum suis ferox irrumpens, senatum perturbatæ reipublicæ insimulabat, nec his contentus, insuper convocatis in unum plerisque suæ impietatis assecliis, cum iis factionis fœdus interposito etiam juramento instaurabat. Utrumque recens hoc facinus valuit ad indurandam rebellium obstinationem, atque augendum Cæsaris contemptum: quocirca Imperator proscriptionis sententia hosce seditiosos compescere statuit. Urbem igitur ingreditur Cæsareus fecialis, & alta præconum voce diras in Fettmilchum ejusque socios recitat, ac finita promulgatione valvis curiæ proscriptionis decretum affigere parat, præfatus, *Ita mandare Cæsaream Majestatem:* obnititur Fettmilchus ingenti tumultuantium multitudine circumfusus, ac ceteris petulantior, *ita fieri se nolle* exclamat, & Caroli IV. privilegio Francofordienses proscribi haud posse vociferatur. Tunc primum, quasi signo dato,

dato, rebellium exarsere studia, ac fe- Sæc. XVII.
cialis metu mortis absterritus, infecta A. C. 1614.
re, cum suo edicto in diversorium auf-
fugere cogitur. Tanta petulantia irri-
tati Principum Legati, Cæsaris nomi-
ne, tradi sibi seditionis triumviros in
catenis jusserunt, perperam vero ab eis
Carolinam immunitatem fuisse allega-
tam declararunt. Verum hi ab eo die
perniciosius quam unquam, obvios
quosque ad vindicandam proscriptionis
contumeliam concitabant. Displicuit
tamen nimia hæc audacia nonnullis ci-
vium societatibus antea huic rebelli ad-
dictis, quocirca se deinceps in potestate
Legum & Imperatoris fore profitebantur, inque obsequii sui fidem in Album nomina sua referebant, ita suadentibus Principum Legatis: id vero ubi compererat Fettmilchus, cum suis in Curiam provolat, & horum nominum Syllabum sibi tradi jubet, eo fine, ut hosce tanquam suæ conjurationis proditores jugulare posset. Cum autem hæc & similia civibus adhuc integris ac moderatioribus haud diutius toleranda viderentur, deliberatum de Viro, qui conjurationis triumviros comprehendere auderet. Opportune se iniquitatis vindicem obtulit Joannes Martinus Bauer seu Agricola antiquioris Ordinis Senator, qui quantocyus valida militum ma-

nu

Sæc. XVII. A. C. 1614. nu ſtipatus, die vigeſima ſeptima Novembris Fettmilchum genialiter in taberna vinaria potantem aggreſſus eſt, extortoque ſclopo, quo nefarius Senatorem petere parabat, captum ad turrim Bornheimianam deduxit: Ibi peſtilens hic homo nihilo ſedatior, ſed efferatior factus, clamoribus plusquam inſanis ſuos, ut ad eripiendum ſe concurrerent, exorabat: Fit igitur ab his nulla mora in Turrim impetus, qui etiam effractis vi portis Fettmilchum eripiunt, & velut in triumphum ovantes per plateam publicam deducunt, eumque domui ſuæ reſtituunt, ad quam mox petulantiſſimi quique magno numero confluxere, adverſus Magiſtratum arma paraturi. Haud ſegnior erat Agricola, qui cives ſibi fidos in ordines & arma cogens, recta ad rebellis ædes contendit, ac ſeditioſos ad deditionem provocat. Profuit intrepidus hujus Viri auſus; rebelles enim ſuorum numero diffiſi, petita impetrataque alterni ſermonis copia, profitebantur, ſe in poteſtate Cæſaris & Optimatum fore: Tum vero partim fuſo, fugatoque cetero perduellium grege, Fettmilchus & Schoppius ſtipantibus armatis in carceres die vigeſima octava Novembris reducuntur, quos quarto poſt die Agricola Moguntinis in manus & catenas tradidit.

§. LIX.

§. LIX.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Hæc conjuratio extremo perduellium ſupplicio extincta.

Jamjam quartum decimum Menſem Fettmilchus Aſchaffenburgi in catenis trahebat: interim vero tam Francofordiæ, quam Hœchſtæ, ſito cis Mænum oppido, in omnes, qui conjurationis ſtudia quovis pacto juviſſent, ſedulo inquiſitum, paulatimque comprehenſi ferme omnes, diverſis in cuſtodiis detenti. Tandem vero die vigeſima ſexta Februarij anno Salutis noſtræ milleſimo ſexcenteſimo decimo ſexto Francofordiæ ferale pegma erigitur, edicto præmonitis per præconem univerſis, ut toto ſupplicii die quiete ſe ſuis in domibus æque ac publice in plateis continerent, nec armis muniti ad ſpectaculum accederent. Biduo poſt in quodam curru Fettmilchus, in proximo Schoppius ſartor, ejusque famulus, in tertio Adolphus Cantor, & Petrus Mutſchierus, in poſtremo denique Gerngroſſius, Hermanus Capra itidem ſartor unacum filio ſuo undecenni puero vecti, ac militibus ſtipati Hœchſta, ubi captivi convenerant, Francofordiam ad ſupplicii locum devehuntur, quibus pro tenui admodum famelici ſtomachi ſolamine panis fruſtulum, quod *Cœnam Dominicam* appel-

Sæc. XVII. A.C. 1614.

appellant, Prædicantes porrigebant: quo facto tres conjurationis principes, Fettmilchus, Schoppius, & Gerngrossius ad supplicii pegma deducuntur, ubi promulgata per scribam Prætorii mortis sententia, amputatis triumvirorum rebellium unicuique binis digitis, decutiuntur & capita, corpora in quatuor partes scinduntur, ac Fettmilchi ædes fundamentis ab imis eruuntur, erecta ibidem infami pila lapidea. Sub hæc, ad alios seditionis conscios facto suplicium transitu Ebelius tinctor, Alphonsus Cantor, Lupus restio, & Capra Sartor capite plectuntur, quorum cadavera simul & capita sub patibulo contumulata fuere. Postea novem alii conjurationis promotores renudatis ad plagas dorsis virgarum ictibus in exilium e Moguntina Diæcesi, Hassiæ finibus, & Francofordiæ mœnibus extorres propulsi sunt. Pari ejectionis pœna alii turbatores octo, condonato tamen virgarum supplicio, mulctati fuere: eadem vero hora Judæi antea per vim expulsi auctoritate publica in urbem reducti sunt. Hunc igitur finem habuit nefanda hæc seditio, ab iis conflata Protestantibus, qui dum nec religionis nec honestatis debitæque summissionis fœno aut pœnarum metu coerciti, Cæsarem, Principes, Magistratum, & omnia demum jura

jura vilipenderant, tandem hanc unicam juſtitiæ laudem in ſuo interitu reportarunt, ut licet nunquam bene ſtetiſſent, dicantur tamen jure, quam optimo cecidiſſe. Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. LX.

Liber Franciſci Suarez Jeſuitæ in Pariſienſi Senatu denuntiatus.

Interea dum hi tumultus in Germania ferverent, nondum in Galliis deferbuerat æſtus, quem Curiæ Pariſienſis Senatores adverſus Jeſuitarum libros concitaverant. Credebatur autem iteratæ hujus vexationis occaſio ortum habuiſſe ex injuria Richerio olim Syndico recens illata; poſtquam enim hic, ne Patres Oratorii ad Pariſienſem Academiam reciperentur, totis viribus obluctatus eſſet, Berullum hujus Congregationis Fundatorem graviter offendit; inde vero Richerii exiſtimatio adeo inclinata videbatur, ut Pontificis Nuntius, inſtigantibus, ut ferebatur, Jeſuitis intrepide Regem ac Reginam Fontis bellaquei adiret, ſupplex, ut Richerius vel in Galliis ſummo Pontifici ſatisfaceret, vel captus Romam deduceretur: quinimo in ſecreto Senatu, cui Eſpernonius Dux præerat, jamjam concluſum erat, ut ipſe Lochienſi turri includere-

Argentre Concl. & jud. Facult. tom. 2. p. 86. Abrege de V. biſt. Eccleſ. tom. 10. art. 4.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

deretur, inde Romam abducendus, prius vero Espernonius, cujus conscientiam moderabatur Berullus, Villaregius Minister, Harlæus Abbas Sancti Victoris, pluresque alii Richerium eo inclinare nitebantur, ut plenam Pontifici satisfactionem in Francia præstare vellet: cum vero eorum conatui haud secundus colluderet successus, Espernonius Dux Richerium per satellites ex Collegio ad carceres Victorianos abstrahi jussit. Parisina autem universitate apud Curiæ Patres intercedente, hi captum non modo e custodia liberarunt, sed etiam in omnes, quos hujus violentiæ conscios credebant, animadvertere decreverunt: Ingens tamen Ducis authoritas, & singularis favor, quo Jesuitæ in aula valebant, eorum minas pene inanes reddebat: inde vero Curiæ Patres in Societatem magis exacerbati, vindictam exercendi ansam nacti sunt ex querela Ludovici Servini Regii Advocati, qui die vigesima Junii retulit, quod ex Francofordiensibus nundinis in Gallias illatus esset pernicios issimus liber, cui titulus: *Francisci Suarez Jesuitæ defensio fidei Catholicæ adversus Anglicanæ sectæ errores & apologiam pro juramento fidelitatis.* Insuper exaggerabat Servinus, quod hic idem liber editus fuisset, approbantibus P. Aquaviva Generali,

nerali, & Lusitano ac Rhenano Provincialibus. Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. LXI.

Propositiones ex libro P. Suarezii decerptæ.

Postea Servinus propositiones, quas scandalosas & pernicioſas fore dicebat, ex hoc libro depromptas coram Regiis Ministris exponebat: erant autem præcipue sequentes I. „Papa habet in Reges potestatem *directivam* pro„in & in Principes iniquos, incorrigibi„les, schismaticos, & pertinaces hæ„reticos potestate gaudet coercitiva. *Merc. Gall. tom. 10. l. 2.* *lib. 3. cap. 23. pag. 376. & 377.*

„II. Nonnulli Principes, etiam Reges „Galliæ hanc potestatem agnoverunt, „sic Zacharias Papa Childericum Re„gem, & Philippum Pulchrum Regno „privatum declaravit. *Pag. 379. & 380. 382.*

„III. Si defensio „sit propriæ vitæ, quam Rex tyrannica „gubernatione violenter aufferre aggre„ditur, tunc ordinarie licebit subdito „seipsum defendere, etsi mors Princi„pis sequatur, quia si pro vita propria „hoc licet, multo magis pro communi „bono. *lib. 6. c. 4. p. 813. n. 2. & 5.*

„IV. Postquam Rex legitime „est depositus, jam non est Rex legiti„mus, & si per vim Regnum retineat, „incipit esse tyrannus in titulo. Per hæ„resin Rex statim ipso facto privatur Re- *Pag. 816. n. 6.* *Pag. 819. n. 14.*

Sæc. XVII. Sæc. 1614. „gno, non tamen ſtatim Regno priva„tur, donec per ſententiam criminis de„claratoriam condemnetur, poſt quam „poterit tanquam tyrannus a quocun„que privato interfici. V. Pontifex ha„bet poteſtatem corripiendi Reges tan„quam ſibi ſubditos, & de crimine hæ„reſis directe punire etiam uſque ad de„poſitionem a Regno, ſi pertinacia Re„gis, & providentia communis id exi„gat. VI. Pendet Regnum Chriſtia„niſſimum a Papa, ut poſſit non modo „conſulere, aut conſentire, ut Regnum „Regem ſibi pernicioſum deponat, ſed „etiam cogere, ut id faciat. Poſt ſen„tentiam condemnatoriam Regis de Re„gni privatione latam poterit ille, qui „ſententiam tulit, Regem privare Re„gno etiam illum interficiendo, ſi aliter „non potuerit, vel ſi juſtitia ſententiæ „etiam ad hanc pœnam extendatur. „ VII. Propoſitio hæc: *Papa poteſtatem habet ad deponendos Reges hæreticos & pertinaces, & animarum ſaluti pernicioſos*, inter dogmata fidei tenenda & credenda eſt „ Plures aliæ ejusdem argumenti propoſitiones ex eodem Suareſii libro fuerunt decerptæ, quas Servinus eo ex capite damnari petiit, quia ex nimia conniventia paucis abhinc annis paſſim tam effrænis ejusmodi doctrinas ſpargendi licentia invaluit, ut ipſe etiam

Num. 16.

Pag. 820. *n.* 17.

l. 6. *c.* 8. *p.* 844. *n.* 8.

P. Lu-

P. Ludovicus Richeomius Jesuita nuperrime in suo Examine Cathegorico scribere ausus esset, quod Marianæ doctrina sit in omnibus orthodoxa, & omnibus Ecclesiæ Doctoribus consona. Sæc. XVII. A. C. 1614. *Pag. 219. & seqq.*

§. LXII.

Suaresii liber a Parisiensi Senatu carnificis manu discerptus, rogoque addictus.

Invisum hoc Suaresii opus præcipue usserat Jacobum I. Angliæ Regem, qui, cum se maxime illo peti cerneret, illud flammis addixit, & apud Philippum III. Hispaniæ Regem, ut idem faceret, pluribus institit: Caute autem Suaresius, dum de plurium Regum exauctoratione in variis Regionibus facta mentionem fecerat, nullam de quodam Hispaniæ Rege per Papam exauctorato exemplum protulit, tacite insinuans, quod hos a Pontificia, cui ceteros Reges subjecerat, jurisdictione eximere intenderit, si secus feciſſet, forte idem cum Baronio fatum subiturus. Porro provida hæc circumspectio tantum Suaresio profecit, ut Philippus Rex ad proscribendam hunc librum nullo pacto induci potuerit, simulque Theologi, quibus Rex hujus operis discussionem commiserat, illud *Juvenc. hist. Soc. l. 12. p. 5. p. 88. Argentre l. c. p. 89.*

Sæc. XVII. A. C. 1614

ab omni pernicioſa doctrina alienum pronuntiarent, veriti, ne præjudicium afferrent approbationi, quam Petri Luſitani Proregis ac ſupremi Inquiſitoris juſſu præmiſerant Conimbrianus, & Lamescenſis Epiſcopi, ac præcipue Ferdinandus Martinez Algerbinenſis Præſul, qui in ſua approbatione de Rege Clodoveo differens ait, quod ſi Angliæ Rex ejus exemplum ſequatur, *ſpes ſit, fore, ut adſpirante luminis aura ad ſaniora Matris Eccleſiæ conſilia animum vere Regium adpellat, imitatus nempe Clodoveum, qui proxime moriturus ipſum Romanum Pontificem (quod ſciret unicum eſſe totius Eccleſiæ viſibile caput) corona regia redimivit: quo facto oppignoravit Regnum Gallorum in Eccleſiæ Romanæ præſidium, pariterque & obſequium, corona enim illa ad Sancti Petri confeſſionem Regnum nominabat.*

16. *Decembr.* 1612.

Verum benignam adeo ſortem in Galliis non experiebatur Suareſii liber: Poſtquam enim Pariſini Senatores quosdam viros honoratos ad Jeſuitas rogatum miſerant, ut ſcriptotenus has propoſitiones damnarent, ſuumque P. Generalem eo inducerent, ut contra haſce tam execrandas doctrinas mentem ſuam declararet, atque ejusmodi libros a Societate edi iterum inhiberet, hi ab eis id impetrare haud poterant, quin imo

imo omnem & emendationis ſpem abjiciebant, cum eis nuntiatum eſſet, quod Jeſuitæ, inſuperhabito Patris Generalis ſui interdicto die ſexta Julii anno Chriſti decimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum edito, hunc librum Conimbricæ anno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo tertio, & Coloniæ anno ſequenti typis edere præſumpſerint: hinc Senatus Pariſini decreto ſtatutum ac declaratum, quod hoc in libro propoſitiones ſcandaloſæ, pernicioſæ, Sanctis Conciliis, antiquis Canonibus & Curiæ decretis adverſæ, Regumque incolumitati inſidiantes contineantur, proin peſtilens hic fœtus rogo addicatur, & ante Jeſuitarum ædes vel Curiæ Palatium carnificis manu decerptus comburatur, cujus etiam ſententiæ exequendæ dies vigeſima ſexta Junii deſtinabatur: altera die PP. Armandus, Carolus de la Tour, Frontonus & Sirmondus ad Curiam vocati ſunt, quibus ob violatam promiſſi fidem, & vilipenſum Generalis ſui decretum acriter reprehenſis injunctum, ut innovato ejusdem Generalis interdicto Jeſuitarum nullus libros tam pernicioſis doctrinis ſcatentes in publicam lucem edere præſumerent, oppoſitam vero doctrinam e ſuggeſtu traderent, ni tanquam læſæ Majeſtatis rei, pacisque

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Abrege de l'hiſt. Eccleſ. tom. 10. *art.* 1. §. 4.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

publicæ transgreſſores plecti malint: Proximo autem ſemeſtri ſatisfactum fuiſſe huic mandato, Jeſuitæ Pariſini docere jubebantur. Attamen Paulus V. Pontifex ſententiam hanc in ſuum dedecus, & Eccleſiæ præjudicium cedere ratus, graviter apud Regem & Reginam querebatur, ſollicitantibus Jeſuitis, qui Pariſienſe hoc decretum Romæ in acie Campi Floræ per carnificem comburi petebant: Horum vero immoderatum Zelum tempeſtive repreſſit Ternelus Marchio Galliæ Orator, iteratam Societatis ejectionem e Galliis comminatus, ni ab hac importuna Pontificis inſtigatione deſiſterent. Nihilominus Rex ad Regium Senatum ſe præſente præfatum Parlamenti decretum afferri juſſit, ac Pontificem placandi deſiderium conteſtatus, ſe velle declaravit, quod hujus decreti executio nullatenus legitimæ auctoritati Sedis Apoſtplicæ præjudicet: Hac tamen declaratione nondum contentus Pontifex, per Ubaldinum ſuum in Galliis Oratorem petiit, ut hoc decretum omnino irritum declararetur: Id tamen conceſſum minime, licet, annuente etiam Pontifice, præfatæ ſententiæ executio fuerit ſuſpenſa: Porro hoc decretum etiam fuiſſe revocatum, Societatis Hiſtorici ſcribunt, tacentibus ceteris.

§. LXIII.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. LXIII.

Liber de vita B. Virginis Joannæ a Cruce Franciſcanæ a Pariſina Facultate proſcriptus.

Eodem anno die prima Octobris Sacra Facultas Theologica cenſuram pronuntiabat adverſus librum, cui titulus: *Vita admiranda B. Joannæ a Cruce ex tertio Ordine Pœnitentium S. Franciſci.* In hoc enim libello narrabatur, quod *Angelus Cuſtos* ad preces hujus Virginis *magnam quandam granorum & roſariorum quantitatem* a ceteris Monialibus ſuppeditatam *in cælos aſportarit, pro divina benedictione illis a Chriſto Domino elargienda*, qua conceſſa eadem hæc grana virtutem *contra dæmonia, ſpectra, incantationes, magias, grandines, tempeſtates, febres & infirmitates habuerint, eorumque contactus phyſicus etiam aliis granis ac roſariis proceſſu in infinitum ſimilem virtutem conferre potuerit.* Prodiit etiam Pariſiis *brevis relatio circa hæc grana*, ubi refertur, quod qui decem *Pater & Ave* recitaverint, atque unum ex his granis habuerint, confeſſi & S. Synaxi muniti eodem in ſtatu ſint, quo in Baptismate donantur: qui vero Eccleſiam S. Crucis viſitaverint, tot conſecuturi ſint indulgentias, quot

Argentre collect. Jud. tom. 2. p. 91. Fortun. Hueber menolog. ad 3. Maij.

Cap. 9.

Cap. 11.

Sæc. XVII. A.C. 1614.

quot in tota vicinia ad duo milliaria sunt folia, flores, paleæ, & herbæ. Pagina autem 128, cap. 13. narratur, hanc Virginem obiisse in Ecclesia munus Doctoris & Concionatoris, atque aves omnis generis advolasse, ut illam attente audirent concionantem: capite decimo sexto refertur, quod animæ suum Purgatorium faciant inter saxa & lapides in fluviis latitantes, in vasis, quibus flores in cella ejusdem Virginis reponebantur, eaque vasa unacum floribus toties inclinata fuerint, quoties ipsa diceret *Gloria Patri* &c. Præterea ibi diligenter cavebatur, ne propter cœlestes ejusmodi granorum benedictiones alia Rosaria a Pontificibus Benedicta contemnerentur: Examinato igitur insulso hoc libello, Facultas pronuntiabat, eum esse censura dignum, eoquod contineat multa falsa, scandalosa, superstitiosa, & fabulosa, Christianæque doctrinæ minime consentanea, proin ab ejus lectione omnino abstinendum esse. Enimvero nec solida virtus, nec vera sanctitas progerminat tam absona corruptæ Phantasiæ deliramenta, quæ vel maxime damnat, semperque detestatur Ecclesia Catholica, cum hæc ad comprobandam sanctitatem suam nec novis miraculis, superstitiosis devotionibus, nec

nec imaginariis Revelationibus egeat. Nec tamen propterea quicquam denegatum volumus sanctitati hujus Virginis, quæ cæleſtes gratias ex puro fonte hauſerat, primum vel aliorum malitia aut ſimplicitate adulteratas. Sæc. XVII. A.C. 1614.

De eadem hac Virgine Bollandi Continuatores hæc ſcripta reliquerunt: *multam operam dedimus, ut antiquam ejus vitam nanciſceremur ſcriptam vulgari lingua ab ejus ſocia & diſcipula Sorore Maria Evangeliſta, ad hoc divinitus literas edocta; verum neque id ſucceſſit, neque ut ſucceſſiſſet, ea vita hic poni potuiſſet, quia mortua Joanna eſt anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo quarto, adeoque intra terminos Decreti Urbaniani, & cauſa beatificationis agenda erat Romæ, ubi ſuſpenſa dicuntur tantiſper omnia: quod & nos facimus, ne judicium Eccleſiæ præoccupare videamur.* Horum quoque veſtigia premens, quæ addere poſſem, ſilentio prætereo.

§. LXIV.

Montferratenſe bellum.

Gliſcentibus licet civilis belli flammis in Francia, nihilominus Ludovicus XIII. Rex Metropolin ſuam ornamentis, ac Regnum ſalutaribus inſtitutis firmare nitebatur; quippe præter edi- *Bald. Chron. moral. ad hunc ann. Ferrer. Hiſt. Hiſp. cap. 2. p. 193. t. II.*

Sæc. XVII. A. C. 1614.

edictum, quod in Monomachos majore quam antea severitate promulgari jusserat, insuper Jesuitis in Regno auctoritate sua stabilitis, Judæos, qui e Lusitania & Batavia in Franciæ Regnum irrepserant, novo decreto proscripsit, novique pontis, qui *Marianus* dicitur, fundamenta inter Turnellam, & D. Pauli Basilicam jecit, eodemque tempore Henrici IV. Regis, Patris sui statuam equestrem in ponte novo apud Augustinianorum cœnobium erigi curavit: Parum tamen abfuit, quin prudentissimus hic Rex, cum domesticas sopiret dissensiones, extero implicaretur bello, occasione nata ex morte Francisci Mantuani Ducis; cum enim Fridericus Gonzaga Mantuæ Dux Montisferrati, de cujus possessione Sabaudiæ Duces contenderant, Marchio & hæres a Carolo V. institutus, & postea a Maximiliano II. Imperatore Dux Montisferratensis nominatus esset, hæc eadem Cæsarem Benevolentia erga Gonzagæam domum circa Montferratensem successionem permolesta acciderat Carolo Emanueli Allobrogum Duci, qui, ut litem dirimeret, omnia sua jura circa hunc Ducatum in Margaretham filiam suam, Francisci uxorem, ejusque posteros transtulit. Postquam vero Franciscus sine prole mascula decesserat, ac Ferdi-

Gramond. hist. Gall. l. 1.

Ferdinandus ejus frater Mantuæ & Montisferrati Principatum adierat, Sabaudus hanc succeſſionem impugnare cæpit, ſuamque Filiam de hoc animi propoſito certiorem reddens, eamque gravidam ratus, unacum Maria Nepte ſua ſibi reſtitui petiit, reclamante Ferdinando, qui donec maſcula forte proles naſceretur, ſe adminiſtratorem eſſe contendebat. Hucusque incruentas inter lites hæc agitabatur controverſia, quæ autem non jam jure ſed ferro dirimenda credebatur, poſtquam Hiſpani Ductore Aſculano Principe Margaretham cum ſua filia in Sabaudiam abducturi in Mantuanam ditionem irruperant, quorum tamen vim Ferdinandus adhucdum declinabat, cauſſatus, quod Duciſſæ diſceſſum absque Cæſaris & Franciæ Reginæ conſenſu permittere haud poſſet, atque ab eodem Cæſare Mariæ Neptis ſuæ tutor conſtitutus eſſet. Tertio poſt Menſe Margaretha, cum nequaquam uterum geſtare cognoſceretur, ad Patrem remittitur, ejus tamen filia retinetur, donec Imperator de ſucceſſionis jure inter Ferdinandum & Mariam controverſo pronuntiaſſet: Agitabatur quoque hæc lis inter Jure Conſultos, qui ſcriptis ſuis per Italiam vulgabant, Mariam ſucceſſionis capacem eſſe, Ferdinando autem nonniſi Neptis

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Sæc. XVII. A. C. 1614. Neptis tutellam competere. Suffragantur Ferdinando Cæsar & Franciæ Regina, ac Venetorum Respublica, Sabaudo Hispani nascente diffidio favebant: Tandem a tribunalibus, & Jureconsultis, ut mos est Principibus, itum est in arma; cum enim cedere Montisferrati jure, possessioneque, Ferdinandus abnueret, ut vi vim urgeret Sabaudus die vigesima secunda Aprilis ex Vercellis in Montferratum repente cum peditum, equitumque viginti millibus irrumpit, Tonari Padique fluviorum transitum obsidet, loca multa, munitiones firmas, excepta Casali, occupat, Montcalvum, Albam & Trinum urbes arietibus perfringit, admotisque scalis superat, plebis denique agrestis aut fugam, aut prædam, ingentemque exactionem facit. Ex adverso Ferdinandus in Sabaudi terras irruens, oppida, castellaque complura rapit, vastat, incendit, atque in sylva quadam hostile agmen, specie famaque majus profligavit.

§. LXV.

Pacis consilia Mantuanum inter & Sabaudum.

Khevenhill. tom. 8. p. 625. Mutuis hisce vastationibus Italiæ Principes excitati rebus Juribusque suis pro-

Sæc. XVII. A. C. 1614.

prospicere cæperant, ac primo quidem Veneti Sabaudum, ut arma poneret, serio, incassum tamen, monebant, missis etiam ad Ferdinandum pecuniarum subsidiis. Pontifex vero Innocentium de Maximis, ut pacem conciliaret, Taurinum, Mantuam, & Mediolanum ablegabat, Cæsar quoque misso Franciſco Castilionæo Sabaudum, ut ab armis cessaret, & usurpata redderet, hortabatur: Hispanus quoque quamprimum Sabaudum jure proprio instare percepit, mutato patrocinii consilio copias in Pedemontanam ditionem immittere parat: nihilominus Carolus Emanuel Dux Montferratum infestare pergens, Hispanum Gallorum potentia, Pontificem Protestantium armis, ac Venetos Turcarum & Piratarum incursionibus se oppressurum minitabatur. Verum Joanne Mendoza Mediolani Præfecto cum validis copiis movente, Sabaudus placatior factus, omnes hucusque ereptas urbes Hispaniæ Regi tradere promisit, ea tamen lege, ut Maria Princeps Mediolanum transferretur, per Matrem suam educanda: obstiterat tam Ferdinandus, quam Apostolicus Papæ Nuntius, qui Pontificem, Cæsarem, Hispanum & Gallum Reges tanquam pacis arbitros proponens, eisdem occupata loca in sequestrum tradi pete-

Vassor. t. 1. l. 54. Possev Jur. ad h. ann. bell. Monf. pag. 32.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

petebat. Sabaudus vero, ut Hiſpaniæ Regem ſibi devinciret, filium ſuum Victorem Amadæum velut fidelitatis ſuæ pignus in Hiſpaniam ablegabat: ipſe vero cum toto ſuo exercitu Nicæam-Palæam, cui Manfredus Caſtillionæus præerat, obſidione cinxit, quo comperto Veneti ductore Priulo exercitum ſuum in aciem duxere, ubi Mediolani Præfectus cum quinque Hiſpanorum millibus ſeſe Vincentii Gonzagæ copiis conjunxit: Nivernus quoque Dux milite Gallo firmaverat Caſalim, & Mareſcallus Lediguerius lecta raptim legione intentabat Sabaudo minas: hinc Sabaudus tantis viribus impar obſidione ſoluta, cum a Cæſare, & Hiſpaniæ Rege omnia hucusque occupata reddere, intentatis etiam belli minis, juberetur, omnes urbes, captaque loca Ferdinando Duci reſtituere cogebatur.

§. LXVI.

Novum bellum Hiſpanos inter & Sabaudos.

Cum autem in concordiæ pactis nec de præteritorum oblivione, nec damnorum & expenſarum compenſatione facta fuiſſet mentio, inde novæ oriebantur turbæ, ac Sabaudus finitimas Montisferrati urbes munire cæperat,

rat, confidentius petens, ut Maria Princeps Mediolanum reduceretur: Verum Hiſpaniæ Rex pacem redditurus, has præſcribebat leges I. tam Sabaudus quam Mantuanus Duces copias ſuas dimitterent, II. Maria Mediolanum transferretur, III. Ferdinandus relictam fratris ſui Viduam ſibi matrimonio jungeret. Hiſce pactis annuit Ferdinandus, ſollicitantibus Hiſpaniæ Rege, & Franciæ Regina. Sabaudus vero obluctabatur vehementer, ac Condæi Principis auctoritate ſuffultus, cum Helvetiis, ac Mauritio Naſſoviæ Principe armorum ſocietatem inibat, ipſosque Venetos, quibus Hiſpanorum potentia nimis moleſta eſſe incæperat, Carletoni Angliæ legati opera ſibi conciliabat. Tum primum Hiſpanos inter & Sabaudos atrox fervere bellum cæperat. Frequens utrinque committitur prælium, æquato plerumque damno & decore: vaſtantur agri, nudantur tormentorum globis urbium tecta & mœnia, exhauriuntur prædationibus ſubditi: erigitur ab Hiſpanis immane Sandovallæ propugnaculum Vercellenſibus & Sabaudis oppido infeſtum: ſpoliatur Sabaudus Aſtenſi, aliisque urbibus tanquam Hiſpaniæ feudis: denique intentata proſcriptionis pœna a Cæſare, & a Franciæ Regina arma ponere monitus,

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Strauch. contin. Sleid. pag. 531.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

nitus est, incassum tamen: quocirca Hispani Uneliam Sabaudi portum arcemque Moranam obsident, occupantque: nec tamen adhuc minis aut damnis flectitur Sabaudus, qui insuper Venetos, Anglos, Fœderatos Ordines ac Principes huic bello implicare, atque in sui opem allicere tentabat, irrito licet conatu. Tandem vero Savellius Papæ Nuntius & Rambolietus Regis Galli Legatus iterato pacis conditiones proposuerant, quas etiam Sabaudus haud cunctanter acceptabat, Hispaniæ vero Rex omnino rejiciebat, iis insistens pactis, quæ ipsus antea præscripserat. Eapropter hoc bellum usque ad annum Domini millesimum sexcentesimum decimum nonum protractum est.

§. LXVII.

Continuata dissidia circa Juliacensem successionem.

Merc. Gall. tom. 10. *l.* 2. *Ferrer. Hisp. Hist. tom.* 11. *c.* 2. §. 116.

Interim inter Palatinum & Brandeburgensem Duces ex ipsa Religionis diversitate animorum dissensio augeri videbatur. Equidem jam ineunte Mense Aprili de controverso Juliacensi negotio Principum Conventus Namburgi in Thuringia irrito tamen successu habebatur. Hortabantur etiam utrumque Ducem ad concordiam non pauci Electores

ctores ac Principes: Rogabant insuper Cliviæ Ordines Albertum Archiducem, Coloniæ Electorem, & fœderatos Belgii Ordines, ne sese huic negotio immiscerent, sed illud Ducibus transigendum relinquerent: Interim vero Brandeburgicis præsertim & Neoburgicis præsidiariis subinde jam invicem concertantibus, Pithamius Juliaci Gubernator Svigelium cum Fœderatorum Ordinum copiis in urbem intromisit, id e re utriusque Ducis fore caussatus: reluctabantur autem novæ huic violentiæ fortiter Neoburgici, tandem vero aliquibus cæsis sauciisque, habitoque colloquio & ipsi aquieverunt, quo cognito Neoburgicus Princeps vicissim Dusseldorpium præsidiario milite munivit. Interea vero Ordinum milites in Schweinheimense, Brandeburgici vero in Siburgense Monasteria impetum facere incassum tentabant. Cum igitur ad Albertum Archiducem de occupata pene Juliacensi arce rumor perveniisset, hic habito statim militum delectu ad expeditionem cuncta parabat, haud segnius Ordinibus idem facientibus. Præerat Hispanis, Belgis & Cæsareis copiis Marchio Ambrosius Spinola: Pro Brandeburgico autem exercitum octodecim millium ducebat Mauritius Nassovius. Sæc. XVII. A. C. 1614.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. LXVIII.

Actum de reconciliando utroque Duce.

Cont. Sleid. l. 19. Cluver. epit. pag. 771.

Interim ad prævertendas belli calamitates die decima Junii Vesaliæ conventus habebatur, in quo Fœderatorum Ordinum Legati Neoburgicos hortabantur, ut Düsseldorpii præsidiarios intra tridui spatium dimitterent, atque a munienda civitate abstinerent: quibus tamen Neoburgici non sine sibilo responderunt, se restituta in integrum Juliacensi urbe, quiquid in se esset, prompte facturos: cum igitur neutra pars de jure suo cederet, re infecta discessum est. Neoburgicus tamen Princeps pacis studiosissimus datis literis exponebat, quam iniquo ferret animo, quod ipse insçius & invitus, præsidiariis suis urbe ejectis, arce Juliacensi pene excluderetur, Ordines vero non sine maxima Cæsaris, aliorumque Imperii Principum offensione possessionem tot sumptibus ac laboribus assertam interturbarent, inducta sequestratione, quam tamen ipsimet antea in Leopoldo Archiduce damnassent: proin præprimis peteret, ut arcis Juliacensis in integrum restitutio fiat, vicissim vero ipse, si idem Brandeburgicus

sit

sit facturus, etiam ante hanc restitutionem promittere paratus esset, nihil se unquam adversus Brandeburgicos moliturum, sed pactis ac transactionibus arcem & omnia ad Juliacensem Regionem pertinentia futuro legitimo successori integre conservaturum, cunctaque communi familiaritatis jure administraturum, obtento ad id Cæsaris aliorumque, quorum interest, Principum consensu. Verum hæc omnia pacis consilia everterat immodica ditiones latius protendendi cupiditas. Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. LXIX.

Gloriosa Marchionis Spinolæ expeditio in Juliacensi Ducatu.

Cum igitur ex Brandeburgensium pertinacia novæ indies concitarentur turbæ, Mathias Cæsar & Philippus III. Hispaniæ Rex pacem, quam concordiæ pactis obtinere haud poterant, armis extorquere decreverunt: quocirca Alberto Belgii Principi, atque Archiduci negotium dabant, ut Neoburgico Duci validam præstaret opem. Hic itaque numerosum contrahit exercitum, cui Ambrosius Spinola Marchio auspiciis & voluntate Hispaniæ Regis præfectus, Rhenum dextera, lævaque copiis suis ac victoriis percurrit, & primo quidem *Ferrar. Hist. Hisp. p. 215. Merc. Gall. l. c. Ludolff. l. 14. c. 2. n. 27.*

Sæc. XVII. A. C. 1614

impetu Marcodorum occupat, maximamque partem pro Duce Neoburgico munitas urbes, arces & oppida occupat, traditque. In Rheni ripa læva quidem Orsoyum: in dextera vero Vesaliam die septimo Septembris tertio obsidionis die deditione cepit, urbemque Hispano & Belgico milite munivit. In cisrhenana Regione Tuisburgum seu Teutoburgum in suam redegit potestatem, necnon Rhenobergam immisso valido præsidio occupavit. In Transrenana vero, qua ditiones Juliacenses, Mosam inter & Rhenum, in obliquum protenduntur, præter Berchemum ad Erpen fluvium, Casteram & Grevenburgam armis suis subjecit, omnibusque his urbibus Hispanicum præsidium imposuit. Mulheimium vero destructis aggerribus, fossisque repletis, ejectisque incolis, qui Cæsareæ Majestati obsistebant, e fundamentis evertit, ita Imperatore Mathia mandante. Neoburgicus etiam Dux cum sex peditum millibus, & octingentis Equitibus Machemium, Mandaviam, Ellersfeldiam & Burgum occupata præsidiis firmabat. Interea autem nequaquam otiosus steterat Mauritius Nassovius, qui tamen die sexta Septembris cum suis Batavis progressus, non sine animi mœrore Wesaliam jamjam a Spinola captam comperit, nil sibi

bi reliquum cernens, præter Embricam, Gochium, Gennppam & Crannenburgum ditionis Clivienſis oppidula, quæ in Brandeburgici fidem adegit, cum e contrario Spinola Xantem urbem altero lapide Veſalia diſſitam occuparet. Certabant Spinola & Mauritius mira urbes præripiendi celeritate, nec hoſtis in hoſtem, ſed duntaxat in civitates Brandeburgenſi aut Neoburgico vacuas pugnare videbantur, atque ambo Principes bellandi arte hactenus non audita, ne pactas ante quinquennium inducias violarent, tam ſollicite cavebant, ut ſi forte vel unicus miles Hiſpanus diceret, quod urbem aliquam in poſſeſſionem accipere a Spinola juſſus eſſet, Mauritius vim adhibere non auderet, idem viciſſim obſequium reddente Spinola: Incruentis hisce victoriis demum Spinola pro Neoburgico, & Mauritius pro Brandeburgenſi totam Juliacenſem ditionem absque ullo utriusque Principis emolumento occuparunt: tandem vero Rhenus violentius exundans, cœlique nivoſior tempeſtas præfeſtinate ſuperveniens utrumque Belliducum ad hiberna, & expeditionum ceſſationem compulit, poſtquam de concordia inter ambos hujus ditionis Competitores fruſtraneo ſucceſſu die duodecima Novembris Xanti actum eſſet.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Caraf. Germ. Reſt. pag. 51.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. LXX.

Varia Fœderatorum Ordinum molimina.

Bald. chron. moral. pag. 1013.

Hiſce inteſtinis tumultibus ſenſim præludebatur communi bello, quod jam tum prævisum, proxime universum Imperium inundaturum timebatur: Erat quoque omnium armorum ac præcipue Calviniſtarum finis, ut potentiſſimæ redderentur Democratiæ & Ariſtocratiæ, e contrario autem Monarchiæ aut infirmarentur, aut penitus extinquerentur. Eo animo Fœderati Belgiorum Ordines Lubecam, Magdeburgum, Brunſvicum, aliasque urbes imperiales in fœderis ſocietatem adſcivere; ſuboluerunt probe grave periculum inde exoriturum Cæſar & Saxoniæ Elector, qui Magdeburgenſes, ut ab hoc fœdere deſiſterent, gravibus oppidorationibus dehortabantur, nec irrito prorſus conatu; quippe non modo ipſi, ſed & Brunſvicenſes, qui ſe fœderatis conjunxerunt, a ſuo abſterriti ſunt propoſito. Nec propterea tamen Batavi potentiæ ſuæ vires præcipue maritimas quovis pacto augere, latiusque protendere minus ſolliciti erant, quinimo, poſtquam ex nova Guinea cum ſua claſſe excurrentes Hiſpanis violata inducia-

rum fide caſtellum della-Mina eripue-

rant,

rant, omnibus suis subditis novos portus, insulas, aut Regiones aperiendi potestatem fecere, eodemque anno Moscoviæ Ducis Legatum, qui fœdus cum ipsis Ordinibus pangere expetebat, humaniter excipientes, muneribus auctum dimiserunt. Eodem quoque anno, conatu tamen magis laudando, Groninga Urbe Fœderatis subjecta a Civibus atque Ommelandicis incolis erecta est Academia, quam primus omnium regere cœperat Ubbo Emmius celebris ille Frisiæ Occidentalis Historicus. Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. LXXI.

Pax inter Mathiam Imperatorem, & Turcas inita.

Sub idem tempus Mathias Imperator Lintzii in Austria comitia celebrabat, ad quæ omnes hæreditariæ Cæsaris Provinciæ convenerant. Exponebatur hoc in conventu, quod Turcæ novis, crebrisque excursionibus pacem violantes, non modo Valachiam & Moldaviam, sed & Transylvaniam sibi propriam, non sine maximo Christianæ Reipublicæ damno, nuper asseruerint, ac Sultanus nullatenus permittere velit, ut Cæsar vel Germani Transylvanis legem ullam posthac præscriberent: deliberandum igitur, quid ei ad hæc

Bald. Chron. moral. l. c. Merc. Gall. tom. 10. l. 2. & l. 4.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

omnia reſpondendum, & utrum ejusdem Legatus admittendus, novaque cum Sultano transactio ineunda ſit, ac denique ſi Hungariam quoque interim invadat, num ad pacis conſilia a Cæſare nondum tentata deſcendere expediat? Advenit interea Lintzium Sultani Legatus, mox igitur congregati Ordines reſponſum ſuum ad ſingula habitæ conſultationis capita Cæſari exhibebant: Hungari vero reſponſo ſuo nuper jam transmiſſo inſiſtebant, Tranſylvani econtra, ne exercitus in Provinciam ſuam inferretur, toto ſtudio deprecabantur. Tandem vero fluctuantes Ordinum animos firmabat Mehemethis Kiahiæ Turcici Legati adventus, qui anni ſequentis die duodecima Maij Viennam ſolemni pompa ingreſſus, Achmetis Ottomanici Imperatoris nomine, de concordia cum Mathia Cæſare agere cœperat, pacis conſilia tandem extorquente adverſa, qua Turcæ premebantur, fortuna; quippe Emiris Sidonenſis Filii Prætorem damaſcenum cum magna Turcarum multitudine prælio fuſum interfecerant, Naſuffus quoque, cujus Patrem Achmetes laqueo ſuffocari juſſerat, incendiis & rapinis Aſiam fæde lateque proterebat: Coſſacci etiam Conſtantinopolin uſque populabundi excurrebant, indeque in Bythiniam, & Paphla-

Khevenhill. tom. 8. p. 742. Ludolff. l. 15. c. 2. n. 42.

Paphlagoniam converſi, ferro flammaque univerſam vaſtabant Regionem, Trapezuntem quoque unacum portu, viginti ſeptem triremibus & armamentario Turcico evertebant, Synope urbe antiquiſſima in cineres redacta *. Acriter inſuper a Perſis, atque Aſiaticis urgebantur Turcæ, magnasque ſubinde clades a Chriſtianis accepere. His igitur, aliisque tam exteris, quam domeſticis calamitatibus undique obrutus Turcarum Imperator, in vicennales inducias cum Mathia Cæſare ineundas conſenſit, quibus etiam pacis Situatorocenſis articuli anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexto ſanciti, fuere confirmati, ſimulque Chriſtianis omnibus, atque ipſis etiam Jeſuitis Templa ſeu Oratoria per univerſum Imperium Ottomanicum erigere conceſſum eſt. Has porro inducias Mathias Cæſar primo Pragæ die prima Decembris anno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo quinto, ac rurſus die prima Maij anni ſequentis ratas habuit. Eo igitur pacto tandem Hungariæ & Tranſylvaniæ tamdiu exoptata pax reddita eſt. Eodem quoque anno Achmetes cum Dadrano

Sæc. XVII. A. C. 1614.

* Hæc eadem urbs progreſſu temporis reſtaurata hodie a Turcis Por - Dapas nominatur.

Sæc. XVII. A. C. 1614. drano Georgianorum Principe pacis fœdera inibat.

§. LXXII.

Philippus Nerius & Thereſia a Jeſu Beatorum faſtis a Paulo V. adſcripti.

Ad hujus anni diem decimam quartam Maij referunt nonnulli Beati Philippi Nerii Beatificationem, quamvis alii eandem ad diem vigeſimam tertiam Aprilis anni ſequentis reiiciant; poſtquam enim quarto poſt ſancti hujus Viri obitum anno Corpus ejus integrum, ac ipſius memoria virtutum ſplendore & prodigiorum copia ubique ſanctitatis famam diffunderet, Paulus V. in acta ac ipſius miracula demandatis inquirendi curis eundem Beatis palam adnumerabat. Iisdem publicis honoribus decorabat idem Pontifex Sanctam Thereſiam a Jeſu Carmelitani Ordinis reſtauratricem, quæ tam in vita quam poſt mortem prodigiis celebratiſſima per totam Hiſpaniam velut Sancta colebatur: quocirca Clemens VIII. Philippo II. Hiſpaniarum Rege, Regina, Archiepiscopis aliisque innumeris impenſe rogantibus, cuncta ipſius geſta & prodigia exactiſſime diſcuti juſſit, omnibusque rite comprobatis ſanctam hanc Virginem

ginem Beatis adscribere constituit, morte tamen præventus, quod feliciter cæpit, absolvere haud valuit: tandem vero recognita caussa Paulus V. die vigesima quarta Aprilis edito diplomate, quod incipit: *Regis æternæ Gloriæ* Theresiam in Beatarum Virginum album solemni ritu recensuit. Hæc Virgo in Regni Patronam Albæ, atque in universo Hispaniæ Regno selecta est, ejusque obitus dies ibidem festive colitur, ac vacuus ab opere Religioni consecratur. Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. LXXIII.

Principum ac Virorum illustrium obitus.

Præter Philippum Ludovicum Palatini Comitem, qui tertio Mense post Wolfgangi Guilielmi Ducis Filii sui reditum ad Ecclesiam Romanam die decima quarta Septembris præ animi mœrore decessit: pariter naturæ debitum solvit Henricus Montmorentius Galliæ Commestabilis, & in Septimania Prorex: Vir bellica virtute ac divitiis oppido conspicuus, cetera literarum adeo ignarus, ut ne prima quidem elementa sciret, quamvis solo naturæ Beneficio summum rerum apicem assecutus, tanta laude iniquissimis

Strauch. cont. Sleid. pag. 529. Gramond. Hist. Gall. l. 1. p. 50. Serran. Franc. Hist. p. 929. 926.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

mis etiam temporibus prima & publica obierit munia, ut Aulicorum ævi sui Princeps audierit. Ubi vero extrema imminere sensit, totius vitæ antehac laxius exactæ noxas Patri Archangelo Capucino, pœnitens exponebat, ac Divi Franciſci habitu indutus, in cinere & cilicio extremum præstolabatur vitæ momentum. Ferunt Nautam, qui Cadaver Pedenatio Agatham secundo flumine deportabat, Capucini habitus novitate suspensum exclamasse: *Frustra hac veste Cœli janitores decipere niteris; hi enim detracto ante fores cucullo statim Montmorentium dignoscent.* Ceterum mortuo Henrico munus Comestabilis Francici ad annum usque milleſimum sexcenteſimum vigeſimum primum vacabat, quod a Ludovico XIII. Rege delatum est Luygnio.

Lexic. Univ. l. 5. Margarita tom. 3.

Non multo post itidem Parisiis eandem æternitatis viam ingrediebatur Franciſcus Princeps Contius, Ludovico Franciæ Regi Patruelis, qui in Protestantium secta educatus post Parisinam cædem Catholicæ Religioni nomen dederat. Intererat Blessensibus comitiis, immotoque studio tam Henrico III. quam IV. adhærebat, post cujus cædem sibi quoque tanquam Regiæ stirpis Principi rerum summam deferri gestiebat, spe tamen sua frustratus, indigna-

dignationem suam haud dissimulabat. De cetero Princeps erat, ut ait Gramondus, *parum a vulgo distinctus, sine vitio magis, quam cum virtutibus.* Eodem hoc anno etiam obiere Claudius Castræus, & Joannes Bomanorius Lavardinus, ambo Franciæ Mareschalli. Sæc. XVII. A. C. 1614.

Die vigesima secunda Maij hoc anno pariter decessit Alexander Paris Guisius, cujus supra meminimus. Hic præter animi magnitudinem, qua strenuus, corporis cultu ac forma, omnium ad se affectum rapiebat, magnam dicendi facundiam cum silentii Majestate conjungere assuetus erat, passim Guisanæ gentis dextera vocatus, eoquod ad quævis ardua promptus, atque avitæ auctoritatis assertor, quicquid inimica manus in Guisios unquam moliretur, semper vindicare paratus esset: Hujus famæ testimonium reddebat duplex cædes Luxiorum, inde orta, quod horum Parens, se facile extremum Guisii Ducis supplicium præpedire potuisse, incautius jactitaret. Tandem vero Guisius, cum in sua arce ad Beoxium quoddam belli tormentum ipsus exploderet, illudque ingenti fragore disrumperetur, fragmento æris impressi tam violenter in coxa læditur, ut non multo post in abscissi membri vulnus serpente tabo extingueretur. Non de- *Vid. Supra Lib. CXXXI. §. 131.*

fuere,

Sæc. XVII. A. C. 1614.

fuere, qui crederent violentam hanc necem huic Principi sanguine utriusque Lucii per nefas effuso fuisse provocatam, festinante in ultionem Deo.

Inter Ecclesiasticos, Literatosque Viros diem vigesimam octavam Januarii exitialem habuit Franciscus Mantica in portu Naonis Foro-Julienſis Provinciæ oppido natus, qui utriusque Jurisprudentiæ per viginti septem ferme annos Professor in Patavina Academia Doctorum insignia accepit, atque a Republica Veneta, ut inter Rotæ Auditores a Sixto V. cooptaretur, præ ceteris selectus, integro decennio hoc munus summa cum laude, omniumque applausu obiit. Demum Cardinalis a Clemente VIII. renuntiatus, integritatis, justitiæ, illibatæ puritatis, ac pristinæ comitatis tenorem semper retinuit, nec studiorum labores, nec discendi ardorem dimittens. Quoniam vero præter scientiæ thesauros nullas possideret divitias, Pontifex eidem mansionem in Vaticano Palatio assignabat, ubi Franciscus habita annui proventus ratione diu vitam oppido frugalem agebat, tandem vero Parentinæ Ecclesiæ Episcopus Romæ anno ætatis suæ octogesimo pie in Domino obiit, sepultus in tituli sui Ecclesia B. V. Mariæ de Populo. Scripsit duodecim libros de

Eggs Purpura docta. Ciacon. in vita Clem. VIII.

de conjecturis ultimarum voluntatum, quod quinque annorum opus sane absolutissimum est, eoque nullum aliud in perdifficili hoc argumento exactius scriptum reperitur, Reliquit etiam posteris suas *lucubrationes Vaticanas*, seu viginti septem libros *de tacitis & ambiguis conventionibus*, præter *decisiones Romanæ Rotæ*: Haud tamen dissimulandum, quod liber primus suarum lucubrationum longe acuratior reliquis, & posteriores viginti sex, quamvis utiles, curisque secundis elaborati, cum primo tamen collati multum remittant de pretio atque existimatione. Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. LXXIV.

Pretiosa mors Sancti Camilli de Lelliis.

Hoc item anno die decima quarta Julii Romæ animam suam hora, qua prædixerat, Deo reddidit fidelis servus Camillus Lellius, Bocchiniaci in Regno Neapolitano ac Diæcesi Theatensi die vigesima quinta Maij natus, qui adolescens profanæ militiæ adscriptus, sæculi vitiis aliquamdiu indulsit, tandem vero ad meliorem frugem revocatus, ac S. Philippi Nerei in Christi schola discipulus Romæ ægrotis paterna vere sollicitudine inserviit, atque in perpetuum *Rossi vita Camill. Miræus Script. Sæc. XVII.*

Sæc. XVII. A.C. 1614. tuum eorum levamen Congregationem Regularium infirmis Miniſtrantium inſtituit, Sodalibus quarto adſtrictis voto infirmis etiam peſte affectis miniſtrandi, quod arduum charitatis obſequium ipſus Romæ & Nolæ in Campania contagioſo morbo laborantibus hilari promptoque animo exhibuit, donec variis divinæ gratiæ donis locupletatus, ac virtutibus, prodigiisque clarus in cælum migraret, annos natus ſexaginta quatuor. Porro novam hanc Congregationem Gregorius XIII. ratam habuit, ac demum anno Chriſti milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſexto pluribus auctam privilegiis Sixtus V. diplomate Apoſtolico confirmavit: ejus vero Fundatorem Benedictus XIV. Sanctorum faſtis adſcripſit.

§. LXXV.

Jacobus I. Angliæ Rex in Mariam Stuartam Matrem ſuam pius.

Rapin Thoiras Hiſt. d'Angl. l. 18. Calmet Hiſt. Univ. l. 152. Wilſon. pag. 61.

Cum Jacobus I. Angliæ Rex ex judicii actis totaque rei geſtæ ſerie probe cognoſceret, quod ſola Religio Catholica Mariæ Stuartæ Matri ſuæ pro crimine impoſita fuerit, atque unica mortis propudioſæ cauſſa exſtiterit Eliſabethæ Reginæ ambitio, ac diadematis amittendi formido, hinc Matris ſuæ hono-

honorem, quantum posset, reparare sollicitus, ei postremum debitæ pietatis officium hoc anno exsolvere constituit, dum corpus defunctæ suæ Matris Petroburgo Westmonasterium ad Sacellum Henrici IV. transferri, erectoque Mausoleo, hanc honorificam inscriptionem sepulcralem apponi curabat. Sæc. XVII. A. C. 1614.

D. O. M.

Bonæ memoriæ & spei æternæ.

Mariæ Stovardæ Scotorum Reginæ Franciæ Dotariæ, Jacobi V. Scotorum Regis Filiæ & Hæredis unicæ: Henrici Septimi Angliæ Regis ex Margaretha majore natu filia, Jacobo quarto Regi Scotorum matrimonio copulata, proneptis: Eduardi quarti Angliæ Regis, ex Elisabetha, filiarum suarum natu maxima abneptis: Francisci secundi Galliarum Regis, Conjugis: coronæ Angliæ, dum vixit, certæ & indubitatæ hæredis; & Jacobi, magnæ Britanniæ Monarchæ potentissimi, matris, stirpe vero Regia & antiquissima prognatæ. Erat

Sæc. XVII. A. C. 1614. maximis totius Europæ Principibus agnatione & cognatione conjuncta, & exquisitissimis animi & corporis dotibus & ornamentis cumulatissima. Verum ut sunt variæ rerum humanarum vices, postquam annos plus minus viginti in custodia detenta, fortiter & strenue, sed frustra, cum malevolorum obtrectationibus, timidorum suspicionibus, & inimicorum capitalium insidiis conflictata esset, tandem inaudito & infesto Regibus exemplo, securi percutitur, & contempto mundo, devicta morte, lassato carnifice, Christo Servatori animæ salutem, Jacobo filio spem regni & posteritatis & universis cædis infaustæ spectatoribus, exemplum patientiæ commendans, pie, patienter, intrepide cervicem Regiam securi maledictæ subjecit: & vitæ caducæ sortem cum cœlestis Regni perennitate commutavit sexta idus Februarii anno millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, ætatis quadragesimo sexto.

§. LXXVI.

Sæc. XVII.
A. C. 1614.

§. LXXVI.

Variæ viciſſitudines in Regno Angliæ.

Quamquam Jacobus Angliæ Rex ſeſe Catholicis minus propitium exhiberet, Aulæ tamen Miniſtri his magis quam Puritanis favebant; hos enim tanquam Regis ac Monarchici Regiminis hoſtes abominabantur, illos vero unice intentos credebant, ut Regis voluntati in omnibus obſecundarent. Eapropter Puritanorum non pauci, ut continuas vexationes effugerent, in America ſedem figere decreverant. Vocabantur hi quidem Puritani, re tamen ipſa varias profitebantur ſectas ſchismaticas; nomen enim *Puritani*, quicquid in aliis ſectis vel boni vel mali erat, complectitur, quocirca vere ac proprio nomine dividi poſſunt *in Puritanos ſcurras*, & *ſcurriles Puritanos* (*): Quoniam vero timendum eſſet, ne auctis horum familiis hæc ſecta in America invaleſceret, hinc Rex illos eo migrare vetuit. Eodem quoque anno Catholici jacturam deplorabant Nortantoniæ Comitis, qui, poſtquam tru-

Annal. Jacob. I. p. 7.

(*) Ita loquitur author Annalium Jacobi I. l. c. relatus a Rapino de Toyras.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

cidato Overburio in gratia Roberti Carri Sommerſeti Comitis ſucceſſerat, hujus clientis auctoritatem in favorem Catholicorum vertebat. Hic enim, quamdiu apud Regem gratia valebat, ſemper Catholicos pro viribus protegebat, cum vero inſuper Sommerſeti regii Clientis animum ſibi devinctum haberet, & quinque Portuum Gubernator creatus eſſet, Sacerdotibus Catholicis ac Jeſuitis ſecuram illuc appellendi facultatem conceſſerat, unde ob ingentem eorum, qui in Angliam venerant, numerum, querendi, culpamque in Nortantoniæ Comitem rejiciendi anſam Calviniſtæ ſumpſerunt, quorum tamen ora Comes obturabat, pœnis lege *de ſcandalis Magnatum* (*) ſtatutis in petulantiores animadvertens: Magis tamen Comiti infenſum ſeſe exhibebat Cantuarienſis Pſeudo-Archiepiſcopus, qui omnes moderationis leges prætergreſſus, coram Rege epiſtolam produxit a præfato Comite ad Bellarminum Cardinalem ſcriptam, in qua is profitebatur, quod temporum iniquitate, ac importunitate Regis devictus,

(*) Hæc lex in Anglia fuit ſtatuta, ut reverentia Proceribus debita ſarta ſervaretur, indictis ſeveris pœnis in eos, qui in eos probra ingerere non reformidarent.

victus, exterius quidem Protestantium sectæ adhæreret, animo tamen constanter Catholicam coleret Religionem, semperque Orthodoxis favere paratus esset. Habita hujus epistolæ notitia omnes, qui de maledictis in Comitem congestis antea accusati fuerant, liberi dimittebantur, Comes vero a Rege acriter hac super re objurgatus, Charingium ad villam suam emigrare compulsus est, ubi etiam paulopost obiit, in testamenti sui tabulis declarans, quod semper in Religione Catholica vixerit, atque etiam in ea mori cupiat. Sæc. XVII. A. C. 1614.

Nec tamen amandato hoc Catholicorum fautore Rex majore fruebatur quiete, populo ac præcipue Puritanis in publicas contra ejus profusionem querimonias erumpentibus. Cum enim Rex ad extorquendas pecunias jam omnes fontes exhausisset, nec tamen pro impetrandis novis subsidiis Curias, ut moris erat, convocare auderet, eo quod præcipue Ordo plebeius, seu *Curia communis* ac inferior, ut vocari solet, in ejusmodi Conventibus libere suas querelas proponere, ac ipsius Regis, suorumque Ministrorum gesta discutere haud dubitaret, hinc Rex partim aulæ officia vendere, novaque pecunias corradendi media excogitare cogebatur: quoniam vero omnes hæ ar-

Sæc. XVII. A. C. 1614. tes ad levandam Regis neceſſitatem haud ſufficerent, invitus licet, urgentibus tamen Sommerſeto Comite, & ſupremo Regni Theſaurario ad diem primam Aprilis ejusmodi comitia indixit, inferioris Curiæ Deputatis exponens, quod pro filiæ ſuæ nuptiis prius in certam pecuniæ ſummam conſentirent, poſtea nationis gravamina diſcutere permitterentur. Verum hi præprimis, quomodo Regni reditus fuerint impenſi, disquirì petebant, Regem ſugillantes, quod inutiles feciſſet expenſas, absque Senatus conſenſu pecuniarum exactiones indixiſſet, monopolia non ſine magno commercii damno exerceri, ac Catholicorum numerum indies augeri permiſiſſet, quos ideo tantopere multiplicatos ajebant, eoquod Rex Papiſtas ad ſuum Senatum admiſiſſet, & cum exteris Catholicisque Principibus negotiationes habuiſſet, eo ſub obtentu, ut nuptias inter utrumque ſuum Filium, & Catholicas Principum filias conciliaret: Hæc Deputatorum libertas Regi ſummopere diſplicuit, magis tamen ejus Aulicis, qui aſſentationibus aſſueti, Jacobum velut ſui ævi Salomonem, ſapientiſſimum, prudentiſſimum, omniumque Regum æquiſſimum deprædicabant, eumque ad vindicandam hanc injuriam inci-

incitantes, eo inclinabant, ut die septima Junii Curiam inferiorem exauctoraret, eosque, qui liberius obstrepebant, in carceres deduci juberet. Hic denique fuit finis hujus conventus, in quo nec unicum quidem decretum pro utilitate publica fuit sancitum. Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. LXXVII.

Variæ decisiones auctoritate Pauli V. Pontificis editæ.

Ineunte hoc anno die decima quarta Januarii summus Pontifex edito diplomate Congregationem Clericorum Sæcularium sub invocatione Beatæ Matris Dei erexit, eique scholarum piarum Regimen ubique ac perpetuo jure demandavit, eo fine, ut ab eis pauperes, etiam Nobilium filii, quorum familiæ ad inopiam redactæ sunt, gratis in literis & virtutum exercitiis instituantur. Præterea auctoritate ejusdem summi Pontificis Sacra Rituum Congregatio die decima nona ejusdem Mensis declarabat, quod solus Episcopus possit habere fenestras in Ecclesia, per quas in eam conspectus haberi valeat. Sequentis autem Mensis die decima quinta in Congregatione Episcoporum & Regularium fuit sancitum, quod Vicarius Apostolicus non possit functiones

Bullar. magn. tom. 3. Const. 81.

S. Rituum & Concil. Congreg.

Congreg. Episcop. in Casalen.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Episcopales obire, simulque die decima quinta Martii declaratum, quod celebratio chorearum in quadragesima, omissio etiam Ecclesiis solvendi debita, festorum dierum violatio, & fornicatio Sacerdotis cum soluta, nisi interveniat peccatum contra naturam, non debeant casibus reservatis accenseri. Eadem quoque die statutum, quod festum Annuntiationis B. V. non valeat celebrari in Hebdomada Majore, dum Ecclesia celebrat Passionem Domini: die autem duodecima Aprilis declaratum, quod si incæpta consecratione Episcopus morbo correptus deficiat, & præsertim antequam ungantur Cruces, resumenda sit a capite consecratio. Statutum quoque die duodecima Maij, quod absolutio ab Excommunicatione *ad cautelam* non valeat concedi absque speciali commissione, anniversaria vero & Missæ de Defunctis, quæ certo die dici debent, eo impedito transferri valeant in sequentem, prout die decima nona ejusdem Mensis Sacra rituum Congregatio decidit: Pontifex vero die decima sexta Junij omnes, ad quos spectat, hortatus est, ut deinceps novo rituali Romano in Sacris functionibus utantur, & in re tanti momenti, quæ Catholica Ecclesia, & ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent.

Sacra

Sacra autem Concilii Congregatio die decima Septembris declarabat, quod Abbates benedicti, licet benedicere non possint ea, in quibus sacra unctio requiritur, si tamen speciali privilegio muniti fuerint, munus præfatæ benedictionis quoad ea, in quibus requiritur unctio, impendere possint: insinuabat etiam die vigesima sexta ejusdem Mensis, quod obligatio amovibilis audiendi confessiones non sit incompatibilis cum Parochiali, sicut &, quod non nisi Episcopus trino ductu sit thurificandus, eique, & in ejus absentia Vicario Generali, debeatur reverentia in Choro, dum Divina celebrantur, ab omnibus Canonicis etiam quavis ratione exemptis. Ita die undecima Novembris a S. Rituum Congregatione decisum habetur. Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. LXXVIII.

Marci Welseri Patricii Augustani obitus.

Obiit hoc anno insigne Augustanæ urbis decus atque ornamentum Marcus Welserus seu Velserus, qui ibidem die vigesima Junij anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo ex nobilissima æque ac pervetusta, cujus origo a Bellisario Justiniani Cæsaris

Adam. vit. Jurisc. Germ. Christ. Arnold. in vita Velser.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

ris Belliduce petitur, familia natus. Hic Patrem habuit Matthæum Welserum Secretioris Consilii Senatorem longe celeberrimum, a quo Marcus liberaliter educatus, ac Romam missus, ibidem in arte dicendi Magistrum habuit Muretum magni nominis Oratorem: Tam probe linquam Italicam noverat Marcus, ut Florentinam eloquentiam assecutus, æquus hujus idiomatis Censor ac Judex audiret: postea cum in juris prudentiæ studiis ac itineribus uberrime ingenii sui opes auxisset, in patriam reversus, anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo nono ad forenses Augustanæ Reipublicæ causas animum adjecit, tertio post anno Senatorum cætui ac biennio post Secretioris Senatus Consilio adscriptus: tandem vero anno Salutis nostræ millesimo sexcentesimo supremus urbis Prætor ac S. Cæsareæ Majestatis Consiliarius enituit, quo munere ideo duntaxat decoratus videbatur, ut patriæ Pater, virtutum exemplar, literatorum fautor, & commune omnium perfugium esse posset. Tandem vero ad senectutis terminos cum perveniisset, podagra confectus die decima tertia Junii rebus humanis ereptus est, memoria nominis sui relicta immortali: Hic idem plurium Auctorum libros ad prælum promoverat, ipsus vero

vero secunda prorsus Minerva libros octo *de rebus Augustanis*, commentarium *de conversione & Passione SS. Martyrum, Afræ, Hilariæ, Dignæ* &c. *Vitam S. Udalrici* antehac nunquam tam copiose editam, Historiam ab Eugippo de vita S. Severini scriptam cum scholiis, narrationem eorum, quæ contigerunt Apollonio Thyrio, Tabulas antiquas Peutingerianas, epistolas ad Viros illustres, ac denique quinque libros scripsit Annalium Boicorum, de sexto, qui tamen deperiit, mentionem Ehingerus facit: Ceterum licet hi annales acri, subtilique ingenio, ac judicio conscripti ab eruditis plurimum commendentur, acriter tamen a quodam incognito, qui se Leontium Pamphilum Alsaticum nominat, *in sua apologia* seu *recriminatione* anno Christi millesimo sexcentesimo quarto reprehenditur Velserus, eoquod in libro quarto pag. 125. edit. Norimberg. in margine Bavariæ descriptionem & historiam stematum Lotharingiæ a Francisco de Rosieres concinnatam his verbis carpserit: *Roserius diplomata Martini Ducis scripta profert, quibus Bertha Bavariæ Ducissa ejus uxor nominatur: Sed dubiæ fidei Scriptori credere multa prohibent, qui præsertim hist. cap. 50. Res Boicas ineptissime tractavit, & Bavariæ sane nomen nondum illo sæculo auditum*

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

* *ne quis a Martino in diplomata relatum, ſibi perſuaderi patiatur:* Porro eidem Marco Velſero nonnulli adſcribunt rariſſimum librum Italo ſermone conſcriptum, cui titulus: *Scrutinium libertatis Venetæ, in quo etiam Romani Imperii jura in urbem & ditionem Venetam adducuntur.* Verum Chriſtophorus Arnoldus in ſua præfatione ad Welſeri opera oppoſitum demonſtrat: alii etiam ſingularis hujus libelli Auctorem autumant Antonium Albizzium Florentinum, alii Nicolaum Claudium Peireskium (vide Buderi Bibl. Hiſt. p. 1458.) denique nonnulli hoc opus attribuunt Alphonſo de la Cueva Bedmerio Marchioni Hiſpano apud Venetos Oratori, a quo, vel ejus juſſu ab alio ob exortam Hiſpanos inter & Venetos controverſiam de jure in Mare Adriaticum primum anno 1618. hunc partum in lucem fuiſſe editum augurantur: Verum jam anno 1615. Venetiis *Joannis Nicolai Doglioni Venezia triumphans* & anno ſequenti *Zoroaſtri Roiteri ſpeculum libertatis, & reſponſum ad obtrectationes contra Venetos* prodiere; Horum tamen Venetæ libertatis vindiciæ Leonardo Donato Reipublicæ Duci adeo infirmæ videbantur, ut famoſo Paulo Sarpio hoc negotium com-

* Bavaria olim *Avaria* dicebatur.

committeret, qui tamen eidem in re- Sæc. XVII.
sponsis dabat: *Serenissime Princeps, ne* A. C. 1614.
moveas Camerinam, immotam hanc expedit esse.

§. LXXIX.

Ven. P. Hieronymi Gratiani Carmelitæ Excalceati fata & decessus.

Vivis quoque hoc anno ereptus est Venerabilis Pater Hieronymus Gratianus a Matre Dei natione Castellanus, patria Vallisoletanus, cujus vita fortunæ varietate fatalis, mors vero sanctitatis fama celebris exstitit. Hic Doctoratus laurea decoratus, ac Compluti Theologiæ Professor, anno a partu Virginis millesimo quingentesimo sexagesimo nono ad S. Presbyteratus Ordinem ascenderat; majoris vero perfectionis desiderio captus, evoluto triennio Carmelitarum Excalceatorum institutum die vigesimo octavo Martii professus est: paulopost Prior Hispalensis ab Apostolicæ Sedis Nuntio utriusque Carmeli Visitator ac Commissarius Apostolicus nominabatur, quo munere tantam in se concitabat invidiam, ut jussu Philippi Segæ Nuntii Apostolici, qui Excalceatis adversabatur, ad mitigatos Carmelitas exul migrare cogeretur, donec nova Excalceatorum Carmeli-

Franc. Berraguette in Vita P. Gratian. Miræus Script. Sæc. XVII. pag. 279. Christ. Marquez vit. Hier. Grat. Nic. Ant. Bibl. Hisp. tom. 1.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

melitarum Congregatione Gregorii XIII. jussu erecta, Provincialis ac Visitator crearetur, a Sancta Theresia, cui a Confessionibus erat, plurimi habitus: tertio tamen post hujus Sanctæ obitum anno in Capitulo Ulyssiponensi a suis æmulis insimulabatur, quod sub obtentu charitatis nonnullas mitigationes introduxerit, ac relicto contemplationis studio nimium activæ vitæ, & præcipue prædicationis exercitio vacans, communis vitæ exercitationes neglexerit. Equidem culpam a se movit Gratianus edita *apologia* sat erudita *pro defensione charitatis contra aliquos, qui titulo Regularis observantiæ debilitant ipsam, & Religiones perturbant*, nihilominus in Indias ad Infidelium conversiones demandatus erat, ne autem eo proficisceretur, obstitere Albertus Austriæ Archidux, aliique Proceres, quorum tamen patrocinium præpedire haud valuit, quin anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo secundo die decima septima Februarii a Religione sua expelleretur: fors haud incongrue huic fato addere possem illud Evangelii, *nec hic, nec Parentes ejus peccaverunt, sed ut manifestaretur Gloria Dei*, & hujus Viri virtus. Ad hanc sententiam attonitus hæret Gratianus, Nuntii Apostolici opem implorat, ejusque

que ſuaſu ſibi bene confiſus Romam advolat, diu tamen Clementis VIII. alloquio excluſus, nec etiam præpediente Philippo II. Rege, qui inde novam Carmelitarum reformationem perturbari timebat, ad ſuos redeundi facultatem obtinere valuit, conceſſa duntaxat venia alium ingrediendi Ordinem. Repulſam tamen ubique paſſus, Neapolin in Siciliam contendit, ubi ſecluſa omni ad ſuum Ordinem redeundi ſpe habitum Fratrum Eremitarum Diſcalceatorum S. Auguſtini aſſumere conſtituit, hancque in rem Romam verſus navigavit: aſt inimicam rurſus expertus fortunam, die undecima Octobris ejusdem anni prope Gaitam in Turcas Piratas incidit, omnibus ſpoliatur veſtibus, probris, verberibus, ac catenis oneratur, atque in utriusque pedis planta Crucis figura ignito ferro inuſta, admotis candentibus laminis fame, ſiti ac frigore male torquetur, poſtea tamen a quodam Turca modeſtiſſimi Viri nuditatem miſerto laceram veſtem, a Chriſtiano remige detritos calceos, & a quodam Mauro ſordidum verticis tegumentum accepit. Tandem Tunetum perductus, ſpe copioſi Lytri a Baſſa emitur, ac cum ceteris mancipiis Chriſtianis in quodam loco ſubterraneo, immundo, fœtido atque obſcuro includitur,

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Sæc. XVII. A. C. 1614.

tur, ubi tamen quam plurimos Saracenos vi precum ſuarum, necnon captivos Chriſtianos aſſidua Divini Verbi prædicatione vel ad Chriſti fidem adduxit, vel ad labores pro Chriſto tolerandos jugibus hortationibus validoque ſpîritu animavit. Exacta demum triennali captivitate quidam Judæus nomine Simon, cujusdam beneficii, quod olim a P. Gratiano receperat, memor, eundem perſoluto redemptionis pretio in libertatem aſſeruit: ipſe vero mox Romam profectus, annuente ſummo Pontifice ad Patres Carmelitas mitigatos tranſiit, poſthæc in Hiſpaniam miſſus, verbum Dei velut imbriſera nubes circumquaque diſcurrens, diſſeminabat, atque in Flandriam & Belgium inde pergens, per annos novem animarum ſalutem indefeſſo ſtudio promovere ſatagebat, demum vero Bruxellis die vigeſima prima Septembris anno ætatis ſuæ ſexageſimo nono in ſuo Conventu non ſine magna Sanctitatis opinione obiit, tota ferme Bruxellenſi aula funus comitante, & quodam Ordinis FF. Prædicatorum Magiſtro funebrem fermonem perorante. Scripſit quamplurima, ex quibus præcipue Andreas del Marmol amplo volumine anno 1616. Mantuæ Carpentanæ typis edita collegerat: Sunt autem hæc *Dilucidarium ſpiri-*

Sæc. XVII. A. C. 1614.

ſpiritus, Itinerarium triviæ Perfectionis, de modo recitandi devote Officium Divinum & Miſſam dicendi. Meditationes in orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam. Abecedarium Spiritus, tractatus *de SS. Trinitate. Regula bene vivendi. Apologia contra eos, qui in omnimoda ſui annihilatione perfectionem conſtituunt. De excellentia S. Joſephi lib. V. Stimulus propagandæ fidei, de redemptione captivorum. De variis dæmonum fallaciis adverſus virtutes. Devotus Peregrinus. De arte amandi Deum.* Sparſim editi ſunt tractatus de *indulgentiis, & Jubilæo*, cujus Bullam ipſemet Clemens VIII. ad Gratianum direxerat, ut illud Chriſtianis in Africa degentibus annuntiaret. *Miles Chriſtianus* Bruxellis anno 1611. editus. Grande volumen in Apocalypſin S. Joannis. *Babylonica cæcitas adverſus hæreticos. Lamentationes de miſero ſtatu Atheiſtarum. De poteſtate Pontificis contra librum Ferdinandi de los Infantes. Chronographia Carmelitana. Conſilia brevia ſemper & ubique. Hieroglyphica Sacra. Spirituum diſcuſſio. Confeſſionale Mancipiorum. Modus diſputandi contra Saracenos & Judæos. Liber de arte bene moriendi, & Conceptus de Divino amore in Cantica.* Permulta alia conſcripſit Gratianus, quæ vel ſolum nominare nimis prolixum foret, multa

Sæc. XVII. A. C. 1614.

insuper alia reliquit nondum typis edita apud Fratrem suum Germanum Gratianum. Erat enim Hieronymus vastissima eruditione ac pene omnium Nationum linquis & literis apprime excultus, quem etiam S. Theresa suum Eliseum vocare solita erat.

Huic merito adjungimus P. Joannem a Jesu cognomento Rocca Catalanum, qui dum Hieronymum Gratianum adhuc Complutensis Academiæ Theologum de Ordinis Carmelitani præstantia egregie perorantem audiisset, novæ Theresianorum Congregationi nomen dedit, atque ob egregias animi dotes omnes ferme Ordinis sui honores gradatim adeptus, a Gregorio XIII. & Clemente VIII. plenam a Calceatis separationem obtinuit. Scripsit commentaria in universam Philosophiam & tractatum de Theologia Mystica.

§. LXXX.

F. Didaci Nunno aliorumque ex Ordine S. Dominici Scriptorum mors.

Eckard Script. Ord. FF. Prædicat. tom. 2.

Celebres quoque Scriptores ex Ordine FF. Prædicatorum hoc anno decessere, quos inter primus erat Didacus Nunno Cabezudo Hispanus egregius gratiæ efficacis Vindex, qui per triginta annos in variis Castellanæ Provinciæ

vinciæ locis Theologiæ Professor Molinæ propositiones a Padilla Jesuita expositas acerrime impugnabat, easque præmissa correctione fraterna, incassum licet, tandem ad Sacrum Inquisitionis Tribunal detulit; obiit autem Segobiæ Mense Februario meritis, annisque gravis. Edidit *commentarios in tertiam partem Summæ Divi Thomæ* unacum tractatibus *de auctoritate Pontificis & Conciliorum, de indulgentiis, de auxiliis gratiæ Divinæ, & de Bulla cruciatæ.* Prodiit etiam post ipsius obitum tractatus alius in eandem partem Summæ Divi Thomæ Romanis literis excusus. Haud minori laude celebrandus est Seraphinus Capponius, qui inter literarum exercitia senescens, Bononiæ anno ætatis suæ septuagesimo octavo vitam beato fine clausit, cujus corpus jussu S. Rituum Congregationis refossum, integrum est repertum. Hæc autem sunt ejus Opera Venetiis edita: I. Veritates aureæ super totam legem veterem tum literales, tum Mysticæ II. Commentaria in Matthæum, & Joannem III. Scholia super compendium Theologiæ Alberti Magni IV. Tota Theologia S. Thomæ Aquinatis V. Elucidationes in summam Theologicam D. Thomæ tom. VI. Plura adhuc manu exarata posteris reliquit, quæ

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Sæc. XVII. A.C. 1614.

in Bononiensi Conventus sui Bibliotheca asservantur. Præterea ex eodem Ordine P. Petrus Bouquier edidit librum *de Sacrificio Religionis Christianæ ex S. literis comprobato* præter alios tractatus contra Calvinistas. Scripsit quoque Ludovicus Ystella commentarios in Genesin, exodum, & Evangelia.

§. LXXXI.

Quidam Societatis Scriptores hoc anno extincti.

Hunc annum nonnulli quidem, minus tam celebres Societatis Scriptores sibi exitialem habuere, ex quibus Joannes Haius natione Belga scripsit: *Quaternionem Evangelistarum, apparatum Evangelicum, & Triumphum veritatis*, quæ omnia Duaci typis edita prostant. Alter erat Sebastianus Heissius natione Germanus, patria Augustanus, qui Ingolstadii annos natus quadraginta tres obiit: Edidit tractatus *de vera Christi Ecclesia, ejusque notis, de Ecclesia Triumphante, de Cultu Sanctorum, Purgatorium Lutheranorum, Dialogos de S. Eucharistia, & Apologiam doctrinæ Jesuiticæ.* Omnes hi tractatus Ingolstadiensibus literis excusi fuere: Dilingæ autem evulgata est Confessio Augustana ab ipso castigata contra Heilbrun-

brunnerum. Denique præter Ludovicum Cerquerram Lusitanum, Joannem Connarium Polonum, Guilielmum Bathæum, & Franciscum de Cuniga Hispanum, recenseri merentur Franciscus Bomaldus, qui quædam ascetica Gallico idiomate edidit, necnon Vincentius Regius Panormitanus, qui Theses de SS. Trinitate, tomos tres *dilucidationum Evangelicarum* & suum *Enchiridion Evangelicorum* posteris reliquit. Sæc. XVII. A. C. 1614.

§. LXXXII.

Isacci Casauboni interitus.

Inter Reformatos Scriptores, qui hoc anno decessere, facile princeps est, Isaccus Casaubonus Genevæ die decima octava Februarii Patre Arnoldo Ministello natus, qui junior adhuc pro more tum literatis communi sese Isaccum Hortibonum appellitabat. Erat is adeo pauper, ut parentibus suis orbatus in culina veru simul & libros versare cogeretur, & quamvis Græci idiomatis, artisque criticæ peritia adeo celebrem sese reddidisset, ut has literas publice traderet, non erat tamen acceptus in patria sua, quam etiam non sine indignatione & acerbissimæ acceptæ a Genevensibus injuriæ sensu reliquit, postea vero urgente Philippo Canayo

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Fraxineo, qui demum ejurato Calvino ad fidem Catholicam reversus est, Montpessulanum contendit, inde Lugdunum delatus, ubi patrocinante Harlæo Præside, Thuano, aliisque Bibliothecarius seligitur ab Henrico IV. Galliarum Rege, qui sæpe illum ad veram Religionem sollicitabat, urgebatque, ut disputationi tanquam arbiter intereſſet habitæ cum Plessæo Morinæo Calviniſta & Perronio Cardinale, quem Casaubonus alicubi *fulmen hominis* vocitabat: qualis vero egregius hic arbiter ex hac disputatione redierit, testantur Hugonotarum querelæ adversus ejus Orthodoxiam motæ, necnon ipsius Casauboni epistolæ, & publica scripta ejusmodi querimoniis referta. Huc quoque Eliæ Benedicti, licet Protestantis, verba referenda sunt: *Erat Casaubonus*, inquit ille, in hac Fontisbellaquei disputatione, *homo ingenii imbecillis, & fluctuantis, usque adeo, ut jam tum ipsum lucratus fuerit Perronius per lusus & thrasonismos suos: Promiserat, mutaturum se Religionem. Ast is, tum accurate observabatur, tamque opportune intervenit vocatio Regis Jacobi I. in Angliam*, (quo cum Henrico Wotono profectus erat) *ut in speciem saltem in Religione pristina denuo fuerit confirmatus: verum est, quod priusquam accederet ad Regem Jacobum, subinmuerit Perronio, utilius*

El. Benedict. Hist. de l'Edit de Nantes tom. 1. p. 340.

lius se ipsi serviturum apud Regem in Religione reformata, quam si ipsam desereret, hinc incertum est, quam sincera ipsius fuerit perseverantia: certum est ad minimum, familiæ ejus non admodum charam fuisse religionem, dum filiorum aliquis post fata Parentis ad catholicos transiit (*).

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Ut ut res se habuerit, id certum est, quod Casaubonus in præfato colloquio Mornæi causam reliquerit, eumque redarguerit, *quod unius Viri* (Calvini) *maximi quidem, erroribus tamen obnoxii auctoritate fretus, pati nequidem potuerit Sanctissimorum Patrum Ecclesiæ nomina, imo ipsum non puduerit in quodam scripto suo B. Cyprianum appellare Anabaptistam, ut recentis hæreseos infamia Martyris Christi memoriam macularet:* Maxime autem observanda sunt Casauboni verba, quæ sequuntur: *Quid commemorem ausa aliorum similis temeritatis plena? volunt enim isti, Patres fuisse Semi-pelagianos, imperitos Scripturarum, fatuos, stultos, bardos, impios. Hinc est, quod errores Pontificios ita oppugnent, ut sæpissime per illorum latera jugulum priscæ Ecclesiæ petant. Mihi hæc lascivia, aut potius detestanda impietas, non placet; video enim istos, dum superstitionem expugnant, latam profanatio-*

Epist. Casaub. ad Daniel. Kains. Anno 1611. Vid. epist. Remost. Præst. & erud. Vir. Eccles. p. 249. & seqq.

(*) Erat hic Joannes, qui vivente adhuc Parente suo Ordinem Capuccinorum ingressus est.

Sæc. XVII. A.C. 1614.

ni rerum Sacrarum, & totius Religionis christianæ feneſtram aperire. Clamant igitur, me Pontificium eſſe, qui errores Pontificiorum acrius, quam ipſi faciunt, paratus ſum confutare: eſt vero hæc mea ſententia, cum una ſit futura, & eſſe poſſit vera Eccleſia, non temere recedendum eſſe ab iis dogmatis fidei, quæ conſenſu omnium vetus Eccleſia Catholica probavit, & cum baſin veræ Religionis præter Scripturam τὴν γεόπνευσον *nullam agnoſcam, opto cum Melanchtone & Eccleſia anglicana per canalem antiquitatis deduci ad nos dogmata fidei e fonte Scripturæ derivata. Alioquin quis futurus eſt novandi finis aut* φιλοκαυος *ingeniis quod frænum poterit imponi.* (*)

Obiit tandem Londini anno ætatis ſuæ quinquageſimo quinto die prima Julii: Præter novas editiones, quibus vete-

(*) Ex his verbis conſtat, quod Caſaubonus ad illam viſibilem Eccleſiam, quam invenit, nonniſi propter ſua præjudicia, diſciplinam carni moleſtiorem, inconſtantiæ ſuſpicionem, fortunarum diſcrimen, atque inſequentium vexationum formidinem non redierit, fortè eandem Calvinianæ Inquiſitionis ſeveritatem veritus, quam Genevæ Gentilis & Servetus, & Dresdæ Nicolaus Crellius Cancellarius, qui Calvinianæ Sectæ promotor anno 1601. capite plexus eſt, experti ſunt: Ita nempe Spuria Eccleſia nec ſanguinem, nec ignem horret.

veterum Authorum memoriam posteris conservabat, edidit quoque Casaubonus suas *lectiones Theocriticas*, atque exercitationes sexdecim ad Cardinalis Baronii prolegomena in Annales, de quibus tamen varia extant judicia; præterquam enim, quod hæ exercitationes nonnisi imperfecta sint laborum initia, cum nonnisi trigesimum quartum Christi annum attingant, insuper plures Ecclesiæ Romanæ Critici easdem solide confutarunt, easque Abbas Langletus du Frenoy parum æstimat, & Antonius Pagius de earum Autore hæc scribit: *dum Theologum & Scripturæ interpretem agit, vix Historiam, & quæ ad temporum notationem pertinent, præ oculis habet, Exercitationes ejus in postremis habentur.* Scripsit etiam idem Author plurimas epistolas ad Viros ævi sui doctissimos Rohterodami editas, atque inter eas exstat quædam epistola ad Frontonem Ducæum Jesuitam, in qua sibi ipsi mire complacuit Casaubonus, hæc scribens: *Epistola meo judicio Regis & Archiepiscopi Cantuariensis, & plurimorum Doctissimorum Virorum mirifice probata fuit*, hanc tamen solide anno 1612. confutabat P. Andreas Eudæmon-Joannes ex eadem Societate. Denique Jacobus I. Angliæ Rex potissimum opera Casauboni utebatur in suis scriptis Theo-

Sæc. XVII. A. C. 1614.

Catalog. Langl. Profat. ad tom. I. n. 4.

Sæc. XVII. A. C. 1614. Theologicis, quæ Regis nomine a Montacutio edita fuere.

§. LXXXIII.

Henricus Eckard mortuus.

Inferioris famæ Scriptor secta Lutheranus Henricus Eckard hoc anno die vigesima secunda Februarii mortuus est, qui conscripserat pandectas controversiarum Religionis, compendium Theologiæ Patrum, Isagogen in Catechismum Lutheri, tabulas hæresiologicas, analysin epistolæ S. Joannis, & tomos tres disputationum Theologicarum Giessensium.

§. LXXXIV.

Bassa Mustapha ad fidem Catholicam reversus, ac Romæ Baptizatus.

Merc. Gallob tom. 4. l. 3. Exeunte Mense Novembri hujus anni Mustapha Turcicus Bassa unacum uxore sua, tribus Filiis, unaque filia Religionem Catholicam amplexatus, Romæ sacrosancti Baptismatis fonte ablutus est, eidem ad hunc salutis portum viam aperiente proprio ejus Filio; cum enim hic jam ante binos circiter annos a Christianis in navali prælio captus, Romam abductus esset, ibidemque cognito Mahometanæ superstitionis erro-

errore sese cum Ecclesia Catholica conjunxisset, tam impensis precibus, validisque rationibus suum etiam Patrem urgebat, ut hic quoque Romam venire, ac cum integra sua familia ad Christianorum castra transvolare decerneret. Sæc. XVII. A. C. 1615.

§. LXXXV.

Grangrensis Episcopi Legatio ad Paulum V. summum Pontificem.

Ineunte Mense Januario anni supra millesimum sexcentesimum decimi quinti Romam deferebanrur literæ a Gabriele Grangrensium in Paphlagonia Episcopo, qui se ad Sacrorum pedum oscula venturum significabat, ac paulopost Romam adventans, totius suæ Nationis & gregis nomine in Paulo V. summo Pontifice, Romanaque Sede, Principis omnium in terris Episcoporum auctoritatem agnoscebat, ac debita veneratione profitebatur. *Bald. Chron. moral.*

§. LXXXVI.

Alia, magisque honorifica Legatio ex Japonia ad eundem Pontificem.

Quantumvis Romanæ Ecclesiæ hostes nil intentatum, inausumque relinquerent, ut etiam remotioribus in Regnis *Cont. Sleid. p. 4. l. 5. Appam. ad hunc ann.*

Sæc. XVII. A.C. 1615

gnis Catholicos infectarentur, nihilominus æternæ Mentis consilio plerumque factum novimus, ut eodem ferme tempore, quo ejusmodi Novatores Catholicæ Reipublicæ stragem inferre moliuntur, novis Infidelium accessionibus vera fides augeatur: Hujus rei luculentum nobis exhibet testimonium Japonia; eo enim Angli, Batavique Institores navigationibus suis penetrantes, non sine animi sui lætitia compererant, quod Cubosama totius hujus Insulæ Imperator a suis Sacrificulis instigatus, jam integro biennio in Catholicos ferro flammaque, atque omni crudelitatum genere ferociret. Igitur ipsi hac occasione utendum rati, Imperatoriæ rabiei cursum jam antea plusquam nimis ferventem suis quoque in Romanam Ecclesiam, gentemque Hispanicam effusis contumeliis, ac mendaciis multo vehementius inflammare cæperunt, quinimo in ipsos Neophytos utriusque sexus cum Doctoribus ipsorum omni suppliciorum acerbitate excruciandos, belluinam Japonum sævitiam studio stimulabant, unde Christianorum quamplurimi horum ciniflonum impulsu in carceres deterrimos detrusi, variisque tormentis excarnificati feliciter consummato certaminis cursu pro Christi gloria, ac fidei honore fortiter occubuere; uti

Krigaut. in triumph. Mart. Jap. l. 2. c. 6. & l. 5. c. 18. Epist. P. Richardi Franc. apud Bald. l. c.

uti præter alia monumenta teſtantur literæ a Patre Richardo a S. Anna Franciſcano ex Japonia die ſecunda Maij anno priori transmiſſæ: Verum hic ipſe Martyrum ſanguis in ipſis hiſce remotioris Africæ Regnis Catholicorum ſemen exſtitiſſe videtur; quippe hoc ipſo anno Idares Maſamuna Foxuanorum in Japonia Rex ex ultimis Orientis finibus Philippum Faxecuram Rotuyemonem nobilem hujus Regni Japonem unacum Patre Ludovico Sotelio Hiſpalenſi Ordinis Minorum S. Franciſci Romam ablegabat, ut ſe, totamque ſuam gentem in unum ovile, & ſub unius Paſtoris obſequio ſubmitteret. Hi ergo die decima Novembris in Hiſpaniam, & vigeſima ſequentis Menſis die anno priori Madritum adventantes, a Philippo III. Rege Catholico honorifice habebantur, ubi etiam Faxecura poſt ſuſceptum ſacræ Regenerationis Lavacrum Philippi Franciſci nomen elegit. Inde vero hi Legati die vigeſima ſecunda Auguſti currente hoc anno profecti, ac ſecunda Octobris Genuam appulſi, poſt ingentes honorum ſignificationes tandem die decima octava ejusdem Menſis ad Civitatem veterem pervenerunt, qui magnifica rheda excepti, belli tormentis in lætitiæ ſignum reboantibus, totoque

Sæc. XVII. A. C. 1615.

Civitavechia ſeu centumellæ.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

toque populo festive applaudente die vigesima nona Octobris solemnem in urbem ingressum celebrabant, comitantibus eos quamplurimis Episcopis, Principibus ac Nobilibus tam Romanis, quam Gallis atque Hispanis.

§. LXXXVII.

Foxuani Regis epistola ad Paulum I. Papam.

Bald. Chronic. morale pag. 1031.

Dies erat tertia Novembris, qua hi Legati ad summi Pontificis alloquium admissi fuere, ac præprimis Philippus Franciscus pretiosam, atque artificiosam vestem, qua nunquam, nisi coram suo Rege comparere licitum, indutus, ad summum Pontificem præsentibus Cardinalibus, Sulmonensi Principe, multisque Episcopis, Prælatis, aliisque primæ Nobilitatis Viris accessit, atque in genua provolutus, pedesque Pontificis cum reverentia deosculatus, Regis sui literas obtulit, quas etiam Petrus Stroza, qui Pontifici a secretis, palam recitabat: in his Rex se quidem pro nunc fidem Catholicam amplecti haud posse, cupere tamen testabatur, ut ejus gentes, & subditi populi Religionis Christianæ præceptis instituerentur, hanc in rem sibi Fratres Minores de observantia submitti rogabat,

bat, pollicitus, quod eis suo in Regno omne auxilium præstare velit: *similiter,* prosequebatur Rex; *te Beatissime Pater, exoro, ut in meo Regno disponas, gubernes, instituas omnia ea, quæ ad propugnandam sanctam Dei Legem utilia tibi fore placuerint: præcipue ut in eo instituas, & crees quemdam magnum Prælatum, instanter supplico, cujus observantia & sollicitudine, omnes, qui in eo habitant, quam primum Christianos fieri non dubito: de ipsius autem expensis & redditibus, ne quæso, anxius sis, quia ut copiose fiant, nostræ sollicitudinis & curæ proprium esse volumus, cujus rei causa ad te mitto hosce legatos meos, ut ambo mei vices agentes, obsequii & obedientiæ causa, ad sanctissimam usque Romanam Curiam pervenientes, tuos beatissimos pedes pro me osculentur: cognovi præterea, quod meum a novæ Hispaniæ regnis, quæ potestati, ac ditioni potentissimi Regis Hispaniæ Philippi subsunt, non multum distet: quapropter cum desiderio communicandi cum ipso, & cum illis Christianorum Regnis ejus amicitiam exopto: quod equidem sic fore confido, si tua auctoritas interveniat, precibus humiliter peto, ut hoc Altitudo tua incipiat, & ad finem usque perducat, maxime quia necessaria via Religiosis a te in hoc Regnum missis est. Pro omnibus pro me orabis omnipotentem Deum, ut ad ejus amicitiam valeam pervenire, si*

Sæc. XVII. A. C. 1615.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

vero in hoc regno aliqua videris tuo obsequio & voluntati gratiosa, jubeat Altitudo tua, quoniam ut voluntati tuæ respondeamus, totis viribus adimplebimus.

Hæc autem licet exigua sint dona, quia tamen ex longinqua regione adveniunt, cum reverentia & timore pauca ex Japonia tibi offero, in omnibus aliis nos remittimus ad prædictum Patrem Sotelo, & Equitem Rotuyemon, & ea quæ ex parte nostra tractaverint, & rata fecerint, ipsa & rata esse volumus. Ex civitate & Curia nostra Fendai anno decimo octavo ætatis Quecho quarto, die lunæ novæ, id est, anno salutis millesimo sexcentesimo tertio decimo pridie nonas Octobris.

§. LXXXVIII.

Petri Strozzæ responsum nomine Pontificis ad has literas datum.

Bald. l. c. Argentre Concl. & jud. Facult. Paris. tom. 3. pag. 100. Abrege chronol. de l'hist. Eccl. tom. 3. 1617.

Recitatis hisce literis P. Gregorius Petrocha Ordinis FF. Minorum Japonensis hujus Regis, Legatorumque nomine alium habuit sermonem, quo absoluto Petrus Strozza summi Pontificis Secretarius Apostolicus eleganti oratione Legatis gratulabatur, quod ipsorum Rex divini amoris ardore succensus Christianam fidem receperit, & adhuc Cathecumenus fidei propagationem, verumque Dei cultum apud gentem suam

suam summo Zelo curaverit, illosque eadem de caussa ad Sanctam Apostolicam Sedem ablegarit, *Gaudet summopere Sanctitas sua*, prosequebatur Petrus, *& Deo gratias ingentes agit, quod ministerii sui Apostolici tempore. Christi Domini Evangelium feliciter audiri in Orientalibus Japoniæ partibus cæperit, ejusque rei nuntium allatum esse trigesimo tertio anno, postquam ex occidentalibus illius amplissimæ Insulæ regionibus primi Christianorum ad summum Pontificem legati navem conscenderunt, quasi vero spes, quæ affulserat absolvendi per totum terrarum orbem prædicationis Evangelicæ circulum, adimpleri, ac perfici debuerit mysterioſa annorum periodo, quam humani generis Redemptor in terris peregrinari dignatus est, divina igitur misericordia fretus, Sanctissimus Dominus Noster utique sperat, Regem Idatem quantocyus candidam ex fonte Sacri baptismatis vestem sumpturum, sicut ad ejus animæ salutem illum efficacissime hortatur, qua fiducia amantissime recipit una cum his Venerabilibus Fratribus suis S. R. E. Cardinalibus hanc ejus piæ voluntatis declarationem, delatumque per vos sibi, ac Sanctæ Apostolicæ Sedi obsequium, ac venerationem, Et Deum toto cordis affectu precatur, ut per immensam ejus bonitatem perficiat, quod per ineffabilem suam clementiam in Rege Idate incæpit, nihil & ipse*

Sæc. XVII. A. C. 1615.

Sæc. XVII. A. C. 1615. *interea prætermissurus, ut quantum cum Domino fieri poterit, ipsius Regis piis ac justis desideriis satisfiat, subjectorumque ei populorum spirituali solatio opportune prospiciatur.* His peractis Legati denuo summi Pontificis pedes religioso osculo venerantes, itidem ad suos perhonorifice remissi sunt. Petrus vero Strozza disputationem de dogmatibus Chaldæorum, quam cum Babyloniæ Patriarcha habuit, typis edidit unacum commentario de reconciliandis eorum dogmatibus, cum veritate Catholica: utramque vero lucubrationem, Roma ad Parisinæ Facultatis Doctores die decima Januarii anno 1617. transmisit, *eo consilio, ut si ipsis forte fuissent ignota Chaldæorum dogmata, ex ipsis innotescerent; & ipse erratorum suorum correctionem benigne ab eorum humanitate accipere posset, vel aliquam saltem admonitionem,* lætaturus, *si hoc saltem nomine eum inter suos discipulos connumerare vellent.* Ad eum autem eadem Facultas die prima Aprilis eodem anno perhonorifice respondit, adjecta supplicatione, ut *summum Pontificem de Facultatis Parisiensis vere Catholica fidelitate, honore, ac reverentia filiali necnon de obedientia prorsus religiosissima certiorem facere dignetur, quibus in æternum super omnem Orbis Christiani Facultatem Theologicam illum susci-*pe-

scipere, & supremum in terris Christi Vicarium agnoscere, ac venerari desiderat. Sæc. XVII. A. C. 1615.

§. LXXXIX.

Babyloniæ Patriarcha cum suo grege ad Catholicam fidem reversus.

Sub primis auspiciis Pontificatus Pauli V. nonnulli Orientales, ex Babylonia, exiguo quodam soli, quod prisæ hujus nominis Chaldæorum urbi finitimum est, tractu Romam pervenerant. Hi populi Christi quidem cultum præseferebant, Nestorii tamen, & Pauli Samosateni erroribus vitiatum: cum autem hi advenæ in illa Hebdomada, quam *Sanctam* seu *Majorem* dicunt, divinæ Passionis mysteria summo pietatis affectu celebrari, ipsumque summum Pontificem ipsis omnibus, aliisque pauperibus pedes abluentem, necnon mensæ accumbentibus pie ac Religiose deservientem cernerent, tam mysteriorum magnitudine, quam Pontificis humilitate, ac Religione expugnati, purioris doctrinæ desiderium concepere, quo inflammati, cum in patriam rediissent, tantopere Catholicæ fidei sanctitatem deprædicabant, ut Elias, qui per hos annos Babyloniæ Patriarcha erat, protinus Legatos Romam ablegaret, supplex, ut sicut ipsi

Bzovius in vita Pauli V.

Sæc. XVII. Sæc. 1615. se Romanæ Ecclesiæ subditos profiterentur, ita & summus Pontifex eos circa credenda summopere devios instruere, atque ab erroribus liberare dignaretur: mox igitur Paulus V. Petro Strozzio, & Andreæ Justiniano Ordinis Fratrum Prædicatorum Theologo negotium dabat, ut e divinis pariter, Ecclesiæque primævæ libris eos saniorem edocerent doctrinam, destructisque Chaldaicis erroribus, hosce populos in viam salutis reducere adlaborarent. Adfuit Apostolico conatui prosper successus; quippe Adam Patriarchalis Ecclesiæ Archidiaconus, & Monachorum Chaldæorum Archimandrita non modo contra Nestorii errores sanctissimæ Incarnationis mysteria, ac reliqua fidei dogmata plene hauserat, sed etiam sermones de duplici Christi voluntate & operatione, de generatione æterna Verbi, de Incarnatione, & de dissidentibus ab Ecclesia Romana vulgabat. Hos quoque sermones Paulus Pontifex non indignos censebat, ut eos unacum dogmatica fidei Catholicæ professione, ac Pontificio volumine ad aperiendos errores, in quibus decepti misere versabantur, in ipsorum terras transmitteret. Revertentibus autem hisce Legatis Elias Patriarcha in civitate Ameds Episcoporum, Archiepi-

chiepiſcoporum, Monachorum, Cleri populique Synodum convocabat, in qua omnes perlectis literis Apoſtolicis ſeſe, ejuratis erroribus, Eccleſiæ, ſummoque Pontifici, interpoſita etiam juramenti Religione, obſtrinxerunt. Subſcripſere Patriarcha, quinque Archiepiſcopi, atque unus Epiſcopus. Sæc. XVII. A. C. 1615.

§. XC.

Diſſidia inter Gallici Regis Senatum, & Pariſienſem Curiam.

Haud diu in Galliis viguit Menchildana pax, ſubſiſtentibus adhuc iisdem querendi cauſſis, quas Condæus, ceterique Franciæ Principes obtendebant: nondum vero res in apertum erupit bellum, quod tamen eo atrocius timebatur, quo lentius progredi viſum eſt; plerumque enim flumina, quæ taciturnius incedunt, plus voraginum celant, quam repentino ſtrepitu minentur: Interim vero inter ipſius Aulæ Miniſtros, & Pariſienſis Curiæ Senatores acrior gliſcebat diſſenſio; hi enim ad Ordinum querelas reſponſum differri, ægre ferentes, die vigeſima octava Martij decretum edidere, vi cujus Principes, Franciæ Pares, Regnique Primores convenire jubentur, de publica calamitate, regnique ſalute conſultaturi. *Grammond. Hiſt. Gall. l. 2. Calmet. Hiſt. univ. l. 151.*

Sæc. XVII. A. C. 1615

Ea res ingentem in aula concitabat tumultum; excanduere illi, quibus rei administrandæ cura erat demandata: obstitit ipsa Regina, non ignara, se suosque hac lege peti: indignabantur alii, quod Parisiensis Senatus, habendo ejusmodi conventui veniam a Rege non petiisset, sibique Regni administrandi auctoritatem arrogare præsumpsisset. Quam primum cognita erat Regis, ac Reginæ indignatio, mox Principum nonnulli jussa Regis, alii proprio arbitrio Curiæ decretum sprevere: ipsa etiam Regina quosdam Luparam ablegabat, qui hoc decretum ex Curiæ actis expungi postularent: nihilominus Condæus Princeps, qui hunc Parlamenti ausu mere sua fore censebat, itinere Lutetiam facto comparere festinabat; mox vero specie negotii, quod urgeret, ad extrema Picardiæ a Regina ire jubetur: interea autem insuperhabita Deputatorum obtestatione Parisiensis Curiæ Patres frequenter convenerunt, suæque repugnantiæ causas divulgarunt: consulto igitur, ne in res novas dissidentium studia glisceret, Rex die vigesima tertia Martij edito decreto Parisiense edictum supprimi, ac Regii Senatus statutum ad publicas tabulas referri jussit: Regina vero Condæi, ac Sena-

Senatorum indignationem verita interim ſuperſedendum cenſuit. Sæc. XVII. A. C. 1615.

§. XCI.

Condæus Princeps Regem comitari recuſans.

Interim diſſenſionum cauſſæ indies augebantur; quippe de Ambaſiæ Præfectura Luynæus, qui per avium aucupia Regis gratiam captabat, cum Ancræo Mareſcallo certabat, huic favebat Regina, illum comitabatur Regis benevolentia: tandem etiam Luynæus prævaluit Ancræo, qui ſua ſpe deluſus viciſſim ex Reginæ munificentia præter feudum Ancræum, etiam arcem Ambianam, Peronam, Montem-Deſiderii, Royam, & totius pene Picardiæ adminiſtrationem, obluctante licet Longavillæo hujus Provinciæ Prorege, obtinuit: eo inſuper tempore Pruvillæus militiæ urbanæ Præfectus trucidabatur, necisque Author a plerisque credebatur Ancræus, eoquod Alphonſus itidem Italus, atque Ancræo indigena percuſſor fuiſſet. Inde vero in unum Ancræum erat invidia omnium, & qui palam conqueri non audebant, ſecreta fremebant indignatione, quam tamen haud ultra premendo impar Condæus Princeps, cum Regem ac Reginam pro exe-

Daniel. hiſt. de Franc.

Sæc. XVII. A. C. 1615. quendis nuptiis in Aquitaniam iter moliri percepiſſet, Creolium Claromonti urbem ſeceſſit, mox vero ad Aulam redire, Regemque comitari juſſus, reſpondit, ſe minime reverſurum, donec Rex expurgato Senatu ſuo Pariſinæ Curiæ querelis ſatisfeciſſet, atque injurias ſibi, ſuisque amicis illatas reparaſſet. Poſtea Princeps Coucyum profectus, Longævillæum, Mayennium, Nivernum Ducem, Bullionium Mareſcallum, Cuvrium, Bonivetum, Suſam & Sancti Pauli Comitem aliosque Nobiles in communem cauſſam advocabat, qui etiam die vigeſima quinta Junij eo delati, mutua ſpondebant ſubſidia, quæ tamen levia nimis fuiſſent, niſi ſectaria Calviniſtarum factione augerentur. Horum quoque opem Bullionius certo pollicebatur, vir apud eos fortitudinis opinione, ſeu potius errorum conſortio ſpectatiſſimus. Die autem vigeſima ſexta Julij Rex Principum repugnantiam indignatus, eis ſignificabat, ſe die prima Auguſti in Aquitaniam profecturum, proin ipſum comitari haud ultra differrent. Verum Condæus ſequenti die literas ad Regem dedit, in quibus Conſiliariorum malitia Regium ærarium exhauriri, ſubditos pecunia emungi, Curiæ querelas vilipendi, regnumque præcipue Ancræi avari-

avaritia deſtrui queſtus, rogabat, ut Rex iter ſuum pro perficiendo matrimonio ſuo differre vellet, donec ætate & viribus magis profectus, regnum in meliorem ſtatum reſtituiſſet, proin antequam iter ingrederetur, mandatum ederet de reformando ſuo Senatu, & ſuorum aboleret gravamina, quorum præcipui auctores eſſent Ancræus, Sillerius Cancellarius, ejusque frater, necnon Pullionius, & Dolenus Præfecti; dein declarabat, quod nec in hoc iter nec in nuptias conſentire poſſet, niſi Rex facta prius Senatus reformatione Regnum oneribus ſuis liberaſſet, meritasque de eorum auctoribus pœnas ſumpſiſſet: „quod ſi vero, proſequeba„tur Princeps, acciderit, ut poſthabi„tis rationibus iſtis omnibus exercitus „Regius adverſus me & confœderatos „meos in aciem producatur, aliter qui„dem facere non poſſum, quam ut ad „legitimam defenſionem nos accinga„mus, cum vim vi repellere & vitam „noſtram tueri natura licitum, mihi ve„ro meisque medium conſervandæ vitæ „aliud relictum non ſit, quam ut ad ex„trema confugiamus, & armis nos„metipſos tueamur, quod facturi „quidem non eſſemus, ſi noſtrum, to„tiusque Regni interitum oculis intueri, „& ſpectare vellemus: petimus itaque

Sæc. XVII. A. C. 1615.

„&

Sæc. XVII. A. C. 1615.

„& monemus omnes Principes, & Re„gni officiales, Equites, Nobiles, ali„osque cujuscunque dignitatis sint, Par„lamenta item statusque Regni, & om„nes quotquot se gallos vocant, ut au„xilio. Principes vero exteros, & con„fœderatos Regni soccios, ut gratia & „favore suo in causa tam justa nos juva„re, & prosequi velint.

§. XCII.

Ludovici VIII. Franciæ Regis edictum contra Principum Procerumque molimina.

Merc. Gallob. tom. 11. *l.* 1. *Calmet. Hist. univers. l.*15. *n.* 84.

Quoniam vero ob datam utrinque fidem Rex discessum suum haud ultra differre poterat, caute Busco-Delphinum Marescallum Lutetiæ Parisiorum cum valido exercitu reliquerat, ut Condæo Principi, ejusque Fœderatis, si quid forte molituri essent, resisteret: insuper die trigesima Julij Decretum promulgari jussit, quo omnibus Provinciarum, urbiumque Rectoribus præceptum, ut locorum sibi commissorum securitati prospicerent, necnon militum, nisi in Regis obsequium, delectum fieri prohiberent, nec absque scripta Regis venia cuicunque Principi, aut Ministro hasce urbes ingrediendi copiam facerent. Alia dein epistola Rex Principes

cipes hortabatur, ut evoluto unius Mensis spatio ab armis desisterent, atque exauctorato exercitu suo dimissisque captivis pecuniam, urbesque interceptas Regi redderent, cunctaque in pristinum statum restituerent, ni crimen laesae Majestatis incurrere, & dignitatis, bonorum, omniumque privilegiorum jacturam facere vellent. Sæc. XVII. A. C. 1615.

Hæc Regis declaratio Principum animos majore adhuc indignatione accenderat, atque inter eos Condæus nulla mora Regi rescribens, ad singula querelarum capita descendit, de Regni calamitate, & Ministrorum malitia vehementer questus: postremo declarabat, quod boni publici studio animatus, & Regis adolescentiam, qua ejus Ministri abuterentur, misertus, ratum fixumque haberet, ab armis non cessare, donec Rex libertati suæ redditus, consiliisque sanioribus adjutus Regni calamitatibus, quas Ordines & Curia exposuerant, remedium opposuisset. Ne vero hæ minæ sine viribus esse viderentur, eodem tempore Condæus quosdam Gratianopolim, ubi Calvinistæ suum celebrabant conventum, alios Rupelas ablegabat, ut eos ad suas partes pertraheret.

§. XCIII.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

§. XCIII.

Iter Ludovici XIII. in Aquitaniam.

Serran. Franc. Hiſt. pag. 928. Caimet l. c.

Omnes hi Principum timores, aut Calviniſtarum molimina Regem a ſuo itinere, cui diem decimam ſeptimam Auguſti præfixerat, retardare haud poterant, priusquam vero Ludovicus XIII. Rex ſeſe itineri accingeret, verſus eam Aquitaniæ partem, qua Francia Hiſpaniam contingit, Buſcodelphinum progredi juſſit, ut Condæum, ſuosque forte a tergo Sequanæ, & Ligeris irrumpentes cohibere poſſet. Buſcodelphini autem exercitus ſexdecim peditum millibus, cataphractis mille quingentis, & ductore Baſſomperio levis armaturæ Equitibus bis mille conſtabat, caſtra metabatur Praſlinius, eidem vero in ſubſidium dabatur Eſcurius, ipſemet denique Rex ducentis ſuper mille cataphractis, & legionariorum quatuor millibus levi exercitu ſtipatus, præfixa die iter aggreſſus eſt, latera ejus ſtipantibus Guiſio, Ellebovio, Elpernonio, & Uticenſi Ducibus; ceteri enim ex Primoribus partim Condæi ſigna ſequebantur, partim ſub vario obtentu otioſe domi fortunæ ſucceſſum præſtolabantur. Tertia poſt diſceſſum die Rex, ejusque Mater, una-

unacum Elisabetha Regis Sorore, ac futura Hispani Principis uxore Aureliam, indeque tandem Burdegalam die prima Octobris venere, magnifica prorsus pompa, communique lætitia excepti. Die autem decima septima ejusdem Mensis Hispaniæ Legatus Regem & Reginam convenit, Elisabetham in Principis sui Hispaniæ Hæredis Sponsam petiturus, quæ ad Archiepiscopale Templum deducta a Cardinale Surdisio, ac ministrantibus ei duobus Episcopis solemni precatione Sponso suo conjuncta est, absentis Sponsi partes subeunte Guisio Duce. His peractis nova Sponsa die vigesima prima Octobris in Hispaniam magnifico, planeque Regio comitatu deducta est. Videbantur Hugonottæ iter hoc vi armata præpedituri, huncque in finem copias contraxerant: plus tamen terroris, quam damni in iis fuit. Continuato demum itinere die nona Novembris Elisabetha Annam Hispani Regis filiam ac Ludovici XIII. Sponsam ad fluvium Bidassum obviam habebat: Hæc enim jamjam in oppido Burgos Ludovico Regi desponsa Burdegalam contenderat, cui Rex cum omni Aulica familia, ac pretiosissimo apparatu ad tertium ab urbe lapidem obviam processit, eamque ad diversorium suum inter festivas populi bene

Sæc. XVII. A. C. 1615.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

bene precantis acclamationes, atque applausus deduxit. Die autem vigesima quinta ejusdem Mensis Sanctonum Episcopus in Choro ad S. Andream solemni, publicoque ritu Annam Hispani Regis Filiam Ludovico Regi despondit. Tandem die vigesima nona Novembris Rex unacum nova Regina solemnem ingressum in urbem celebrabat.

§. XCIV.

Intempestiva Surdisii Cardinalis pietas erga quemdam capite damnatum.

Gramond. l. c.

Enimvero ad Franciscum Surdisium Cardinalem atque Archiepiscopum Burdegalensem solemni precatione Ludovicum Regem cum Anna in Metropoli sua conjungendi munus spectabat, obstitit tamen quidam inopinatus eventus; cum enim Haucastellus Nobilis ob quoddam delictum Burdegalensis Senatus judicio ad mortem damnatus esset, Surdisius ea die, qua reus ad patibulum traducendus credebatur, pro liberando amico suo in carcerem properabat; præferebatur Crux Archiepiscopis præire solita: Crucem stipabant satellites ad effringendum carcerem destinati, moxque solutis vinculis reus libertati redditus, carcerisque custos, qui

qui pro officii sui ratione obstiterat, infesta manu trucidatur. Excanduit ad facinus Burdegalensis Senatus, qui nuperæ contentionis haud immemor, & de oblata ulciscendi occasione lætus, solemni ad Regem Legatione palam querebatur, violatum esse jus publicum, atque a Præsule temeratam Regis auctoritatem, cæsamque a Pastore ovem: Nec his contentus Burdegalensis Senatus, insuper prævento Regis judicio Archiepiscopum, præmissa trina citatione, tanquam contumaciæ reum damnat, eique manus injicere, atque ipsius bona invadere parat: Verum Ludovicus Rex Henrici IV. Patris sui exemplum secutus, usurpatam Senatus sui jurisdictionem in Clericos reprimebat, causamque ad se devolutam declarabat, paulopost ipsum Archiepiscopum Regio rescripto absolvens, die decima septima Decembris Burdegala Parisios reversus est.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

Vid. Supra Lib. CLXXXVI §. 3. p. 244.

§. XCV.

Principum Gallorum exercitus in aciem eductus.

Cum interea hæc Burdegalæ gererentur, conjurati Principes exercitum suum, ductore Bullionio Duce Calvinista, Novioduni contraxere: Raræ

Serran. Franc. Hist. invent. pag. 931. Gramond.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

erant illis legiones, fortuitus miles, parumque expedita manus, equitibus tamen valebat exercitus, cui præcipue vires erant a Tingrii Luxemburgi Principis, & Bullionii Mareſcalli copiis. Jam a Rege defecerat Picardia ferme omnis; ac Condæus Creillium urbem, quam antea inſederat Buſcodelphinus Mareſcallus, inopino impetu occupat, captoque Theodorici caſtello Merium oppidum transportandis belli tormentis valde opportunum expugnat, hacque occaſione uſus, Sequanam trajicit: cuncta demum, ut naſcente ſeditione fieri amat, ex voto fœderatis cedunt primo conatu Victoribus: Occurrit quidem Buſcodelphinus cum milite veterano, Condæum, ne Joaam amnem tranſiret, impediturus, ſed hujus celeritas Mareſcalli regii ſolertiam eluſit; Princeps enim vadum nactus paulo ſupra Divi Juliani oppidum amnem tranſiit. Buſcodelphino quidem crimini datum eſt, ſex ab hoſte amnes impune fuiſſe ſuperatos, ſed hic prælio ſe prohibitum, datamque hanc bellandi legem obtendebat, ut hoſtem velitationibus fatigando, non autem ad prælium provocando obſiſteret. Ubi vero ad ripam Ligeris pervenerant fœderati, ſeſe Vicedomini Carnotenſis, Ducisque Vindocinenſis copiis conjungebant;

Hiſt. Gall. l. 2. Calmet hiſt. Univ. l. 151.

gebant; in opem quoque accurrerant Germani Equites sexcenti a Protestantibus submissi, qui cæsis Ranellii regii Præfecti copiis ad Condæi castra processerunt, Sæc. XVII. A. C. 1615.

§. XCVI.

Regis edictum contra Condæum Principem, ipsiusque Socios.

Ipsa severitatis dilatione, temporisque mora Principum facto ac pertinacia indies invalescebat, quocirca Franciæ Rex die decima Septembris edictum promulgari jussit, quo declaratum; Condæum Principem, ceterosque sibi adhærentes esse contumaces, rebelles, læsæque Majestatis reos, proin contra ipsos, eorum bona, famam & posteros legum severitate esse procedendum, ni ab hujus edicti promulgatione intra unius Mensis spatium cognito errore Regis clementiam exorarint. Huic vero diplomati intercessit Parisiensis Curia illudque in acta referre distulit, quamvis non multo post typis mandatum prodierit ejusdem Curiæ decretum, quod tamen omnino suppositititium, nulloque Parlamenti assensu vulgatum fuisse constabat: quocirca Condæus vehementiori ira commotus, declarabat, vindicandam esse ferro audaciam illo- *Gramond. l. c. Calmet Hist. Univ. num. 85.*

Sæc. XVII. A.C. 1615.

rum, qui ſpurium ejusmodi edictum Pariſienſi Curiæ adſcribere, præſumpſerunt: Sub idem ferme tempus Rex Le Jayum Præſidem Condæo addictum in arce Ambaſiana includi præcepit, rurſus vero Parlamentum miſſis ad Regem Deputatis eundem e carcere liberari & ſi legitima detentionis cauſſa ſubeſſet, eam exprimi petebat. Hac autem iterata oppoſitione in Condæi favorem facta, Regi ſuſpecta eſſe cœperat Pariſini ſui Senatus fides: unde non modo Pariſiis validum alebat exercitum, ſed etiam Pictonum Provinciam numeroſo milite inundabat.

§. XCVII.

Calviniſtarum conventus Gratianopoli habitus.

Merc. Gallobelg. t. 11. *l.* 1. *Gramond. l. c. p.* 95.

Vicissim Condæus Princeps exercitum ſuum novis indies ſupplementis auctum in Pictavienſem ditionem pariter inferre nitebatur, quocirca a duobus validis exercitibus hæc Provincia graviter preſſa pene exhauriebatur. Erat tum fœda ubique rerum facies, agrorum vaſtatio, domorum, villarumque incendia, urbiumque direptiones, inſuper etiam premebantur coloni novis tributis, quæ Fœderati veluti Reges indicebant, juxta morem Gallis Principibus,

bus, dum in seditionem armantur, usi- Sæc. XVII.
tatum: inde vero desolatio, commu- A. C. 1615.
nisque ruina, geminata in populum tributa, nec tamen remissa pensione, quæ in Regis ærarium inferri jubebatur: Ceterum præcipuus Regi metus erat a Calvinistis, quos utpote dissidii amantes inque res novas promptos cum Condæo clandestina fovere consilia haud ignorabat: Enimvero hic Princeps, ut Calvinistas sibi conciliaret, jam dudum eisdem exponi curabat, quod nuptiæ Regis cum Hispana Principe duntaxat ad eorum sectam e Galliis exterminandam, illosque a Regno ejiciendos comparatæ essent: Re comperta Calvinistæ eam ob caussam Gratianopoli die decima quinta Julii conventum celebrabant, in quo Ledigerius Marescallus Religione Calvinista præprimis dissuadere nitebatur, ne inscio Rege suum Conventum aliorsum transferrent, nec etiam se Regis matrimonio opponerent, ne exinde seditionis in Regno excitatæ labes Ecclesiæ suæ inuratur, sublatoque Religionis Exercitio ducentæ & amplius Ecclesiæ annis octodecim non sine magno impendio excitatæ dissipentur, atque a Jesuitis, qui nullam rei gerendæ oocasionem negligere solent, pedibus quasi conculcentur: Nihilominus Calvinistæ,

Sæc. XVII. A. C. 1615.

postquam Condæum cum valido exercitu in Pictonibus castra metari, ac Luxenburgensem exercitum a Regiis fuisse interceptum compererant, ad Condæum e suorum numero selectos, qui de communi caussa cum ipso deliberarent, ablegarunt, ipsique inscio Rege conventum suum die sexta Octobris Gratianopoli Nemausium, inde vero Rupellas transstulerunt, ut eo opportunius sua arma seditiosis Principibus conjungere valerent.

§. XCVIII.

Leges a Calviniſtis in ſuo Conventu Regi præſcriptæ.

Nunquam luculentius quam in hac ipsa seditione Calviniſtarum indoles innotuit; eodem enim tempore, quo immotum suum erga Regem studium, ac Regiæ auctoritatis, salutisque tuendæ sollicitudinem verbis deprædicarunt, omnia in bellum contra Regem parata tenebant, Oratores suos fœdus cum rebellibus inibant, ac legitimum suum Regem minis & armis ad leges & pacta juxta eorum arbitrium firmanda compellere nitebantur; hanc in rem in suo Conventu in hæc quindecim capita a Rege expetenda cum Principum Deputatis convenerant.

I. Con-

I. Condæus & Principes eidem addicti suas vires cum Calviniſtis jungant, ea quæ ad Perſonam, ſalutemque Regis tuendam facere poſſent, proſpicientes: quocirca articulus de Regis poteſtate a Deo immediate collata tanquam Lex Regni fundamentalis ſtabiliatur. II. Ultione reparetur Henrici IV. cædes, inſtituta in omnes de ea ſuſpectos. III. Cum Concilii Tridentini petita a Clero & Nobilitate in iisdem comitiis promulgatio non ſit e re Gallica, ideoque reiiciatur. IV. Quia Sacramento ſolemni fidem adſtringit Rex, dum inauguratur, abacturum ſe ditione ſua hæreticos, programmate Regio declaretur, nihil eo ſacramento contineri de Gallis, qui reformationem ſectantur. V. Actis Paſtorum, qui gregi miniſtrant, ſi quæ in publicum edunt, non inſerantur, quæ publicis inſtrumentis adiici moris eſt, verba hæc (*Religionis quam reformatam vocant*) ſed pure & ſimpliciter Religionis, nihil adjecto. VI. adſcribantur cis Ligerim eæ urbes, quarum nunc diruta ſunt munimenta, in earum numerum, quæ a reformatis ſecuritatis nomine poſſidentur. VII. Subſtituatur Vergerio Senatori Lutetiano olim reformato, in præſens Catholico Romano alius, qui a reformatis eo officio defungi poſſit. VIII. Regiis ſumptibus alan-

Sæc. XVII. A. C. 1615.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

tur Sacrorum Ministri. IX. Præfecti urbium, quæ securitatis vocantur, in partibus Ecclesiarum, electione instituantur. X. Tollatur postmodum lex pravo inducta usu, per quam præstando reformatis Ecclesiis in aula officio sex nominari solent, ex quibus duorum est Regi delectus, quos retinet plerumque suspectos delegantibus; ad admovendam posthac suspicionem duorum tantum fiat electio, quam Rex confirmare tenebitur. XI. Urbis Sedanneæ, quæ a Rege Gallo præstari solet, protectio confirmetur, solitæque pensiones & stipendia solvantur Principi. XII. In decem annos abhinc numerandos reformatis earum urbium, quas securitatis nominant, possessio prorogetur. XIII. Concilium Regis arctius restituatur. Quale fuit regnante Henrico IV. XIV. Clerici, & quicunque alii in reformatas Ecclesias odio manifesti arceantur a cognitione litium, quibus ipsorum causæ agitabuntur. XV. Dignæ sunt, quibus summa auctoritas sit, monitiones a Principe Condæo, juxta a Parlamento Lutetiano nuper ad Regem habitæ, ideoque exoretur Rex, ut præbeat posthac consiliis regno tam salutaribus, & faciles aures, & assensum.

Nihilominus insuperhabito hoc Calviniſtarum molimine Mense Julio in quodam

dam Cleri Gallicani conventu Parisiis habito Concilium Tridentinum unanimi suffragio & consensu recipiebatur, fatagente præprimis Cardinale Rupi-Focaldo, nec invito ipso etiam Rege, qui tamen novi motus timore palam suum assensum, auctoritatemque interponere verebatur; inde vero Calvinistæ audaciores effecti potissimos forensis Curiæ Parisinæ Senatores eo induxere, ut supplicem Cleri libellum, quem de acceptanda hac Synodo Regi porrexerant, supprimentes omnibus sui territorii Clericis inhiberent, ne præfatum Concilium tanquam in Regno auctoritate Regia acceptatum agnoscerent, indicta in transgressores bonorum proscriptione, & statutis Majestatis læsæ pœnis. Cedendum igitur erat eorum violentiæ, quocirca Episcopi sequenti anno declararunt, quod ea, quæ anno priori circa Tridentinam Synodum sine Regis consensu acta fuissent, reparanda, ac in pristinum statum revocanda essent. Ea enim erat illius ævi iniquitas ac Sectariorum audacia, ut non modo Episcopi Laicis etiam in rebus Sacris, sed ipsemet Rex suis subditis ad evitanda graviora mala cedere cogeretur, eique lex præscriberetur ab illis, qui tamen in Regis auctoritate super omnem in terris potestatem evehenda, se adlaborare si-

Sæc. XVII. A. C. 1615.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

mulabant: Unde Gramondus indignitate facti commotus, ac nuper allegata capita Regi præscripta non sine indignatione ponderans ita exclamat: „Superba plebiscita gentis! Sectarii usque in „tyrannidem rerum imperia prosperis „rebus affectant. Piget me, dum hæc „scribo, vesanæ libidinis, qua se præ„cipitem dedit secta impotens, gens „pernicioſa Catholicis, sibi exitiosa, „cujus casu trahetur omnis ordo, quo „tempore, calcato velut bufone, peri„bimus una & nos, quorum vestigio „conteretur secta„. Ceterum Ludovicus XIII. Rex tum Ambasiæ agebat, qui receptis hisce articulis, necnon Calviniani Conventus Deputatis se respondurum edixit, quam primum Turonium delatus esset: eo autem cum adventasset, Deputatos Pictavium, inde Burdegalam remisit, qua cunctatione sat manifestum reddidit, quod tam proterva postulata nullo vel tardo responso dignaturus esset.

Calmet. Hist. Univers. num. 87.

§. XCIX.

Fœdus Condæi Principis cum Hugonottis.

Gramond. pag. 97.

Nihilominus Rex Calvinistarum importunitate expugnatus, præfatis eorum articulis quædam adjecit, alia au-

autem expunxit, inde vero Fœderati aperti adversus Regem belli occasionem atque obtentum quærebant, moxque inter eos Condæus cum Calviniſtis palam armorum ſocietatem inibat, pactis utrinque hisce legibus. I. Renovato Sacramento, fidem & obedientiam Regi promittant, & præſtent omnes, velut Vicario Dei: II. Ego Condæus pro me, & pro Principibus fœderatis, pro Ducibus, pro coronæ Gallicæ Miniſtris, pro nobilibus, pro populo, & ſi qui alii partibus meis adhæſerunt, & nos delegati ab Eccleſiis Galliæ, nomine ipſarum data ultro citroque fide pollicemur invicem, futuros nos poſthac una & ſimul regiæ vindices autoritatis, poſtque inquiſitum ſedulo crimen parricidii in Henricum commiſſi ultores. III. Pollicemur item collatis una viribus obſtituros promulgationi Concilii Tridentini, quo Regis autoritas enervatur, quo tolluntur Gallicæ Coronæ jura, & privilegia, quo edicta in pacem Regis inter & ſubditos perpetuam inita ſubvertuntur. IV. Promittimus, nos ituros pro virili obviam malis, quæ imminent ex fœdere nuptiali inter Gallum & Hiſpanum convento: & Sanctius Regis Concilium ut mutetur in melius, dabimus operam, nec non ut minuatur eorum autoritas, quos monitionibus ad Re-

Sæc. XVII. A. C. 1615.

Sæc. XVII A. C. 1615.

Regem noſtris Lutetianum parlamentum nuper deſignavit. V. Nanneticum edictum prout palam, & ſecreto conſcriptum eſt, executione firmetur; cavendumque juxta Bearnenſium queſtus, ne quid detrimenti ipſorum Eccleſiæ patiantur. VI. proſpiciatur indemnitati eorum, qui bonis, dignitatibus, præfecturisve deiicientur ex belli cauſſa. VII. Fides ſolenniter detur, mutuam in opem, neque ponenda niſi communi aſſenſu arma. VIII. foveantur fœderatos inter mutuis & frequentibus ſcriptis rerum commercia: quæque obſcura hoſti conſilia eſſe decet, velut inter ſocios bona fide viciſſim communicentur. IX. Arma & pecunia, cujus ex confœderatæ unionis indictione exactio fiet, ſtipendia militum, præfecturæ, reliquaque bello ineundo, aut ſuſtinendo munia pro Commitiorum arbitrio diſtribuantur; & ne ſit vana Condæi autoritas, accommodet nomen ſuum, quo programmata ſubſcribentur. X. Officia, præfecturæ, munia publica & privata, ſive arma ſpectent, & forum, ſive ærarium, bello diſtributa, ut pace valeant, erit utrique parti curæ. XI. Reſarciatur ex bello partis damnum, quod infertur noſtratibus, ſuppleaturque velut compenſatione jactura, nempe conceſſione agrorum aut pecuniæ privatum

tum damnum; urbium & municipiorum, si publicum est. XII. Condæus nihil in arcibus & municipiis novet. XIII. Salva sit in urbibus Catholicis & Romanis, quæ Condæi partes eo bello sequentur, pro arbitrio mansio quibuslibet reformatis; nec non religionis cuique suæ facultas nullo impedimento. XIV. Quia plerique nostrum regiis absistent urbibus mansione sua, vi aut metu; placeat eorum sumptibus exhiberi, qui a nobis defecerint ad Regias urbes transfugæ. Sæc. XVII. A. C. 1615.

Hasce leges Condæus hoc anno die vigesima septima Novembris in castris Sanzeanis in Pictavienſi Provincia proprio chirographo firmabat, Calviniſtæ vero Nemausii congregati Regem de fœdere cum Condæo Principe inito certiorem reddere non dubitabant, cæteris omnibus ad tantam temeritatem frementibus: quinimo ipse Angliæ Rex necnon fœderati Ordines, an vere vel ficte, hanc rebellionem ementito Regis obsequio palliatam detestati sunt, & Condæo Principi petitas armorum suppetias denegarunt, e contra vero ad conciliandam pacem Ludovico Regi suam spondebant operam, eoquod hic die secunda Novembris Nannatense edictum aliaque decreta in Hugonottarum favorem sancita confirmasset, ea duntaxat

Sæc. XVII. A. C. 1615.

taxat lege, ut positis armis in Regis obsequium sincere redirent.

§. C.

Condæi milites a Regio exercitu cæsi.

Mem. Gallo-belg. tom. II. l. 1. pag. 89. Seran. Franc Hist. Daniel. hist. de France pag. V.

Verum hac etiam Clementia Franciæ Rex parum profecerat apud rebelles subditos suos; quamprimum enim Calvinistas Gallos Condæi partibus adhærere innotuerat, mox illa Helvetiorum sex millia, quæ ex Bernensi Pago Regi millitaverant, ab eo defecere: vicissim vero Fransacus, Nivernus & Luxenburgicus Duces, necnon Comes Sancti Pauli in Regis obsequium non sine summa Condæi Principis indignatione redibant: sensim quoque Fœderatorum Principum fortuna ex mutuis dissidiis nutare cœperat; postquam enim Rex utriusque exercitus sui imperium Guisio Duci commiserat, hic in Engolismensem Provinciam nulla mora irrumpere, Germanosque equites, qui in oppido Cogniaco castra metabantur, adoriri statuit quamvis a Condæi copiis præpeditus, sese cum Buscodelphini exercitu conjungere haud posset: sub idem tempus Guisius Galliæ Regem, qui velut prælio decertaturus iter suum Parisios versus ob Fœderatorum metum instituere cogebatur, cum valida sui exercitus parte

parte comitari jubebatur, præmisso alio agmine, quod viarum transitus aperiret. Vix hæ copiæ ad San-Maxentii oppidum pervenerant, cum jamjam obvios haberent Condæi milites, qui Regium exercitum, ne se cum Buscodelphino conjungeret, transitu prohibere moliebantur. Hos ergo Guisius eximproviso aggressus, internecione omnes numero sexcentos quinquaginta fudit, exceptis paucis, qui ad S. Angeli oppidum profugerant. Non multo post idem Guisius Condæi exercitum, quem Lusignium movere compererat, aggressus est, ac post pertinax utrinque certamen ingenti clade prostravit, desideratis eorum plurimis, ceteris fuga dilapsis, aliis vero vitæ gratiam deditione redimentibus. Erepta sunt Condæanis quædam vexilla, quæ ad Regem, qui tum in Pictavensi oppido adhuc hærebat, transmittebantur. Sæc. XVII. A. C. 1615.

§. CI.

Correspondentium Principum Conventus Norimbergæ celebratus.

Interim Mathias Imperator pace cum Turcis stabilita Wolfgangum Neoburgi ducem tam potenter adjuverat, ut hic Henrici Bergensis subsidio suffultus totam ferme Juliacensem, & Bergensem *Merc. Gallob. tom.* 10. *l.* 3. *Adlzreit. annal. Boicè p.* 31. *part.* 3. *l.* 3.

Sæc. XVII. A. C. 1615

sem ditionem armis suis subiiceret. Verum tam prosperi successus felicitas Protestantium attentionem vel maxime sollicitam reddebat, quocirca Principes Acatholici, qui sese *Correspondentes* nominabant, Norimbergæ Conventum celebrabant, de rebus suis consulturi. Aderant quoque Galliæ, Angliæ, & Daniæ Regum necnon Ordinum Belgii Fœderatorum Oratores: Hi omnes sub exeuntem hujus anni Januarium Mensem præprimis eandem cantilenam de querimoniis in Ratisbonensi Conventu jam dudum expositis iterabant, a quorum tamen consiliis, motisque in Cæsarem & Catholicos turbis longe abfuit Joannes Georgius Saxoniæ Elector, quem Protestantes Heilbronæ congregati, incassum licet in suas partes, decreta ad illum legatione pertrahere moliti erant: cum ergo interim hujus Electoris responsum ad ipsos perlatum esset, illud publice in hoc Conventu prælegebant, hanc in sententiam conceptum: „Cognovi equidem, quid vos de bello „Juliacensi, quod a Catholicis statibus „pro libertate Germaniæ opprimenda „motum existimatis, & de capitibus „Cæsari proponendis, itemque de Ju„liacensium regionum possessione scripsi„stis: postquam vero sublata, quæ Ca„piti debetur reverentia, diffidentia „inter

„inter ſtatus Imperii indies magis ma- Sæc. XVII.
„gisque crevit, & facta in Superiori- A. C. 1615.
„bus Comitiis ſeparatione, non parum
„exaſperata eſt, cum quilibet in con-
„cepta ſua opinione, neglectis omnibus
„admonitionibus perſeveraret, & ex-
„trema quæque potius experiri, quam
„ab ea recedere ſtatueret: factum inde
„eſt, ut ad miſerum hunc ſtatum impe-
„rium pervenerit, & Cæſar coactus ſit,
„rationem aliquam inire, quæ ad au-
„ctoritatis ſuæ conſervationem, juſtitiæ
„oppreſſis adminiſtrationem, & multo-
„rum imperio impendentium malorum
„abrogationem facere aliquo modo poſ-
„ſit. Nam quod unitarum in Belgio
„provinciarum Ordines ad militarem
„hanc in Juliacenſibus regionibus ex-
„peditionem cauſſam Cæſari priores
„præbuerint, notum omnibus eſt. Ar-
„cem enim Juliacenſem occuparunt, &
„exactis Neoburgici Principis militibus,
„novo præſidio, commeatuque & rebus
„neceſſariis omnibus munierant, eo ſo-
„lum fine, ut & executionem adverſus
„Aquisgranenſem civitatem forſitan ſuſ-
„cipiendam impedirent, & inde alia
„quoque loca poteſtatis ſuæ facerent.
„Cum autem id, ſi ſucceſſiſſet, & in Cæ-
„ſarem injurium, & imperio, vicinis-
„que Electoribus, & Principibus per-
„nicioſum eſſe potuerit, Cæſarem au-

Sæc. XVII. A. C. 1615.

„tem vigilare, & damnum omne pro-
„propulsare deceat, videre quidem
„haud possum, quomodo id in Cæsare
„improbari valeat, quod in aliis proba-
„tum procul dubio fuisset, multo minus
„vero penetro, quomodo Cæsari (quod
„vos quidem expetitis) auctor esse pos-
„sim, ut jam susceptam executionem su-
„spenderet, & militem dimitteret,
„cum id auctoritati Cæsaris repugnet,
„& Ordinibus in armis jam constitutis
„accidere facile possit, ut suæ pote-
„statis loca ista faciant, & ita posterio-
„ra primis pejora fiant.

„Interim desuper ad Cæsarem per-
„scribam: quod autem putetis hanc ex-
„petitionem eo fine a Catholicis procu-
„ratam, ut libertas Germanorum op-
„primeretur, & Religio Christiana sub-
„verteretur, de eo quidem mihi nihil
„constat, nec etiam Catholicos hoc
„nomine insimmulare possum, quin po-
„tius ita statutum, & non minus Catholi-
„corum, quam protestantium intereſt,
„ut pax & tranquilitas tam Religionis,
„quam profana in Imperio conservetur:
„id equidem si scirem, hanc ipsis men-
„tem esse, in asserenda Germanorum
„libertate & Christiana Religione pro-
„pugnanda omnes intenderem vires,
„de cetero turbis istis certe opus non
fuis-

„fuisset, si transactioni Juterbocensi „partes omnes stetissent". Sæc. XVII. A. C. 1615.

§. CII.

Saxoniæ Electoris literæ ad Cæsarem.

Recitato hoc Electoris responso Correspondentes Ordines mox aliam ad eundem decreverant legationem, qua tamen non audita Elector ipsemet datis ad Cæsarem literis eidem hæc exposuit; minime ignoro, „quod Cæsarea Majestas „vestra adversus Aquisgranenses, & „Mulheimenses eo duntaxat fine expe„ditionem suceperit, ut ocultis fœdera„torum Belgii Ordinum, qui Juliacum „occuparunt, consiliis obviam iret, Cæ„saream auctoritatem tueretur, Justi„tiæ cursum promoveret, & quod æ„quo judicio decretum esset, in execu„cutionem tandem deduci curaret, ac „demum, omnium Competitorum jura „facilius discutere, & unicuique, quod „suum esset, attribuere valeret: haud ta„men dissimulare possum, quod hæc pa„terna Cæsarea Majestatis vestræ sollici„tudo non ab omnibus probetur, sed „proprium commodum subesse credatur: „proin debita subjectione rogo, ut sua „Majestas hanc expeditionem ita mode„retur, ne ultra limites suos provecta „incen-

Merc. Gallob. tom. 10. l. 3. p. 77.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

„incendium excitet, cui reſtinguendo „poſtmodum ſufficere nemo facile poſſet.

Ceterum congregati Ordines variis propoſitionibus ultro citroque agitatis Conventum ſolverunt, animis haud quaquam ſedatioribus, donec horum motus toties repetiti demum in graviſſima, quæ ſecuta ſunt, bella erumperent.

§. CIII.

Continuatus Berlinenſium tumultus adverſus ſuos Miniſtros.

Continuat. antiq. part. 4. p. 196. & 265. Merc. Gallob. tom. 10. 4. p. 50.

Nondum plene deferbuit indignabundus furor Berlinenſium, qui ad nudum Principis ſui arbitrium Lutheri Evangelium cum Calviniano commutare juſſi fuerant; hi equidem dolorem ſuum tamdiu premebant, quamdiu Joannes Sigismundus Brandeburgicus Dux, qui Calvinianos Miniſtros immiſerat, Berlini morabatur, eo autem Cliviam evocato, ejusque fratre Joanne Georgio abſentis vices obeunte eorum querimoniæ in apertam vim erupere; poſtquam Reformatæ factionis Paſtores novæ ſectæ principium, a templorum deſtructione ſumpſerant; eorum enim juſſu & opera primo factus eſt impetus in Baſilicam urbis Berlini primariam: ſecuribus, malleis, aſciis, omnique demolientium vi Baptiſterium diruitur

Sæc. XVII. A. C. 1615.

uitur, epitaphia parietibus affixa revelluntur, una quoque gentilitia Majorum insignia cum vivis defunctorum formis ac picturis abolentur. Cruces unacum Christi effigie in unum proiiciuntur cumulum, omneque, quod Lutheri furor reliquerat, pictum, sculptum, aut re vel argento vel auro fusum quamdam Religionem spirans, a Calviniana rabie destruitur: cuncta, eaque venustate, splendore ac pretio insignia, unacum tabulis suis atque ornamentis sternuntur: Inde vero apertæ oriebantur indignationes in Sigismundum Electorem, quem linqua & calamo audaciores novum Copronymum, & Sacrarum Iconum Neronem appellitabant. Enimvero Anna Joannis Sigismundi uxor, quæ nunquam a Protestantium institutis ad Calvini sectam pertrahi poterat, novorum Præconum petulantiam ac iconomachorum vecordiam sistere decrevit, jussitque, ut quicquid eorum rabiem adhuc effugisset, aut e dejectis vel elegans artificio, vel pretio insigne supereſſet, in destinatum a se penetrale comportaretur: Calviniani tamen verbi Præcones contra hoc imperium acriter fremebant, nihilominus Lutheranæ factionis Ministri Electricis suæ præsidio tuti, turbatam sectæ suæ possessionem vindicare moliebantur, plebisque

Sæc. XVII. A. C. 1615.

indignationi faces insuper & flammam adiiciebant; nunquam tamen vehementius, rixosiusque Calviniani adversus Lutheranos declammatores insurgebant, quam in Dominica die, ubi legebatur Evangelium de Pastore bono, deque mercenario; tum enim Calviniani Lutheranos, nec dissimulanter etiam Electricem, idololatriæ fautores, necnon Mercede conductos Pastores ex suis suggestibus proclamarunt, se vero bonos Pastores, qui contra Lupum Papam, gregem suum defendere auderent, esse jactitabant: Verum hæc Calvinianorum maledicentia Lutheranos, quorum non pauci adhuc in urbe erant, ad iram & vindictam concitabat: conclamatur ad arma, plerique etiam fistulis æneis, gladiis, hastis, saxisque armati in obvias Calvinianorum Præconum ædes involant, ac iterato saxorum grandine fenestras diffringunt: ad vesanam horum conclamationem excitatus Joannes Dux ex arce sua accurrit, sed illico æris campani concussione ad communem seditionem signum datur, ac ipsemet Dux primo probris & maledictis, demum lapidibus impetitur, & cum suis trepide arcem repetere cogitur. Tumultuatum est integra nocte in Calvinianorum domos, resonabat ubique insana vociferatio contra Pastores malos, & mercenarios,

rios, effringuntur ferae ac poſtes, expugnantur ædes, irrumpitur in cubicula, ſedulo inquiritur in Calvini Magiſtros, eorum uxores & liberos, ut male nec forte citra necem mulctentur. Verum hi jam antea tumultuantium furori ſeſe ſubduxerant, redituro paulopoſt Electori cauſſæ cognitionem, ac vindictam relinquentes. Sæc. XVII. A.C. 1615.

§. CIV.

Wormatienſis tumultus in Judæos concitatus.

Severius longe Wormatiæ antiqua Romani Imperii urbe, Lutherani potiſſimum cives, Judæos exagitabant. Hi enim jam per plurimos annos immodicis ſuis uſuris ad incitas uſque plebem exhauriebant, unde crebræ civium querelæ apud Spirenſe, Viennenſe & Pragenſe tribunal; Mathias quoque Imperator noviſſime iteratis, ſeverisque interdictis hoſce uſurarios, eorumque fautores coercere ſtuduit: aurum tamen, & Judæorum aſtutia ſemper Cæſareæ Majeſtatis auctoritati prævaluiſſe videbatur: inſtant denuo cives, uſuram abrogari, atque in hanc peſtem ſevere animadverti a Senatu petentes: impetrant quoque ex Cæſareo tribunali mandatum, vi cujus Judæi iniquas uſuras a

Merc. Galob. tom. 10. *lib.* 4. *Meteran. l.* 35. *p.* 87.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

civibus extortas restituere, interminatis etiam pœnis jubebantur. His vero flecti nesciis, septendecim diversorum opificiorum Tribus habito consilio decernunt Judæos die septima Aprilis, quæ dies Parasceves erat, urbe esse eiiciendos, quod tamen, qua de causa nescio, executioni datum non est, proximo autem post Pascha die mane trecenti circiter cives, inermes quidem; palliis tamen tecti convenerant, decernentes, quod septendecim ex ipsis totius civitatis nomine Judæis emigrandi mandatum perferrent. Hi ergo duobus, qui ex Vormatiensi Judaismo præcipui erant, Jekoffo Longo, & Abrahamo Crasso significant, quod urbe, mœnibusque Vormatiæ excedant, ita tamen, ut ex pretiosioribus, quantum quisque portare poterit, secum efferrent, quæ vero ex suis bonis tunc relicturi essent, ea sigillatim clausa, signataque asservarentur, illis etiam auctoritate & fide publica, itidem reddenda, ubi illa jure sibi deberi docuerint. Ad hanc unius, qui professione lanio erat, privati hominis vocem Judæi auri secum exportandi licentia erecti, grates egere singulares pro ea clementia, quam in medio iustæ severitatis cursu expectassent nunquam, summis tamen petebant precibus, ut ipsis ad egressum ex urbe spatium unius horæ

horæ concederetur, pro farcinis colligendis, egressis vero tuti commeatus fides fieret publica. Horum neutrius cum repulsam tulissent Judæi, inter lacrimas, querelas, & ejulatus Vormatiam convasatis magis pretiosis excessere. Sæc. XVII. A. C. 1615.

§. CV.

Vormatiensium Judæorum Synagoga a Lutheranis destructa.

Dum hæc ita gerebantur, duo Consules rerum adhuc ignari in medium urbis forum prorupere, sciscitantes, quorum auctoritate, quibusve de caussis tempore ac more prorsus alienissimo hosce miseros ad tam repentinam fugam compellerent? ad quæ verba, qui ceterorum partes susceperat, hæc reposuit: „nos Hebræorum usuris ex„carnificati sæpissime auxilium malis „quæsivimus, Senatorias etiam & Con„sulares fores pulsavimus, vobis & Ju„dæorum Patrónis semper ad nostra „damna & lamenta mutis: nunc ergo „a Magistratu neglecti, ne nosmet ipsos „negligere videamur, caussam nostram „tueri coacti sumus, atque Hebræos „exulare jussimus, non alia auctoritate, „quam immunitatum nostrarum, Cæ„saris ac Dei. Cum autem ad hoc re- *Cont. Sleid. p. 4. fol. 255.*

Sæc. XVII. A. C. 1615.

sponsum fremerent Consules, atque in hujus violentiæ Judæis intentatæ auctores carcerum minas jacerent, non unius, sed omnium & singulorum totius urbis civium hanc mentem, votumque esse succlamabant: nec his contenti, insuper Synagogam, quam octodecim sæculis substitisse gloriabantur Judæi, necnon vicus Judaicos, domos & cæmetria per plures dies demoliuntur, ita, ut nec lapis quidem super lapidem relinqueretur, sexcentis & amplius civibus ad tam furiosas demolitiones operam conferentibus.

Hæc dum insana contentione aguntur, denuo Consules unacum Senatoribus aliquot, Ministris & Tabulario publico superveniunt, & quis civium primus demolitioni manus, aut ad cujusnam imperium admoverit? scisscitantur. Verum denuo responsum, hanc omnium civium esse sententiam: sic tum quidem rejecti Magistratus, res tamen tota diverse diversos sensim affecit, & seditiosos quidem ad majorem indies audaciam. Consules vero ad spretæ auctoritatis suæ vindictam succendit. Porro die vigesima quinta Aprilis Schonbergius Præfectus Heidelbergensis, Electoris jussu cum sex belli tormentis, & quatuor armatorum millibus non sine Magistratus consensu urbem ingressus est,

est, convocatisque in Curiam civibus, factaque in præcipuos hujus tumultus auctores inquisitione postulabat, ut cives novo fidei juramento sese Senatui obstringerent, hi vero responderunt, se nunquam Magistratui obstitisse, nec etiam ejusmodi homagium recusare: nihilominus centum & quinquaginta cives carceri dabantur. His peractis, Elector Cæsarem de tota rei serie datis literis certiorem reddidit, exponens, quod nec in Cæsareæ Majestatis vel Imperii, nec in ipsius Vormatiensis civitatis præjudicium, sed unice pro vindicanda Cæsaris & Magistratus auctoritate, & prævertenda majori animorum dissensione hanc expeditionem suscepisset. Tandem anno sequenti die vigesima sexta Martii Cæsaris delegati in urbem venere, ubi productis e carcere captivis hæc prælegebatur sententia: „Jurium Doctor, qui tumultuantium „civium causam egerat, ab urbe, Ele„ctoratu Palatino & Spirensi Episcopatu „exulet, mille insuper florenis mulctæ „nomine persolutis: ex captivis unus „in suis ædibus includatur, relicta dun„taxat Ecclesiam accedendi facultate: „tres vero virgis cæsi finibus Imperii „excedant. Hac sententia executioni data Electoris copiæ statim Vormatia egressæ, atque ad suos reversæ sunt. Sæc. XVII. Sæc. 1615.

§. CVI.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

§. CVI.

Brunsvicenſium civium turbæ recrudeſcentes.

Merc. Gallob. tom. 10. l. 1. & 4. Ludolph. l. XV. c. 2. n. 4.

Jam anno priori Wirtembergicus Dux Brunsvicenſes cives ad concordiam cum ipſorum Senatu ac Duce Friderico reducere nitebatur, hanc in rem indicto ad Februarii initium conventu; cum vero præſtituta die cives non comparerent, ac inſuper in Conſules ſuos acrius ſævirent, Henricus in ſeditioſos hoſce jam a Cæſare proſcriptos edictum promulgari juſſit, vi cujus omnibus & ſingulis prohibitum, ne quicquam in hanc urbem inferant vel efferant, vel ullum cum ipſis commercium habeant, ſed indicta capitis pœna ab eorum converſatione penitus abſtineant: Verum hujus legis ſeveritate civium pertinacia frangi haud poterat, rurſus igitur hoc anno Anſeaticæ civitates per ſuos Deputatos, qui pro Brunsvicenſibus agebant, primum Hannoveræ, dein Ritterhuſii habito conventu de pace concilianda cum Friderico Ulrico Duce egerunt, propoſitis hisce concordiæ legibus, ut cives quotannis ingentem pecuniæ ſummam Duci numerarent, eique arcem in urbe exſtruendi facultatem concederent, necnon portas adventanti die nocteque aperirent, retentis tamen in poſſeſſione ſua clavi-

clavibus: plura adhuc alia Duci fuere oblata, quibus Brunsviga pene ad aliarum Civitatum conditionem fuisset redacta, nisi quod in armamentarium, vallum, portasque omne sibi jus integrum voluerit reservari: Enimvero ad hæc pacta satis pronum sese exhibebat Fridericus, obstitit tamen Michael Vustrovius Ducis Vicarius, ac supremus militiæ Præfectus, cujus suasu Dux Deputatis re infecta reversis, nimis ampla, & vix non servilia a civibus obsequia postulabat, quæ ubi detrectarunt cives, Dux collecto tumultuario milite die prima Augusti urbem obsidione cinxit, Oppidani vero die quarta Augusti eruptione facta acre cum Ducis militibus prælium commisere, cæsis, sauciisque utrinque non paucis: Interim non modo Belgicus, sed & urbium Anseaticarum miles, ductore Friderico Solmensi Comite, obsessæ urbi in auxilium accurrit, cives quoque, cum Ducis copias e castris suis ad excipiendas Magdeburgensium suppetias excessisse compererant, erumpentes cæsis, vulneratisque quamplurimis sex belli tormenta cum abundanti annona in urbem abducebant: quo facto Dux exacerbatus, candentes in urbem globos, impune tamen disploſit, copiasque, quas Joannes Solmensis Comitis frater adduxerat, in fugam

Sæc. XVII. A. C. 1615.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

fugam egit, castrisque propius admotis, captisque aliquot propugnaculis die vigesima prima Augusti urbem toto armorum apparatu obsidere cæpit, tormentorum displosione ad septem circiter hebdomades non sine ingenti urbis damno continuata: Nec suis tamen partibus defuere oppidani, qui iterata eruptione facta die prima Septembris Olberinam etiam munitionem occuparunt. Re comperta mox accurrit Vustrovius, qui tamen a civibus glande plumbea trajectus occubuit: vicissim quoque Consulum alter eodem fato periit, nec tamen inde territi cives, intromissis Friderici Comitis auxiliaribus copiis, die vigesima quarta Septembris Ducem, qui irruptionem tum tentaverat, non sine magna suorum clade repulerunt.

§. CVII.

Pax Ducem inter & Civitatem honestis utrinque conditionibus conciliata.

Merteran. l. 32. p. 155.

Cum interim Dux in suos subditos, & hi in suum Principem mutua clade grassari certarent, Mauritius Hassiæ Landgravius pacis arbitrum agere constituit, hancque in rem ad Brunsvicensis Ducis castra Legatos decrevit, pacis negotio operam daturos. Ea de re

re Daniæ Rex quantocius obsessos cer- Sæc. XVII.
tiores reddens petiit, ut suos & ipsi A. C. 1615.
Legatos transigendi potestate instructos
Guelpherbitum nulla mora ablegarent. *Neuvill. hist. d' Hollan. tom. 1. p. 97.*
Hi vero se inconsultis sibi fœderatis nil
decernere posse respondebant, ea tamen de re Molierum Secretarium, unacum Ministro Protestante & tubicine ad socias civitates destinarunt, ut earum responsum consiliumque exquirerent. His igitur pariter in pacis studia inclinantibus, primo de induciis & publicæ fidei literis utrinque concedendis actum est. Hanc in rem Cæsaris Deputati unacum Hassiæ Legatis Giffórnam, ubi Solmensis Comes cum Anseaticis copiis substiterat, profecti sunt. Interea vero Brunvicensis Dux urbis obsidionem tanto impetu urgebat, ut obsessi ad incitas ferme redacti deditionem facere coacti fuissent, nisi Joannes Georgius Solmensis Dux in opem accurrens urbem periculo metuque liberasset, quamvis & ipse a suis desertus, a Brunsvicensi Duce captus esset : quoniam vero eodem tempore ejus frater post cruentam utrinque pugnam obsessos novis militum suppetiis erexerat, hi audaciores inde facti, spretis Daniæ Regis hortationibus inducias cum Duce inire recusabant: tandem vero die trigesima Octobris Fridericus Dux, sollicitantibus

Sæc. XVII A.C. 1615

bus Cæsare, Daniæ & Angliæ Regibus, se soluta obsidione exercitum omnem abducturum spondebat, dummodo cives quoque ab armis cessarent: hacigitur ratione die vigesima prima Decembris inter Fridericum Ulricum Brunsvicensem Ducem, & civitatem Steterburgi pax his pactis concluſa est. I. Dux omnia civitatis privilegia, jura atque immunitates salvas servet. II. Senatus, civesque Duci fidelitatis homagium exsolvant, eumque pro legitimo suo Duce habeant. III. Pacta jam olim cum civibus inita, salva permaneant. IV. Ceteræ lites circa Ducis jurisdictionem Cæsarei tribunalis judicio decidantur. V. Denique, omnia in pristinum statum redigantur. Ceterum toto obsidionis tempore ex Ducis exercitu duodecies mille, ex civibus vero tricies mille partim periere, partim vulnerati sunt.

§. CVIII.

Lutheranorum ausus a Cæsare repressi.

Merc. Gallobelg. t. 10. l. 3.

Struxerant Pragenses Lutherani jam anno priori novum quoddam Templum, quod titulo *Salvatoris* honestabant, ac die quinta Octobris quadam Catholicæ consuetudinis imitatione, ple-

plebisque ac nobilitatis acatholicæ concursu maximo necnon concione habita, & decantato Hymno Ambrosiano dedicarunt, illud absdubio simul Catholicorum ritu consecraturi, si ex sectæ præscripto Pontificem habuissent: Hoc autem anno Joannes Philippus Saxoniæ Dux eandem ædem famoso aulæ suæ Declamatore Matthia Hohe apostata honorabat, qui die sexta Augusti novum hoc fanum renovatis facundiæ suæ crepitaculis implens, in ipso statim dictionis exordio stupidam auditorum suorum multitudinem tot insulsis affectuum blandimentis, solatiorum fomentis, ac laudum præconiis demulcere studuit, ut plausu manuum, lætoque muliercularum susurro omnia ferverent: Sub idem tempus Nobilis quidam Lutheranus nomine Joannes Baclebius Pragensium exemplo stimulatus, necnon formidolosa illorum temporum conniventia utendum ratus, pariter in suo prædio, quod San-Ulricum dicebatur extra civitatem Viennensem, ædem erexerat, pro qua quemdam Augustanæ Confessionis Præconem aliquamdiu aluerat: cum autem novo hoc ausu Abbatem San-Schotanum, cui jus Patronatus in hæc loca a multis jam annis debebatur, possessione sua destituisset, ipsoque facto spoliasset, hinc Cæsar

Sæc. XVII. A. C. 1615.

Sæc. XVII. A. C. 1615. Viennam reversus, atque a præfato Abbate interpellatus novum, inusitatumque hoc concionandi exercitium ad San-Ulricum edito decreto abrogavit, ac conductitium hunc declamatorem protinus ditione Austriaca excedere jussit. Vix de hoc edicto fama percrebuit, cum illico Protestantes Austriæ Status in lamenta effusi, non modo abrogatum hoc Religionis exercitium restitui, sed insuper plebeio etiam Statui sectam suam publice in oppidis & vicis profitendi libertatem concedi postularent. Verum Cæsar eisdem declarabat, quod „pro officii sui ratione omnibus justitiam „administrare, & jus suum cuique sartum tectumque servare, proin æque „Abbatis petitioni deferre teneatur: hanc „autem causam nunc ad judicium delatam, meritoque ejus decisionem „expectandam dicebat, addens, quod „ipse, quod pro administranda unicuique parti justitia semel tum statuisset, „jam rescindere, atque immutare haud „valeret: interim tamen & Abbati, ut „negotium promoveret, & Catholicis „Statibus, ut pro constituendo æquali „judicio suos quoque denominarent, „quantocius a se præceptum asserebat, „adjungens, se non dubitare, quin Status Protestantes, quod ad alia attinet, „responsioni suæ & aliquoties repetitæ „decla-

„declarationi acquieturi, nec novis & „non neceſſariis ſollicitationibus cauſ- ſam præbituri, ſed hæreditarium ſibi „jus in Cives ſuos ſalvum conſervaturi „ſint; cum ipſe nec a declaratione jam „facta recedere, nec ampliora permit- „tere poſſet„ Hoc quidem reſponſo ſedatus eſt hic tumultus, qui tamen progreſſu temporis occaſionem præbuit conſpirationi Bohemicæ in Cæſarem ab Acatholicis conflatæ. Sæc. XVII. A. C. 1615.

§. CIX.

Adverſa Cari Sommerſetis Comitis fortuna.

Hucusque Carus Sommerſeti Comes tanta apud Jacobum I. Angliæ Regem gratia valebat, ut non modo ceteri Proceres eidem invidiam concitare adlaborarent, ſed ipſa etiam Regina in ejus excidium cum Rudolpho Winwodo conſpiraret; eoquod Comitem violentæ necis Henrico Walliæ Principi illatæ auctorem ſuſpicaretur, ſeque ab hoc Regis Cliente vilipendi crederet: Sub idem quoque tempus ipſemet Rex Georgium Villerium Liceſtrienſem Nobilem in paucis charum habere cæperat, eumque Regium Pincernam conſtituerat, ringente licet Sommerſeto Comite, qui naſcentem Regis propen- *Rapin hiſt. D'angl. l. 18. Calmet Hiſt. Univ. l. 252. Relat. Hiſt. contin. p. 93.*

Sæc. XVII. A. C. 1615.

sionem maturato rivalis sui exitio, extinquere, unice intentus erat; opportuna quoque nefando ejus consilio se obtulit occasio; cum enim quadam die Villerius cum ceteris mensæ Regiæ accumberet, ac Pocillator, aut incuria aut industria, vinum supra ejusdem vestes effunderet, Villerius indignatione moderationem superante, eidem colaphum impegit, simulque hoc facto sese obnoxium reddidit legi, qua cautum, ut dextera ejus, qui quempiam in Regia percussisset, amputaretur: Hujus delicti cognitio spectabat ad supremum Regii Cubiculi Præfectum Sommersetum, qui hac occasione fretus Villerium ad legis præscriptum plectere statuit: Verum Rex hac severitate in novum suum Clientem tantopere offendebatur, ut sensim a Comite alienum præseferret animum; quo comperto Georgius Abbotus Cantuariensis Archiepiscopus, qui Brancrosto nuper defuncto succesferat, instigantibus Aulicis Reginam eo induxerat, ut ad ejus sollicitationem Rex Villerium a Regio cubiculo esse juberet. Tum vero Aulicorum animi in diversa scindebantur studia, nonnullis Sommerseti veteris Clientis favores, aliis novi hujus æmuli patrocinium aucupari certantibus: Primis hisce alternantis fortunæ motibus præcipue agitaba-

Justif. d' Abbot dans les Collect. de Rusworth an. 2, c. 1.

tabatur Sommerſeti animus: recurſabat identidem moleſta recordatio horrendæ cædis, qua Overburium olim amicum ſuum furori ac libidini ſuæ litabat: cruciabat Regiæ indignationis ac vindictæ formido, necnon priſtini favoris deſiderium: ne vero prævalente inquietiſſimo harum cogitationum turbine ſuæ obliviſceretur ſecuritatis, Regem ſupplex adiit, ut ſibi omnium culparum, a quibus tot negotiorum multitudo & gravitas innoxium etiam quemvis gravare poſſet, veniam Regio diplomate concedere, ejusque vitam ab æmulorum inſidiis in tuto collocare dignaretur. Annuit quidem Rex, Regio tamen diplomati ſigillum apponere renuit Cancellarius, nec ipſomet Rege id ægre ferente. Sæc. XVII. A. C. 1615.

§. CX.

Sommerſetus, ejusque Conjux, ceteriique Overburianæ necis conſcii in carceres abſtracti.

Sub idem tempus Reeverus Pharmacopolæ famulus Fleſſingæ cum Trumballi Equitis, qui Bruxellis Jacobi Regis Oratorem agebat, famulis frequens habebat commercium, eisque referebat, quod Londini conſtitutus Franklini juſſu clyſterem veneno infectum præparaſ- *Rapin. l. c. S. Anth. Weldon. p. 102.*

Sæc. XVII. A. C. 1615.

set, illudque Overburio paulopost decedenti adhibuisset. Hanc rem edoctus Trumballus obtenta venia in Angliam reversus est, totamque rei seriem Regi qui tum Roystoni, agebat exposuit. Hic Eduardo Cookio supremo rerum capitalium præfecto clam in mandatis dedit, ut Sommersetum, ejus conjugem, Westonum, Franklinum, Turneriam, & Ellwysum Turris Londinensis Custodem carceri mancipari curaret. Accepto hoc Regis mandato Cookius nulla mora rei executionem cuidam justitiæ administro demandat, qui Roystonum delatus, præprimis mandati sui seriem Sommerseto Comiti exposuit. Hic vero velut fulmine tactus, cum adhuc in Regis amplexu hæreret, exclamabat, nunquam hactenus auditum esse, quod Regni Princeps præsente Rege captus abduceretur: Rex vero, quid rei subesset, se ignorare simulabat, subridensque inquiebat: *non, non, amice, te judici sistere teneris, ipse ego vocatus, comparere obstrictus essem,* ipsum quoque ad palatii fores usque comitatus eundem rogabat, ut prompte rediret, eoquod absque ipsius consortio vivere haud posset; vix autem infelix Comes currum conscenderat, cum Rex eidem succlamaret: *Rapiat te diabolus, faciem meam haud amplius videbis:* quamprimum igitur

igitur Comes Londinum pervenerat, confestim turri includitur, ejus quoque conjux, ceterique complices variis in carceribus capti detinentur, ex quibus illi, qui de Overburii nece convicti erant, alii Mense Octobri, alii vero Mense Novembri ultimo supplicio affecti sunt: Comes vero unacum Conjuge sua, eoquod Overburii homicidio contaminati essent, Judicum judicio capite damnantur, cujus tamen sententiæ executionem Rex differri jussit, tandem vero utrique vitæ veniam, libertatemque indulsit. Sæc. XVII. A. C. 1615.

§. CXI.

Michael Fedrovitius Magnus Moscoviæ Dux electus.

Interim Moscovia diuturno æque ac gravissimo bello afflicta, & tam a Polonis quam a Suecis misere vastata, ruinæ proxima videbatur; postquam enim Sigismundus Poloniæ Rex factiosos fere quinquaginta. qui in Regis caput conjuraverant, Varsoviæ palam extremo supplicio plecti jusserat, horum metu solutus, & periculi domestici jam securior, ductore copiarum Radzivilio, decem millium exercitum in Moscoviam præmisit, terras illas, urbesque ad deditionem, armis & populatione com- *Merc. Gallobelg. t.* 10. *l.* 3. *&* *l.* 4. *pag.* 89. *Contin. Sleid. part.* 4. *pag.* 268.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

pulsurum, nisi Ladislaum Filium suum, qui mox eum validiore agmine propediem subsecuturus esset, e vetere pacto in Ducem suum reciperent. Hi ergo Moscos & Russiam a partibus, ad meridiem, occasumque sitis incursant: a tractu vero, supra Balticum mare, Boreali, Sueci Plescoviam insignem Moscoviæ urbem occupant, trucidatis Moscorum, qui obsidionem solvere tentabant, novem millibus, ceteris in fugam actis: Præterea Pontus Tellagardus Suecici exercitus Ductor, auspiciis Gustavi Regis sui, multa Moscis oppida, ditionesque eripuit, cum autem Rex secundis Polonorum rebus ac successibus invidere inciperet, ejus jussu Tellagardus per fecialem ab ulteriore Moscoviæ subigendæ progressu Sigismundum Poloniæ Regem deterrere moliebatur: Hic vero sibi æquale cum Suecis jus in Moscos competere ratus, bellum continuato ardore prosequebatur: Sub idem quoque tempus Tartarorum Tauricanorum Chamus irruptione facta Russiam misere devastabat: vicissim vero Russi. Ductoribus Visnovecio & Corecio, Daciam occiso ejus Regulo depopulabantur: Nec tamen ex aliena calamitate aliquod domestici mali levamen emerserat, quocirca Proceres Mosci rebus suis melius consulturi, habito con-

conventu Magnum Ducem, Michaelem Fedrovitium elegerunt, missoque Varsaviam, ubi Poloni Mense Februario sua celebrabant comitia, Seluboscio Oratore, Senatoribus Regni significabant, „quod quidem Ladislaum Regis Filium „olim in Magnum Ducem expetierint, „hancque in rem Philaretam Legatum „in Poloniam decreverint, hic vero „ad hanc usque diem ibidem detinere„tur: cum autem Poloni, violata ju„risjurandi Religione, rapinis & dire„ptionibus cuncta infestassent, hinc ipsi „pro cavendo patriæ interitu ad alte„rius Ducis electionem descenderint.„ His addebant, quod novus Dux pacem cum Poloniæ Rege inire paratus, ad varios Principes jamjam suos decrevisset Legatos, pariterque exoptet, ut vicissim Rex præter suos Oratores tempus, locumque ad pacis negotiationem opportunum designaret, prius vero captivos & præcipue Philaretam Legatum dimitteret, ab armis abstineret, & damnorum compensationem faceret, secus si fiat, ad sui, suorumque defensionem se paratissimos fore declarabant. Sæc. XVII. A. C. 1615.

Enimvero Moscoviæ Dux Jvanum Fommium Legatum ad Cæsarem Viennam ablegabat, qui tamen tantam arrogantiam & barbariem præseferebat,

Sæc. XVII. A. C. 1615. ut Mathias Imperator per aliquot dies illum a colloquio arcere cogeretur, eum tamen, poſtquam ignoratæ conſuetudinis excuſationem prætendens, inſolentiæ ſuæ veniam petierat, liberum dimiſit, ea tamen conditione, ut impoſterum ab ejusmodi protervia abſtineret, ſeque ad mores in Aula Cæſarea receptos componeret, necnon Imperatoris reſponſum de rebus ab ipſo propoſitis ſed arduis quiete præſtolaretur. Attamen Cæſar auctoritatem ſuam inter Moſcos & Poloniæ Regem interponere renuit, unde totum pacis negotium Polonos inter & Moſcos in irritum cecidit, ſimulque Tartari, qui Moſcorum ſtipendia merebant, in Lithuaniam progreſſi omnia rapinis, & cædibus infeſta reddidere.

§. CXII.

Bellum Hiſpanos inter & Sabaudiæ ducem continuatum.

Ferrer. Hiſt. Hiſp. cont. tom. 11. *p.* 219. Haud majori felicitate compoſitæ, pactæque fuerunt res Inſubricæ, ac Sabaudicæ; quamvis enim clades utrinque, ſat frequentes, atque illuſtrium belliducum funeribus dolendæ, & ad extremum graveolentia cadaverum in campis & caſtris ad Aſtam Montferratenſem urbem putreſcentium luem attraxiſ-

traxiſſet, nihilominus tam Hiſpani, quam Sabaudiæ Dux pacta Vercellenſis pacis die ſexta Novembris anno priori inita minus religioſe ſervabant, utraque parte ab armis diſcedere cunctante: Præterea Mathias Cæſar per Caſtillionenſem Principem decretum Sabaudo transmiſit, vi cujus ab armis ceſſare jubebatur, indicta proſcriptionis pœna: aſt Decreto hoc non parum quidem commotus Emanuel, belli tamen cauſſam in Hiſpanos coniiciens, Cæſareum fecialem captum detinuit. Inde vero fumantibus adhuc belli ſcintillis rurſus hoſtiles concitantur tempeſtates, crebrisque ac cruentis utrinque velitationibus aliquamdiu pugnatum, donec tandem Sabaudus Hiſpanis numero inferior commiſſo prope Aſtam prælio profligatus eſſet: quocirca ſollicitantibus Paulo V. Papa, & Ludovico Galliarum Rege, rurſus ineunte Menſe Decembri in urbe Aſtenſi priores Vercellenſis concordiæ leges innovatæ ſunt, conventumque, ut Sabaudus exercitum ſuum dimitteret, retento duntaxat eo milite, quem Savellus Papæ Nuntius, & Rambolietus Franciæ Orator ad urbium defenſionem neceſſarium cenſuerint: viciſſim Mediolanenſis Gubernator Hiſpani Regis nomine promitteret, ſe Duci nullam vim ullo modo illaturum; ſi ve-

Sæc. XVII. A. C. 1615.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

ro promissis non staret, Papa & Franciæ Rex Sabaudiæ Ducis patrocinium susciperent: pro ceteris vero controversiis intra semestre componendis arbitros quisque suos eligerent, interim utrinque occupata restituerent.

His conditionibus etiam Sabaudiæ Dux, qui compositioni difficiliorem hucusque sese præbebat, tandem subscripsit, ea permotus ratione, quod Franciæ Rex milites in Sabaudi favorem ullo in loco Regni sui conscribere prohibuisset, iisque militum delectus, quos Joannes Nassovius Comes ex omni sectarum colluvie conducere jussus erat, tardius procederent, insuper Dux sat compertum haberet, quod idem Comes a Fæderatis Ordinibus sub Sabaudi signis merere prohibitus, neglectis & temporis & itinerum compendiis, deditaque opera quæsitis ambagibus per Diæcesin Paderbornensem, & per Hassorum & Electoris Palatini terras tanquam in pompa suum duxisset exercitum, ac tandem omnino haud ita procul Argentina otiosus substitisset: quapropter Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux conscribi porro militem prohibuit, & eousque conscriptum exauctorari jussit, ac dimitti, prospero futuræ pacis augurio.

§. CXIII.

§. CXIII.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

Siburgense Monasterium, & oppidum ab Hispanis occupatum.

Minus religiose servabantur pacis fœdera Xanti inter Neoburgensem & Brandeburgicum Duces inita; quamvis enim Jacobus I. Angliæ Rex nil intentatum relinqueret, ut Hispani hæc pacta rata haberent, nihilominus haud obscure deprehensum, quod Hispani ac præcipue Fœderati Ordines occupata loca, ac dictionis Juliacensis urbes restituere cunctarentur, ac alter in alterum hujus tergiversationis culpam coniicerent, etsi ambæ partes scriptotenus declarassent, quod illas nonnisi tanquam rogati sequestres retinere vellent; Erat quoque in hisce regionibus Abbatia quædam, Siburgensis dicta, quæ nondum præsidiario milite firmata erat; ne igitur Hispani eam sibi vendicarent, Brandeburgicus Abbatem urgebat, ut se neutri parti adhæsurum declararet: cunctabatur ille aliquamdiu, alterutrius partis violentiam veritus; tandem vero nuntio ad Henricum Montensem Comitem misso, Hispanos ad arripiendam Monasterii oppidique possessionem accersebat. Hic igitur nulla mora cum exercitu trium millium equitum peditumque accurrens, Hispanum præsidium

Merc. Gallob. tom. 10. l. 4.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

dium arci impoſuit. Equidem Blanquenburgenſis & Vindecenſis Præfecti Hiſpanos inde eiicere nitebantur, verum ambo a Neoburgico Principe ob violatam fidem exauctorati ſunt, quos tamen Brandeburgicus denuo ſuis Præfecturis reſtituit. Paulopoſt Albertus Archidux ac Belgii Gubernator ad Fœderatos Ordines literas dabat, quibus ſe Xantenſi pacto de copiis Juliaco abducendis ſtare paratum declarabat: id quidem viciſſim pollicebantur Ordines, mox tamen die ſecunda Julii ſuas Brandeburgico copias junxerant, atque Altenam aliaque loca, totumque Marchenſem & Friderico Naſſovio ductore Ravensburgenſem Comitatum occuparunt. Inde vero contigit, ut transactione Xantenſi violata, Juliacenſis Ductatus, cæteræque adjacentes Regiones ab utriusque partis militibus exhaurirentur, & ſubditi ad inopiam fere redigerentur; præterea Ordinum Fœderatorum milites Colonienſem & Paderbornenſem Diæceſin, perinde acſi hoſtilis eſſet regio, pecuniarum extorſionibus, rapinis & cædibus fæde devaſtarunt, ſubditosque miſere oppreſſerunt non aliam ob cauſſam, niſi quod Catholicis, atque Eccleſiaſticis Principibus parerent. Monebat Colonienſis Elector Fœderatos Ordines, ut hosce milites revocarent, eos-

eosque in officio deinceps continerent, sed ei ab his responsum, quod in prædones animadvertere, eosque e ditione sua quoquo modo exturbare sibimetipsi integrum foret, probe autem prospicerent, quod si adversus hosce furibundos arma caperet Elector, ceterorum Protestantium arma in se concitaturus esset. Eodem quoque anno Fœderatorum classis Georgio Spilbergo Architalasso, Hispanam classem navali prælio die decima septima Julii profligabat, dissipatis quinque Hispanorum navibus, ipsaque prætoria aquis hausta, unacum Alvaresio, & militum quamplurimis: Hoc tamen damnum compensatum videtur felicitate, qua Lusitani hoc anno Meliaporam Indiæ Orientalis urbem unacum arce occuparunt, ejecto Regis Bisnagæ præsidio. Sæc. XVII. A. C. 1615.

§. CXIV.

Principum, ac Virorum Illustrium obitus.

Inter Principes, qui hunc annum mortis necessitate sibi postremum habuere, erat Margarita e stirpe Valesia, Henrici II. Galliæ Regis Filia, Henrici III. Soror, & Henrico IV. donec ejus matrimonii nexus pronuntiaretur irritus, conjux, partus tamen omnis expers: *Gramond. Hist. Gall. l. 1. p. 78.*

Dum

Sæc. XVII. A. C. 1615. Dum ætate valuit, nemini forma & venuſtate, nemini illecebris ſecunda exſtitit: Regiæ illi virtutes certatim merebant, præ ceteris vero externa in Deum pietas, ac liberalitas in omnes præcipue literatos effuſa; ſuam enim Aulam in Academiam vertiſſe videbatur, dum in menſa de ſubtiliſſimis quibusque quæſtionibus diſceptare, nodosque inextricabiles ex tempore diſſolvere ſolita eſſet: Vitam agebat vario fato plenam, quam odia & amores, honores & contemptus, adverſa & proſpera componebant, quæque totius aulæ Decus & ornamentum erat, mox ludibrium evaſit: Sic impune in hac Regina luſerat fortuna: ne vero tota mori videretur, præter perennaturas, egregiasque aliquot animi dotes ſuam quoque a ſemetipſa conſcriptam, atque ad annum Domini milleſimum quingenteſimum octogeſimum ſecundum protractam vitam, fataque poſteris reliquit. Obiit Pariſiis die vigeſima ſeptima Martii. Non deſunt, atque inter eos præcipue Author Gallus libri, cui titulus, *Divortium Satyricum*, qui hujus Reginæ memoriam objecto incontinentiæ vitio laceſſere non verebatur: verum nec Sapientis, nec Hiſtorici partes ſunt, inſectari convitiis Principes, & vulgare, ſi quid privatim

ab

ab illis nullo in rem publicam malo peccatum. Sæc. XVII. A. C. 1615.

Deceſſit pariter Menſe Octobri Marcus Antonius Memmius Venetæ Reipublicæ Dux, qui præter bellum in Prædones Uſcochos geſtum, Ferdinando Mantuæ Duci adverſus Carolum Emanuelem armorum ſuppetias ſubmiſerat: Succeſſorem habuit Joannem Bembum ſeptuagenarium. Die decima ſeptima Septembris ex Londinenſi Turri ad æternitatis portum tranſiit infelix Arbella Stuarta, Caroli Stuarti filia, Eliſabethæ Reginæ Neptis, & Jacobo I. Angliæ Regi propinquitate juncta. Hæc generoſæ mentis mulier, vitæ innocentia, ac ingenio ad omnes ſcientias aptiſſimo prædita, ſemper adverſam experiebatur fortunam: juvenis adhuc Guilielmo Seymurio nupſerat, mox vero Eliſabethæ juſſu unacum Marito ſuo carceri dabatur, eoquod inſcia Regina hoc matrimonium iniiſſet, poſt obitum vero Eliſabethæ rurſus in libertatem aſſerta eſt, qua tamen haud diu fruebatur; cum enim Ralleckiani in Jacobi I. necem conjuraſſent, & in Regni faſtigium Arbellam, patientem magis, quam res agentem, evehere molirentur, hinc eam Jacobus Rex Londinenſi Turri includi juſſerat, in qua etiam

Sæc. XVII. A. C. 1615.

contabuit, ſine omni funeris pompa prope Mariæ Stuartæ tumulum ſepulta.

Inſuper præmaturo nimis fato die vigeſima ſexta Decembris mortalium conſortio Dresdæ ereptus eſt Auguſtus Chriſtiani I. Saxoniæ Electoris Filius, nonniſi viginti ſeptem annos natus.

M. S. autograph. Claud. Aquaviv. in collect. Script. Soc. pag. 260. & 308.

Denique Claudius Aquaviva Italorum Præpoſitorum Societatis primus die decima tertia Januarii Romæ anno ætatis ſeptuageſimo ſecundo deceſſit. Erat is Vir pietate, judicii ſoliditate, felicitate memoriæ, morum ingenuitate, ac exquiſita in rebus gerendis prudentia adeo celeber, ut merito inter clariores Societatis, quam annis triginta quatuor moderabatur, Generales numerari valeat: Scripſit plurimas epiſtolas, quæ ad Societatis gubernationem maxime pertinent; quippe pro officii ſui ratione primis in curis habebat Societatis honorem, & incrementum, uti patet ex variis ejusdem epiſtolis ac decretis, inter quæ celebris eſt ejus Inſtructio Viſitatoribus data, ubi articulo 30. ait: *Curent, ut de Inſtituto omnes bene ſentiant, neque permittantur ullo modo contra illud diſputationes, vel colloquia, & adhibeant remedia ſerio: quod ſi quis ſe non accommodaret, moneatur, ut potius alibi quiete vivat, quam nobiscum.* Nec minus paternam ſollicitudinam adhibebat pro

pro avertendis Societatis calamitatibus; cum enim Sixtus V. in aliquibus Societatis Institutum emendare intenderet, pro avertendo hoc malo, quod *tribulationes Sixtinas* vocabant, suos ad implorandam Dei opem encyclica epistola his verbis excitabat: *Quod semper mos Domini fuit, ut Ecclesiam sponsam suam variis occasionibus exerceret, quo quotidie pulchrior, magisque sine macula redderetur, id etiam in Societate, utpote Ecclesiæ membro non inutili, nec infimo, & alias feciſſe, & hoc ipso tempore facere videtur; non enim desunt, qui eam conturbent, cum aliis modis, tum etiam incitando Sanctitatem suam, ut quædam in ejus instituto in dubium vocet, & omnino, ut non ita bene sentiat de quibusdam rebus nostris. Etsi autem confidimus, Dei providentiam, præsto nobis futuram, nec permissuram, ut quicquam detrimenti patiatur id institutum, quod jam tot annorum usu, atque experientia confirmatum est, nihilominus monere volui Reverentiam vestram, ut preces pro hoc ipso indicat, nihil tamen dicendo de his particularibus, sed tantum in universum, ut oretur pro rebus Societatis. Hoc enim curare debebit omni studio, ne inter nostros ulla gignatur trepidatio aut timor, quasi magna aliqua perturbatio immineat.* Nec in solis hisce hortationibus stetit sollicita hujus Præpositi vigilantia, sed insuper alia epistola

Sæc. XVII. A. C. 1615.

Epist. Claud. Aqua. 4. Febr. 1589. ad Ferd. Alber. Provinc.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

la suos edocuit, quibus mediis Principum favorem contra Pontificis in Societatem molimina aucupari valeant: *Conferat Reverentia vestra*, scribebat ille, *cum aliquibus præcipuis Patribus de executione cujusdam remedii, quod nobis occurrit non mediocriter profuturum: id autem est, ut curetur, ut aliqui Principes ad Pontificem pro Societate scribant, quoniam alias experti sumus ejusmodi commendationes profuisse. Qui autem esse possint in Provincia ista Principes, & in nos ita benevoli, ut cum iis de hoc agi possit, & ea auctoritate apud Pontificem, ut aliquid apud eum obtinere possint, Reverentia vestra melius videbit, sed nobis hi occurrebant: Inprimis Serenissimus Bavariæ Dux, qui alias etiam simili occasione mirabiles literas scripserat, sed nos, quia tunc opus non erat, reddi noluimus. Deinde Archidux Ferdinandus, & Episcopus Augustanus rogatus a P. Rosefio. Fortasse etiam non abs re erit, ut scribat Episcopus Basileensis, apud quem valebit P. Streus, & Prixinensis mediante Regina. Cum his igitur, vel cum aliis, quos Reverentia vestra judicabit, agi poterit; quod vero petendum erit, ut scribant, hoc in summa est, audisse se nostros istius provinciæ non parum commotos esse, quod subintellexerint ejus Sanctitatem fortasse aliquorum sermonibus incitatam, nescio quam mutationem, ac novitatem in rebus nostris medi-*

Epist. Claud. Aq. ad P. Ferd. Alber Provinc. Germ. super. pag. 312.

meditari: ideoque pro zelo boni communis, & pro observantia in hanc sedem, cum videant, quid Societas in illis partibus præstet, hoc ejus Sanctitati indicare voluisse, non putare se e re Ecclesiæ futurum, ut ista perturbatio in Societatem inducatur, quæ sine dubio & Catholicis detrimentum ac dolorem, & hæreticis lætitiam afferret, quin etiam subaudisse se quosdam e nostris, cum de his novitatibus audissent, ita doluisse, ut dicerent, existimaturos se aliam hanc fore Religionem ab ea, quam ab initio ingressi sunt: ac propterea si id contingat, forte cogitaturos quid sibi expediat. Hoc enim vere & alibi nonnullos sensisse scimus, & istic idem futurum timemus. Hæc igitur & similia proponi eis poterunt, sed ita prudenter ac dextre, ut qui scribent, ita scribant, ut non videantur a nobis hinc rogati, sed tantum moveri (ut dixi) Zelo boni communis, & ex iis, quæ in nostris isthic ob hanc occasionem viderunt, persenserunt. Quare Reverentiæ vestræ erit rem bene perpendere, ac deinde pro sua prudentia videre, quæ ratio ad hoc efficiendum optima videatur. Ante omnia tamen commendo ei celeritatem, quoniam in hac fere totum consistet; literas autem istas ad Pontificem nullo modo mittant per nostros, sed quisque per suos agentes. Quod vero supra dixi, posse eam communicare cum aliquibus, quibus confidat, id ita facere debet, ut eis secretum commit-

Sæc. XVII. A. C. 1615.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

tat, ne res in alios noſtros emanet, quod ſine dubio nocere poſſet, præterea eos ipſos, quibus hæc dicet, ita animabit, ut non timeant, quaſi grave aliquod malum inſtet.

Opportunum quoque foret, ſi ad ſummum Pontificem deſuper ſcriberet Reverendiſſimus Nuntius Lucernenſis, ideoque R. V. inſtruat Patrem Cruſium, quid ei dicere debeat, ſed hoc præſertim, quod majus momentum ſit habiturum apud Papam, ſi ipſe, ut Sanctitatis ſuæ Miniſter, illuminformet, quid noſtri iſthic ſentiant, moneant etiam D. Pfifferum Prætorem, ut in eandem ipſe quoque ſententiam ſcribat ad D. Capitaneum, qui ejus ſenſum Pontifici deferat. Ex his velut ex ungue cognoſci poterit, quam intimo doloris ſenſu Societatis Filii tam providi Moderatoris, Patrisque jacturam deplorarint.

§. CXV.

Variæ Congregationum deciſiones.

Congreg. Concil. rituum, & Epiſc.

Ampliori adhuc ſollicitudine ſummus Pontifex varia ſubinde exorta dubia a ſuis Deputatis decidi præceperat, & quidem die decima ſexta Januarii ejus juſſu Sacra Epiſcoporum Congregatio declarabat, non eſſe imponendam excommunicationem ob feſtorum violationem, neque contra non audientes quotidie Concionem in quadrageſima,

ma, neque adversus polluentes Eccle- Sæc. XVII.
siam, & ne quidem facile contra lo- A. C. 1615.
quentes cum Monialibus: Pariter die decima Martii Paulus V. Pontifex Maximus singulis Episcopis significari præceperat, quod licentiæ celebrandi in privatis Oratoriis nonnisi a Sede Apostolica sint concedendæ, & facultas hujusmodi licentias dandi adempta sit per decreta Concilii Tridentini: declaratum quoque die decima Aprilis, quod victus Confessariis diætim a Monialibus nullatenus administretur, sed quædam pecuniæ summa quotannis victus loco eis persolvatur, Plebani vero non sint eligendi ad ordinariam Monialium Confessionem, nisi Monasterium sit Parochiæ contiguum, vel parvus numerus Monialium, & Parochianorum: Decidit etiam Sacra Episcoporum Congregatio die vigesima secunda Maij, quod qui commisit delictum, propter quod Episcopus in Synodo, vel alias excommunicationem sibi reservatam imposuit, possit ab eodem Episcopo absolvi, etsi absolutionem Sedi Apostolicæ reservasset, nisi fuerit a Papa specialiter confirmata, nec tamen valeant Confessarii a Laicis deputari vigore Juris patronatus: neque etiam ad Parochum, sed ad Regulares in Ecclesiis Regularium, in quibus exerceri consuevit cu-

Sæc. XVII. A. C. 1615.

ra animarum. Benedictio cinerum, eorumque distributio pertineat: item ad Regularem Parochum, non ad Regulares spectet, Dominicis & festivis diebus Confessiones audire, & Excommunicationes promulgare, uti Congregatio Episcoporum die tertia Julii definivit, sequenti vero die declaratum, quod aspersorium non sit porrigendum Archipresbytero a digniore Presbytero: consuetudo etiam, ut ipse Archipresbyter associetur a Clericis & Presbyteris, sicut Episcopus a Canonicis, tollatur: die autem trigesima prima ejusdem Mensis exorto dubio in Vercellensi Diœcesi statuit Sacra Episcoporum Congregatio, quod Confessarii, si non fuerint examinati, quando approbati exstiterunt, possint ab Episcopo suspendi, atque examinari: prohibitum quoque die undecima Septembris, ne fenestræ in Ecclesia aperiantur, per quas in eam prospectus habeatur: Mota insuper controversia inter Tirasonenses Canonicos & Magistratum, sacra rituum Congregatio die tertia Octobris declarabat, quod Canonici Cathedralis Ecclesiæ, absente Episcopo, vel Sede vacante, in omnibus præferendi sint Magistratibus laicis, qui non sunt de perpetuis, & Majoribus, & Concionatores prius Canonicos, quam Magistratus salutare teneant-

neantur: Sancitum quoque die ſexta ejusdem Menſis, quod Epiſcopi ſibi eorum abſolutionem reſervare non valeant, qui noctu per civitatem inhoneſte canentes deambulant: declaratum etiam die duodecima Novembris, quod Regulares in Canone Miſſæ non valeant præter loci Epiſcopum nominare ſuos Superiores. Denique die vigeſima præfati Menſis ſtabilitum eſt, quod Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique Locorum Ordinarii, ad quos jus approbandi Confeſſarios ſpectat, Confeſſarios Regulares alias ab ipſis libere approbatos, ab audiendis Confeſſionibus ſuſpendere poſthac minime valeant, niſi ex nova cauſſa, eaque ad Confeſſiones ipſas ſpectante, aut ob non ſervatum interdictum Ordinarii: nec etiam hanc facultatem omnibus ſimul unius Conventus Regularibus Confeſſariis ullo pacto adimere poſſint, inconſulta Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium. Sæc. XVII. A. C. 1615.

§. CXVI.

Diſputatio Polemica inter Jacobum Kellerum S. J. & Jacobum Hailbrunnerum Lutheranum.

Poſtquam Jacobus Hailbrunnerus, qui olim in Wolfgangi Palatini Ducis Aula Lutheranum agebat Præconem, *P. Alegamb. Bibl. Script. S. J.*

Sæc. XVII. A. C. 1615. præfato Duce ad Catholicam fidem reverso, Aula faceſſere juſſus erat, ex amiſſæ dignitatis jactura tam acerbo diſcruciabatur dolore, ut bilem ſuam omni occaſione data in Catholicos liberaliter effunderet: famoſus autem præ reliquis erat ejusdem liber, quem *Papatum Acatholicum* inſcripſerat; effrenatus autem, ac prope amens furore excanduit, perlecta Jacobi Kelleri S. J. diſſertatione, in qua hic Sacerdos ſexaginta crimina falſi, propudioſa mendacia ducenta triginta octo, calumnias quinquaginta & unam, necnon nonaginta & unam ex craſiſſimis ignorantiis in proſcripti hujus Concionatoris libro contineri demonſtrabat: Quo autem ſe verteret ignarus Præco, ad tritum illud: *ſi feciſti, nega*, confugiens, Kellerum mendacem, pariter & calumniatorem proclamabat: Verum hic nulla mora Neoburgum profectus, ut dicti veritatem Hailbrunnero comprobare ſibi liceret, a Duce veniam petiit, obtinuitque: Præco comparere juſſus, tergiverſari, quærere effugia, temporis anguſtias obtendere, ſe præparandi & cum aliis conferendi copiam exigere, ac denique polliceri, quod hoſtem ſuum integro volumine refellere velit: Duce autem reponente, quod duntaxat de fontibus, ex quibus ſuum Papatum conſuiſſet,

Sæc. XVII. A. C. 1615.

fuiſſet, inſpiciendis ageretur, tandem coram Duce, ejusque Conjuge, arbitris, & utriusque Religionis Judicibus, Theologis ſubſidiariis, & Notariis publicis die prima Julii in aula Palatii contra ſuum Adverſarium in arenam deſcendere compellebatur. Concertationi initium dedit Kellerus, qui Hailbrunnero præprimis ſua mendacia, & calumnias tam luculenter ob oculos poſuit, ut rei evidentia convictus, nil reliquum haberet, niſi ut diceret, ſe Virum eſſe honeſtum, nec unquam mendacia, vel documenta falſa allegare voluiſſe, neque ſe tam ad verba, quam ad ſenſum reſpexiſſe, de cetero autem nihil dolo aut fraude a ſe ſcriptum. Hæc reſponſio in Auditorum quorumdam animis miſerationem, in aliis indignationem, vel riſum excitabat: poſtmodum Kellerus eidem exprobabat, quod plurima ita falſo allegarit, ut nec verba, nec ulla ſententia in auctoribus a ſe allegatis reperiretur, tum ille vel in Typograhum culpam rejecit, aut ex aliis ſe id deſcripſiſſe faſſus eſt, ſe tamen craſtina die melius reſponſurum pollicitus: altera autem die, cum omnes in Aula eſſent præſentes, ſolus aberat Hailbrunnerus, eoquod morbum vel reipſa nocte illa contraxerit, vel ne cogeretur iterum in arenam deſcendere,

re,

Sæc. XVII. A. C. 1615.

re, callide simularit: Tandem vero detecta tergiversationis caussa comparere a Duce compulsus, tam fortiter premebatur, ut ad potiora obmutuerit, & quoties os aperuit, toties secum ipso magis, quam cum Adversario luctatus fuerit; inter alia quippe locum S. Gregorii a se allegatum exhibere jussus, fateri coactus est, quod hanc sententiam depravarit quidem, non tamen veritatem immutandi, vel fallendi animo: Ad hoc responsum adstantes risum & cachinos continere haud poterant. Denique ad tertium congressum venire jussus, denuo morbum, doloremque capitis obtendebat, summisque precibus, ne adesse cogeretur, instabat; cumque Princeps, cognito morbi obtentu, illum sequenti die comparere juberet, ille insalutato hospite turpiter auffugit: quocirca Dux Neoburgicus acta hujus colloquii ab utriusque Religionis Notariis conscripta conferri, atque a Judicibus fide publica muniri præcepit: Nihilominus Præcones pro more suo Kellerum omnino convictum, Hailbrunnerum vero Victorem recessisse spargebant: quocirca Kellerus cuncta, prout publice coram Principe, plurimisque testibus acta, & publica Tabellariorum fide firmata fuere, non sine summa sectæ ignominia typis publicis vulgare compulsus

pulsus est. Hailbrunnerus vero extra conspectum Ducis, suique Adversarii in tuto positus, ad tantam prolapsus est temeritatem, ut acta ipsa publice, ipsius licet Ducis Wolfgangi chirographo firmata, subleste fidei accusaret, editis Germano idiomate libellis famosis, quorum unum inscripsit, *vindicias Kellerianæ idololatriæ* (*), alterum *solidam detectionem Papatus Acatholici*. Mox vero miseri hujus pugilis falsitates, & calumnias confutabat idem Kellerus gemino libro, quorum primum inscripsit: *Extremam Hailbrunneri unctionem*, alterum: *Hailbrunneri animam agentis ultimum sudorem*. Sæc. XVII. A. C. 1615.

§. CXVII.

Undecim Cardinales a Paulo V. Pontifice creati.

Hoc item anno Paulus V. summus Pontifex die secunda Decembris in aula Quirinali undecim Prælatos Sacro Purpuratorum Collegio adscripserat, quorum tamen decem duntaxat præfata die promulgabat, unum vero, ut vocant, *in pectore* retinebat, quem primum *Ciacon. in vit. Greg. XIII.*

(*) 1. Ablehnung der Kellerischen Oelgötzerey. 2. Gründliche Offenbahrung des unkatholischen Pabstums.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

mum anno sequenti die undecima Aprilis evulgabat. Ex his primus erat Franciscus Vendraminus patria Venetus, ibidemque Patriarcha, Cardinalis tit. S. Joannis ante portam Latinam. II. Ludovicus Guisius Lotharingus Rhemensis Archiepiscopus, Presbyter Cardinalis sine titulo. III. Robertus Ubaldinus Florentinus Presbyter Cardinalis tit. S. Matthæi in Merulana. IV. Tiberius Mutus natione Italus, patria Romanus Episcopus Viterbiensis postea Tusculanus ac demum Presbyter Cardinalis tit. S. Priscæ. V. Gabriel Treffius natione Hispanus Cardinalis primum tit. S. Bartholomæi in Insula, postea S. Pancratii. VI. Balthasar Sandoval Hispanus Cardinalis tit. S. Crucis in Jerusalem. VII. Carolus Medices Florentinus Cardinalis Diaconus S. Mariæ in Dominica. VIII. Vincentius Gonzaga Mantuanus Cardinalis Diaconus. IX. Julius Sabellus patria Romanus primo Diaconus postea Presbyter Cardinalis tit. S. Sabinæ. X. Albertus Ursinus itidem Romanus, Cardinalis Diaconus tit. S. Mariæ in Cosmedin. XI. Melchior Kleffelius Austriacus Cardinalis, hic tamen ad Cæsaris preces nominatus primum a Gregorio XV. titulo S. Mariæ de Pace honoratus est, rubrumque galerum Pragæ eodem die, quo

Anna

Anna Bohemiæ Regina Roſam auream a Papa acceperat, a Dietrichſteinio Cardinale obtinuit. Sæc. XVII. A. C. 1615.

§. CXVIII.

Franciſci Joyoſæ Cardinalis obitus.

Ex eodem Purpuratorum Collegio diem vigeſimam tertiam Auguſti hujus anni ſibi exitialem habuit Franciſcus Joyoſa in Gallia Narbonenſi natus. Hic pietatem, vitæque innocentiam hæreditario quaſi jure poſſidens, ſe, ſua bona, totamque vitam nonniſi piis exercitationibus dicabat; adoleſcens liberalibus diſciplinis, Philoſophicis, & Theologicis ſtudiis, necnon Jurisprudentiæ operam dabat, jurisque Canonici Doctor creatus, Sacrisque Ordinibus initiatus vigeſimo tertio ætatis anno Narbonenſis, poſtea Toloſanus, ac denique Rhemenſis Archipræſul nominatur, variis etiam Abbatiis ab Henrico III. Galliarum Rege decoratus. Tandem a Gregorio XIII. Cardinalium Collegio adſcriptus, Sabinenſi, atque Oſtienſi Eccleſiæ præfuit, Synodumque Toloſæ habuit. Poſtea a Paulo V. Legatus a Latere in Gallias decretus, Delphinum e ſacro Baptismatis fonte ſuſcepit, & Ludovico XIII. Confirmationis Sacramentum contulit, illumque Rhe-

Ciacon. in vit. Greg. XIII.

Gall. Chriſtian. Samm. Bentivol. in hiſt. mem.

Sæc. XVII. A. C. 1615. Rhemis sacro oleo inunxit, simulque Mediceæ Galliarum Reginæ Diadema imposuit. Proficuam etiam Paulo V. operam impendit in componendis dissidiis cum Republica Veneta. Sacram præterea Domum Lauretanam religiose visitans, huic Ecclesiæ duodecim librarum millia, ac rursus sex millia aureorum, Templis vero & pauperum Seminariis ducenta & amplius aureorum millia, Ecclesiæ Narbonensi quinque, pauperibus loco funeris quatuor, erudiendis puellis sex, & Jesuitis præter Bibliothecam, & sacram suppellectilem quatuor aureorum millia legaverat. Plurium etiam Ordinum monasteria erexit, templa restauravit, Scholas pro egenis dotavit, Oratoria pro Sacerdotibus excitavit, atque in pios usus multa aureorum millia erogavit. Tandem ex Hispania redux, gravique morbo in Palatio Avenionensi correptus, pie in Domino obiit, anno ætatis suæ quinquagesimo tertio.

§. CXIX.

Francisci Forgatii Cardinalis extrema.

Ciacon. in vita Paul. V. Eandem æternitatis viam hoc anno die octava Octobris ingressus est Franciscus Forgatius natione Hungarus,

rus, qui nobiliſſimo genere natus, ac pietate ſimulque ſcientia conſpicuus, ſemper immotum Religionis Catholicæ ſtudium præſetulit, atque inter Calviniſtas, aliosque Sectarios, & Eccleſiæ hoſtes diu verſatus, necnon aſſidue adverſus eos colluctatus, pro vera fide, & Eccleſia plurimos ſuſcepit labores, vitæque pericula non raro ſubiit. Renuntiabatur Archiepiſcopus Strigonienſis, Hungariæ Primas, ejusdemque Regni ſupremus Cancellarius: demum urgente Cæſare a Paulo V. Cardinalis, vulgo Strigonienſis Cardinalis dictus, nominabatur, & licet in illo tam Pontificis quam Cæſaris ſtudium quam maxime effulſerit, illius tamen virtutum, ac meritorum excellentia præprimis Papam impulit ad Cardinalatus honorem eidem deferendum. Obiit ad Balnea S. Crucis in Pannonia, ſepultus ad Triaviam. Sæc. XVII. A. C. 1615.

§. CXX.

Caroli de Comitibus Cardinalis deceſſus.

Poſtremus denique inter Purpuratos, qui hoc anno mortalitatem exuerunt, erat Carolus Conti ſeu de Comitibus patria Romanus, qui ab Illuſtriſſimis ſuis Parentibus liberaliter educatus *Ciacon. in vita Clem. VIII.*

Sæc. XVII. A.C. 1615.

tus, ac ob Jurisprudentiæ præstantiam Doctoratus laurea decoratus, varia Ecclesiæ munia non sine magna laude obibat: Episcopus autem Anconitanus a Sixto V. renuntiatus, Perusio primum, dein Umbriæ, ac demum sub Clemente VIII. Anconitanæ Marchiæ præsidebat: Postea Avenionensi Legatione honoratus, ad Cæsarem ablegatus est, absensque in Purpuratorum Senatum adscitus, Clemente VIII. & Leone X. obeuntibus, Sacris comitiis interfuit: demum vero die tertia Decembris Romæ repentina morte sublatus, in Ecclesia S. Laurentii in Lucina, cujus titulum gessit, sepultus est.

§. CXXI.

Libellus supplex P. Benedictinorum ad Facultatem Parisinam contra infamem quemdam librum.

Argentre coll. jud. Facult. t. 2. pag. 98.

Sub idem ferme tempus Pater Carolus Campignius olim Cœlestinorum Provincialis libellum edidit Franciæ Cancellario nuncupatum, quem inscripsit *Anatypophilum Benedictinum* atrocibus calumniis, ac convitiis in Ordinem Sancti Benedicti congestis refertum: re comperta Refugius Vicarius ac Syndicus Congregationis Parisinæ, necnon Huissous Senonensis Congregationis Provincia-

vincialis, aliique nomine totius Benedictini Ordinis Decanis ac Parisinæ Facultatis Doctoribus libellum supplicem porrigebant, exponentes, quod præfatus Campignius nullum omnino cum eis commercium, aut vitæ societatem habuerit, proin ipsorum mores, salva veritate, nullatenus nosse, minus vero carpere, aut Regis aversionem in eos concitare potuerit, quamvis id haud obscure intendisset, præmissis hisce duobus Sacræ Scripturæ textibus: *Dissipat impios Rex sapiens, & incurvat super eos fornicem. . . . . Si tacuerimus, & noluerimus nuntiare, sceleris arguemur. Venite, eamus, & nuntiemus in aula Regis.* Postremo hoc textu, prosequebantur illi, unice ideo utebatur Campignius, ut deserto suo Cœnobio Luparæ inter aulæ tumultus impune versandi obtentum haberet: priorem autem textum usurpabat, ut Regem ad Benedictinos dissipandos, ejiciendosque incitaret, quapropter in sua epistola nuncupatoria hæc exponebat: *Ignis in medio, atque in quatuor angulis Monasticæ Reipublicæ grassatur. . . . . Gulam igitur & libidinem, quæ in Ordine Benedictino hodiedum dominatur, perpetuo exilio extirpate; ignorantia magis crassa, ipsisque ægyptiacis tenebris densior eorum obfuscat monasteria; haud absimilis est Benedictinorum Ordo aquilæ exsiccatæ,*

Sæc. XVII. A. C. 1615.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

siccatæ, & Danielis arbori; avis enim illa senescens, & effeta vigorem, viresque amisit, nec ultra oculorum aciem jamjam nimis debilitatam ad splendorem & gratiæ radios intendere valet. Hæc arbor carie infestata, foliis & ramis vacua, in mundi ludibrium, & contemptum exposita est ob Superiorum negligentiam, qui omnia destruxerunt: influxus pravarum consuetudinum suarum, fœtidus lascivi oris halitus, aer ipse perversis eorum exhalationibus infectus, ac denique lenocinia contagiosæ suæ doctrinæ omnia infecerunt, ac quodam veluti phyltro & poculo Circæo bonum in malum, homines in bestias transformarunt. Hic Ordo est, sicut arca Noe, in qua cuncta reperiuntur animantia, abundat hic Ordo distortis, Luscis, & indole, ac animo mutilis. Plura adhuc alia in Benedictini Ordinis contumeliam addiderat Campignius, quæ Benedictini in suo libello enarrabant, supplices, ut Facultas hunc librum infamem censuris perstringere velit, eoquod hac ratione omnes hæ impietates & calumniæ uno veluti ictu dissipari, necnon dedoceri possent illi, qui ejusmodi convitiis fidem propter duorum Facultatis Doctorum, qui a Campignio delusi fuerunt, approbationem huic libro præfixam hactenus adhibuerunt, hanc quoque agendi rationem omnino necessariam esse ajebant,

Pag. 19. & 23.

Pag. 31. & 32.

bant, ne fidei noſtræ, necnon Religionis Catholicæ hoſtes, ad quos hic liber pervenit, eodem contra Monachos & Eccleſiam abuti præſumant. Perpenſis igitur hiſce, aliisque rationibus, perceptisque illorum quatuor Doctorum, quibus hujus libri examen erat commiſſum judiciis, Facultas die prima Auguſti infamem hunc partum multis propoſitionibus erroneis, contumelioſis, ſcandaloſis, & periculoſis ſcatentem proſcripſit. Obſtiterant equidem Poggius, & Loppeus Doctores, qui hunc librum approbarunt, nihilominus Facultas hanc cenſuram die prima Octobris confirmabat. Sæc. XVII. A. C. 1615.

§. CXXII.

Leonardi Coquæi Ord. Eremitarum S. Auguſtini obitus.

Pauci admodum ex Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui hoc anno obiere, occurrunt, his tamen præcipue accenſeri meretur Leonardus Coquæius non procul Aureliis conſpicua Franciæ urbe natus. Hic omni ſcientiarum genere imbutus, linquas Græcam, Hebraicam, Syriacam, & Chaldaicam eadem, qua vernaculam, felicitate loquebatur. Porro adoleſcens Ordinem Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini profeſſus, varia *Miræus Script. Sæc. XVII.*

Sæc. XVII. A. C. 1615

Ordinis sui officia, & Cathedras moderabatur, tandem vero anno Christi milleſimo quingenteſimo nonageſimo quinto Florentias evocatus, Chriſtinæ Lotharingiæ Ferdinandi Ducis Conjugi a Confeſſionibus erat, ibidemque vitæ ſuæ annos beata morte claudebat: Præter locupletiſſimam Bibliothecam, quam ex præfatæ Duciſſæ munificentia Florentiis inſtruxerat, poſteris reliquit Commentarios *in libros S. Auguſtini de Civitate* Dei, necnon *in Esdram:* ſcripſit etiam quæſtiones *de divinæ Gratiæ Auxiliis*, præter duos tomos polemicos contra Philippum Mornæum Calviniſtam. Stylum quoque ſtrinxerat in Jacobum I. Angliæ Regem edito *examine Præfationis monitoriæ*, quam idem Rex ſuæ apologiæ præmiſerat.

Vid. Supra Lib. 187. §. 75.

§. CXXIII.

Quidam Scriptores e Societate hoc anno defuncti.

Alegamb. Script. Soc.

Quorumdam etiam obitum hoc anno Societas planxerat, & primo quidem Sebaſtiani Barradæ, qui *commentaria in concordiam & Hiſtoriam Evangelicam*, necnon *itinerarium filiorum Iſrael ex Ægypto* typis vulgabat, obiit die decima quarta Aprilis annos natus ſeptuaginta tres. Romæ autem die decima quarta

quarta Decembris sexagenarius decessit Petrus Antonius Spinellus, qui nonnisi ascetica conscripsit, Die secunda ejusdem Mensis Madriti mortalitatem exuit Christophorus Castrus, qui edidit *Commentarium in Jeremiæ lamentationes, in Baruch Prophetam, & in librum Sapientiæ*, necnon *in duodecim Prophetas*. Hujus obitum præcessit Martinus Lascius Polonus, qui, suppresso tamen nomine, scripsit *Summarium Catholicæ veritatis* unacum *apologia contra Rosensiterum Ministrum*, necnon *judicium Catholicum contra Mikolajewskium Calvinistam*, præter plura alia opuscula Polemica. Mortuus est Cracoviæ die vigesima tertia Maij anno ætatis suæ sexagesimo quarto. Pariter calamo impugnabat suo Antonius Hoskinus *juramentum fidelitatis Catholicis Anglis a Jacobo I. propositum*. Decessit autem hic Scriptor Vallisoleti die decima Septembris anno ætatis suæ quadragesimo septimo. Sæc. XVII. A.C. 1615.

§. CXXIV.

Scriptores ex Ordine Carmelitarum.

Reliquit quoque hoc anno sui desiderium Jacobus Mestretus Juliaci in Burgundia natus, qui post varia Carmelitani Ordinis sui munia laudabiliter gesta ad Episcopatum Damascenum *Bibl. Carmel. tom. 1. & 2.*

Sæc. XVII. A. C. 1615.

evectus, & in Suffraganeum Lugdunensem a Gregorio XIII. nominatus, per quinquaginta & unum annum in præcipuis Franciæ urbibus Verbum Dei prædicabat, tandem in ipsa Aquensi Allobrogum urbe die sexta Junii, annos natus octoginta & unum, pie in Domino obiit. Scripsit Homilias in Isaiam, & in Ecclesiasten, necnon expositionem Catholicam in Decalogum, annotationes ad Pontificale Romanum, exhortationem ad Sabaudiæ Ducem, explicationem Symboli Apostolici, preces Catholicas, & plura alia adhuc inedita, quæ in Lugdunensi Bibliotheca asservantur. Alter erat Paulus Antonius Foscarenus, vir omni fere doctrina ornatus, qui Meditationes quotidianas in orationem Dominicam Cosentiæ impressas edidit, præter *epistolam circa Pytagoricorum, & Copernici opinionem de mobilitate terræ & stabilitate solis*, ubi Author S. Paginæ textus contra hanc opinionem adductos conciliare nitebatur, propterea vero die quinta Martii anno sequenti præfata ejus epistola in Indice Romano proscriptis libris annumerabatur. Celebrantur ejusdem Authoris libri duo *de divinatione artificiosa, naturali, & Cosmologica*, necnon ejus *compendium artium liberalium* tomis duobus comprehensum: Scripsit etiam libros quinque *de oraculis anti-*

Gerard. Voss. tract. de Sectis Philos.

antiquis Deorum, Gentilium, & Sybillarum, & tractatum *de voluptate abdicanda* præter sermones varios, & plurima alia. Sæc. XVII. A. C. 1615.

§. CXXV.

Felix P. Joannis a Jesu Mariæ Carmelitæ Excalceati decessus.

Specialem meretur mentionem Venerabilis Joannes a Jesu Maria ob vitæ sanctitatem, atque eruditionis præstantiam longe celeberrimus. Hic in Calaguritana Hispaniæ urbe natus, a teneris haud obscura futuræ sanctitatis specimina edidit. Præprimis Teresia Espagnola ejus Matertera non mediocris virtutis fæmina hunc puerum tum adhuc quinquennem Romæ inter discalceatos Carmelitas effulsurum vaticinabatur, quamvis tum in ipsa etiam Hispania ab uno circiter anno non nisi pauci novæ hujus reformationis surculi in obscuro Durueli tugurio latitassent. Postquam vero Joannes noster variis virtutum exercitationibus, ac sacratioribus disciplinis mentem suam ad prodigium usque efformaverat, eodem anno, quo sancta Theresia obiit, ad ejus reformationem susceptus est, expletoque in omnibus virtutum exercitiis tyrocinio sequenti anno professionem Pastranæ emisit, ac Genuam missus, Scholasticæ & Mysti-

Opera V. Joan. tom. I. Miræus Script. Sæcul. XVII.

Sæc. XVII. A. C. 1615.

cæ Theologiæ, necnon S. Scripturæ ſtudio tam ſedulam navabat operam, ut omnes profundam in diſputando ſapientiam, & ſublimem rerum divinarum cognitionem mirarentur: poſtea Novitiorum educationi, aliisque Ordinis ſui officiis præpoſitus, tandem Definitor Generalis eligitur. Tanta vero ſanctitatis, ac profundæ ſcientiæ ejus fama percrebuit, ut plures Principes, ac præprimis Ptolomæus Gallius & Sfondratus Cardinales in via ſpirituali Joannem tanquam Ductorem, atque oraculum ſequerentur, ac ipſemet Clemens VIII. ipſum triginta illis Theologis, quos diſputationibus de auxiliis deſtinaverat, connumerari voluerit, quem tamen honorem deprecatus, ſcripto Pontifici oblato ſententiam ſuam circa hoc argumentum expoſuit. Poſtea anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo in Præpoſitum Generalem electus, totam Congregationem magna prudentiæ ac virtutum laude moderatus eſt, quo munere expleto ad Conventum S. Sylveſtri in Tuſculano ſeſe recondens, ac nonniſi altiſſimæ divinorum contemplationi addictus, poſtremum mortis ſuæ diem præſtolabatur, qui erat vigeſimus octavus Menſis Maij. Biennio poſt Corpus ejus, veſtibus marcore penitus exeſis, integrum, vividum-

vidumque repertum est, prout hodie- Sæc. XVII.
dum in ligneo sarcophago ad latus Ora- A. C. 1615.
torii reconditum ibidem conspicitur.

§. CXXVI.

Ejusdem Venerabilis Patris opera.

Cuncta, quæ Venerabilis P. Joannes ediderat, tanta pietatis ubertate, eruditionis amplitudine, ac latini sermonis puritate conscripta sunt, ut ea separatim vario idiomate donata itera- *Possev. in Apparat.*
to prælo subiicere oportuerit. Simul collecta prodiere primum Coloniæ anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo secundo tribus tomis distincta: auctiora vero rursus Coloniæ in quatuor tomis edita fuere anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo: noviſſime tandem, auctior magisque emendata editio Florentiis anno Salutis nostræ millesimo septingentesimo septuagesimo primo in tribus tomis adornata exiſtit. In horum primo continetur ejus *Pharaphrasis in Jobum, interpretatio Cantici Canticorum, lamentationum Jeremiæ, Psalmi centesimi trigesimi sexti, octogesimi tertii, & quadragesimi primi*, præter librum *de Prudentia Justorum* & magis succinctam *explanationem Cantici Canticorum.* quæ opera sensu penitus divino conscripta fuisse testatur Possevinus.

Alter

Sæc. XVII. A. C. 1615. Alter tomus complectitur septem partes & tractatus *de via vitæ, praxin ad bene moriendum*, septem partes *de Schola Christi*, quatuor partes *de bono contemptuque honorum, de arte vivendi spiritualiter* part. 5. Adjecti sunt quoque libri sequentes: *Stimulus Compunctionis, Solliloquia, epistola Christi ad hominem, Ars amandi Deum, de studio pacis, epistolæ anagogicæ, de oratione & aliis virtutibus*, tres partes *de arte bene moriendi, de cultu B. V. Soliloquia animæ ad Christum: tractatus de Sacramentis, de conscientiæ examine & partibus Confessionis.* In tertio tomo habentur tractatus *de disciplina Monastica, de custodia legum, de regimine Monastico, & disciplina claustrali:* Præcipue commendatur ejus *instructio Novitiorum*, ad cujus præscriptum plures alii Ordines regulares suos Tyrones non sine magno profectu hactenus instituerunt. Inserti quoque inveniuntur tractatus *de Missionibus*, epistolæ ad varios, *instructio Principum Ethica, Oeconomica, ac Politica*, liber *de Principibus Ecclesiasticis*, tractatus de *arte Gubernandi: de bono usu Curiæ, de pia educatione, cultuque pueritiæ, de arte concionandi, de arte dicendi, orationes pro festo S. Theresiæ, ejusque vita*, varia poemata, Sacrique Hymni. *Vita V. P. N. Petri a Matre Dei, de Bulla Sabbatina, varii apparatus ad Conciones*, ac denique *exposi-*

positio

positio versiculi tertii Psalmi sexagesimi secundi. Sæc. XVII. Sæc. 1615.

§. CXXVII.

Adriani Romani & Sethi Calvisii fata.

Inter Scriptores Ecclesiasticos sibi locum vendicare videntur Romanus & Calvisius, eoquod circa Ecclesiasticam temporum supputationem sui quoque ingenii dotes impenderint, & quidem Adrianus Romanus patria Lovanienſis, & Mathematicorum sui ævi facile princeps scripserat *Theoriam Calendariorum*, literis Herbipolensibus anno 1595. excusam, præter *supputationem Ecclesiasticam juxta novam veteremque Calendarii rationem.* Edidit quoque *Theatrum Urbium*, *ideam Atheseos universæ*, *Uranographiam*, & alia opuscula medica. Obiit in itinere ad Aquas Spadanas die quarta Augusti annos natus quinquaginta quatuor. Alter vero Sethus Calvisius in Turringiæ oppido natus Lipsiæ die vigesima tertia Novembris anno ætatis suæ sexagesimo secundo decessit. Celebratur ab ipso Scaligero & Petavio ipsius *opus chronologicum*: nec minori applausu excipiebatur a suis ejus *formula Calendario Gregoriano expeditior*, necnon *Elenchus Calendarii Gregoriani.* *Miræus l. c. Jer. Scalig. in Can. Isag. & Epist. 308. 404.*

§. CXXVIII.

Sæc. XVII. A. C. 1616.

§. CXXVIII.

Anna Matthiæ Cæsaris Conjux in Bohemiæ Reginam Pragæ inaugurata.

Merc. Gal. lob. tom. 11. *l.* 1. *l.* 2. *Jacob Maurer Ret. Hist. cont. p.* 101.

Sub primis anni post Christum natum millesimi sexcentesimi decimi sexti auspiciis die decimâ Januarii Anna Matthiæ Cæsaris conjux inter duos Episcopos Clesselium Viennensem, & Quinqueecclesiensem Pragæ ad Sacellum Divi Wenceslai solemni pompa deducebatur, ubi a Pragensi Archiepiscopo in Bohemiæ Reginam inuncta, Regio diademate coronata fuit, ipsomet Imperatore, Nobilium quamplurimis, omnibusque Regni Proceribus huic solemnitati assistentibus. Die autem decima sexta Julii quidam Episcopus a Papa ablegatus Pragam advenerat, qui decima post adventum die eidem Cæsareæ Conjugi sacratam a Pontifice Rosam auream gemmis pretiose ornatam ingenti cum solemnitate coram Altari obtulit, quam ipsa devote accipiens, Legatum postea multis muneribus auctum perhonorifice dimisit.

§. CXXIX.

Sæc. XVII. A. C. 1616.

Calviniſtarum Gallorum petulantia contra Regem.

Jam priori anno Ludovicus XIII. decimam Februarii diem aſſignabat, qua inter Regis & Principum fœderatorum Deputatos de ineunda concordia Julioduni ageretur, ea tamen lege, ut interim ab armis utrinque ad Calendas usque Martias ceſſaretur. Sub idem tempus Calviniſtæ Nemauſii congregati, qui ſuam ſectam in Galliis tolerari, ſummæ gratiæ loco habere debuiſſent, jam legitimo ſuo Regi ſignificare præſumebant, quod adverſus ipſum fœderatis Principum armis ſeſe jungere decreviſſent. Ea res omnibus ſtomachum movit, nihilominus poſtea ſuam agendi rationem edita declaratione excuſare nitebantur, hæc exponentes, quod Reges & Principes in rebus Religionem concernentibus Paſtori Eccleſiæ non magis, quam Juris Conſulto ob cauſſæ, quam tuentur, æquitatem ſubjecti eſſent, ipſi vero, tametſi non in omnibus Religionis captibus cum Catholicis conſentiant, in hoc tamen conveniant, quod *Pontifex Romanus verus Antichriſtus ſit, & poteſtas, quam non tantum in ſpiritualibus, ſed ſæcularibus etiam rebus ſuper omnia imperia & Regna uſurpat, ejus-*

Calmet. Hiſt. Univers. l. 151. §. 88. Gramond. l. 2. Hiſt. Franc. Merc. Gallob. tom. 11. l. 1. 3.

Sæc. XVII. A. C. 1616.

ejusmodi tyrannis sit, quæ in verum & legitimum imperium transire nunquam possit. Ex hoc autem mendacio & calumnia inferebant, quod Regem ab hac tyrannide vindicare, & Parlamentum, tertiumque Ordinem, qui, ut putabant, immodicam Papæ auctoritatem impugnaret, armis etiam tueri obstricti fuissent. Verum quis eos hujus controversiæ judices armatos constituit? ergone sub ementito Regem legitimum tuendi, ejus vero Ministros plectendi studio rebellionem, & rebelles armis fovere subdito licitum est? quænam autem genuina eorum fuerint consilia, ipsimet sat aperte declararunt, dum palam professi sunt, quod *pro conservando jure & Dominio Regis, Papæ tyrannidem profligare e Franciæ Regno voluerint*, quo sane obtentu, mutato nomine *Papæ*, omnis rebellio honestari posset. Manifestius quoque mentis suæ arcana prodidere, in eadem hac declaratione asserentes, quod tam Pontificis, quam Regis jugum excutere liceat illis, qui Papam sibi injuste hanc potestatem arrogare, ipsumque esse Antichristum agnoscunt, atque in publico munere constituti sunt; sicut enim, ajebant ipsi, Majores honorificum sibi duxerunt, si contra Turcas pugnarunt, cur ipsis *adversus Papam se tueri non liceat?* Pudet sane cetera

cetera, seditiosa, sacrilega, & contumeliosa in eadem hac declaratione ab hisce Calviniſtis Regi ſuo expoſita proferre. Sæc. XVII. A. C. 1616.

§. CXXX.

Pax Regem inter & Condæum, ſibique adhærentes Julioduni inita.

Exeunte anno priori Condæus Princeps poſt acceptam ſuorum cladem ad Ludovicum Regem literas ſubmiſſione plenas dabat, ad quas Rex hoc anno die prima Januarii reſpondens, nobilem quemdam ad Nivernium ducem decernebat, qui cum eo de loco, & compoſitionis modo ageret. Interea Briſacus Mareſcallus, & Villaregius nomine Regis cum Condæo de undecim articulis convenere, qui etiam die vigeſima Januarii utrinque fuere firmati, proin Rex die decima Februarii conventum Julioduni haberi conſenſit, voluitque, ut armorum induciæ a die, quo Rex propoſitos articulos ratos habuerit, inciperent: Hæc ab utraque parte prævie fuere concluſa: altera die vigeſima tertia Februarii Rex Pictavio ad Heraldi Caſtrum profectus, inducias usque ad primam Martii diem protrahebat: Poſtea pertractandæ paci a Re- *Vid. tom. XX. l. 3. Merc. Gallobelgici p. 36.*

Sæc. XVII. A. C. 1616.

ge selecti sunt Oratores Nivernus Dux, Brisacus, Villaregius, Thuanus, Vicus, & Phellippous. Condæi autem partes sustinebant Bullionius & Mayenius Duces præter alios Principes & Nobiles. Vix colloquio datum erat initium, cum illico Condæus triginta articulos a Rege confirmandos proponeret, quorum præcipui ad sequentes contrahuntur. I. In Henrici IV. parricidas inquiratur. II. Tertii Ordinis articulus de immediata Regum potestate confirmetur. III. Decretum sanctionis Consilii die 6. Januarij anno 1615. contra Parlamenti Decretum circa Regum potestatem & vitam die 2. Januarij editum aboleatur. IV. Gallicanæ Ecclesiæ privilegia salva habeantur. V. Concilium Tridentinum ab Episcopis receptum abrogetur. VI. edicto Nanetensi, cæterisque, quæ Calvinistis concessa fuere, plene satisfiat. VII. Concilii Constantiensis decretum contra Regicidas promulgetur. VIII. Parlamento liberum sit jurisdictionis suæ exercitium. IX. Nobilitati sua privilegia sarta serventur. X. Intra Mensem ad Parlamenti monitiones, & Ordinum libellos Rex respondeat XI. nullus extraneus ad Ministerii vel Regii officii administrationem admittatur XII. ad Calvinistarum querelas circa novos articulos

Calmet. Hist. Univ. l. 151. Gramond. Hist. Gall. l. 2. Serres Hist. Franc.

ticulos Rex reſpondeat XIII. Dona & penſiones immodicæ, præſertim in immeritos collatæ minuantur XIV. officiorum nundinatio ſeu *Pauletta* abrogetur XV. Arx Ambiana diruatur. XVI. Diploma Regium, necnon Burdigalenſe decretum contra Condæum, atque alia ſanctio contra Pictavienſe edictum promulgata aboleatur. Sæc. XVII. A. C. 1616.

Cum vero rei gravitas longiorem moram depoſceret, Rex inducias usque ad primam Aprilis diem petebat: interea vero tam Regis, quam Condæi copiæ annonæ penuria, & frigoris inclementia tantopere affligebantur, ut ferme decem armatorum millia miſere perirent; unde factum, ut Vindocienſis Ducis exercitu diſſipato, Tribuni ad Regis obſequium redirent. Nihilominus Ludovicus Rex propoſitis omnibus hisce articulis ſubſcripſit, exceptis tribus, & quidem primo articulum de immediata Regum poteſtate in ſuſpenſo haberi voluit, qua agendi ratione Calviniſtas confundebat, qui ſuam in Regem rebellionem poteſtatis Pontificiæ abrogandæ obtentu nequiter honeſtare nitebantur, eademque ex ratione Rex ratum habere noluit Parlamenti decretum *de Regum poteſtate & vita.* Pariter Ambianam arcem, eoquod præcipuum contra Arteſios, & Hannonios Galliæ mu-

Sæc. XVII. A. C. 1616.

nimentum esset, destrui recusabat; cum vero Condæus, eique adhærentes hoc articulo unice Ancræum opprimere intendissent, ipsemet Ancræus hanc arcem simul, & Picardiæ Præfecturam Regi cessit.

§. CXXXI.

Pacis initæ edictum in Regno promulgatum.

Merc. Gallob. tom. II. *l.* 2.

Paulopost Regis nomine promulgatum est pacis edictum, quod utpote communi Regis, Reginæque Matris, ac ceterorum Principum, & Nobilium consilio sancitum, etiam constans, nunquam revocari posset. „Ejus summa „hæc est: I. omnium a prima Julii su„perioris anni gestorum sit oblivio, II. „Catholica religio in illis locis, ubi ab„rogata est, restituatur, " III. Catholici omnibus in locis securi habitent, & amissa recuperent, IV. Episcopi & Doctores in Ecclesiis decretum Concilii Constantiensis urgeant. V. Decretum Parisini Senatus effectum suum sortiatur. VI. Extranei ab Imperii officiis arceantur: VII. in locum Petri Bergeri, qui ad Catholicam fidem reversus est, alius in Parlamento ex Calvinistis subrogetur, VIII. his usus suæ sectæ liber sit in illis locis, ubi his turbis fuit ad-

ademptus. IX. Condæus, eique adhærentes in gratiam Regis recipiantur, ab omnibus tamen fœderibus occultis abstineant, ni seditionem capite luere velint: denique X. Utrinque captivi dimittantur. Sæc. XVII. A. C. 1616.

Præter hæc capita, alia quædam a Regiis Deputatis ad Principes Condæo adhærentes, & tum Julioduni congregatos transmissa postmodum a Rege rata habebantur, quorum potissima hæc sunt, I. Romano - Catholica Ecclesia privilegiis & immunitatibus suis more veteri passim in regno fruatur: II. sine auctoritate & consensu Regis circa Concilii Tridentini introductionem, quæ ab Ecclesiasticis quidem tentata, sed a Rege nondum approbata, nec in effectum etiamnum perducta fuit, nihil statuatur. III. Articulus edicti Nannetensis vigesimus septimus de Calvinistis ad omnia officia & dignitates admittendis servetur. IV. Catholici tam Ecclesiastici, quam sæculares in Milso oppido habitantes, sub Reformatorum, quibus eos Rex diligenter commendatos velit, tutela & protectione vivant: V. Reformati sub Catholicorum tutela quiete vivant, & Religionis suæ usu libere fruantur: VI. Condæo & aliis ipsi unitis Principibus tam catholicis, quam reformatis quindecim centena millia li-

Sæc. XVII. A. C. 1616.

brarum, ut, & militibus, quæ debentur stipendia, & quæ in bello hoc contracta sunt, debita alia exsolvere inde possint, a Rege suppeditentur. Decreta sunt hæc, & a Rege, Reginaque Matre confirmata die sexta Maij, qua die pax hæc Lutetiæ Parisiorum promulgata fuit, lecto in plateis mandato Regio.

Decimo post die Rex cum Conjuge sua Parisios advenit, ingenti pompa, populique lætitia exceptus: demum vero Condæo, ceterisque tam Catholicis, quam Reformatis quindecim centena millia librarum Rex, uti caverat, suppeditabat, ut Germani milites dimitti, atque ad fines Germaniæ secure deduci, ceterisque militibus stipendia, contractaque debita persolvi possent.

§. CXXXII.

Condæus Princeps Parisios reversus.

Serran. Franc. Hist. pag. 935. Calmet hist. Univ. l. 151. Gramond. Hist. Gall. lib. 2.

Firmata utrinque pace Principes ad aulam rediere, & primi quidem Mayenius, & Bullionius Duces, quos Rohanius Dux, Rosnius Marchio, & Comes Candalius sequebantur, Parisios reversi sunt, Condæus vero literis Regiis iterato vocatus, Rupefortium ablegabat, qui valetudinis curandæ obtentu absentiam excusaturus, simul Regi expo-

exponeret, quod ad aulam redire haud posset, nisi prius omnibus, præcipue circa exules Pictavienses, adimpletis concordiæ Legibus, sibique soli, exclusis etiam suæ factionis Proceribus, concessa Senatum ingrediendi, ac præsidendi facultate. Annuente igitur Rege huic petitioni Condæus die vigesima Julii Lutetiam ingressus est, magnis honoribus exceptus. Advenerat quoque die prima Augusti Hayesius patria Scotus a Jacobo I. Angliæ Rege eo fine ablegatus, ut de connubio inter Carolum Walliæ Principem, & Christinam Ludovici XIII. Sororem ineundo ageret: Ea autem jam Sabaudi Ducis Filio promissa, Orator re infecta in Angliam reversus est: Paulo ante idem Rex Anglus Egmondum Oratorem suum in Franciam decernebat, qui de pace cum Rege, & Principibus ageret: *factum atrox*, inquit Gramondus, *quo se omnis secta mancipabat extero Regi, data prævia fide, si res poscceret, neque mirum ita censuisse Sectarios, quorum semper præcipua fuere studia in Regem* Anglum, *quid aliud est pati exterum Principem, mediatorem agere Regem inter & subditos, quam precario illis lege dicta, trahere in alienum arbitrium jura dominii?*

Sæc. XVII. A. C. 1616.

Sæc. XVII. A. C. 1616.

§. CXXXIII.

Condæus Princeps Reginæ jussu carceri mancipatus.

Quantumvis sancita hac pace Principes in Regis gratiam rediissent, nondum tamen præcipua dissidii causa sublata erat, sed adhuc omnium gravissima Condæanæ calamitatis invidia in Concinum Maresçallum Ancræum incubuerat, cujus nomen apud fœderatos hosce Principes oppido invisum, exosumque erat: Conjurabant hi dudum in hujus Viri excidium, censebantque alii, hunc seditione populi, aut Senatus sententia, alii sicarii manu e medio tollendum: nec tamen adeo secreta erant eorum consilia, quin ea Rex penetraret, quocirca Ancræum de periculo admonitum Parisiis excedere, ac in Normaniam, quam Regii Legati nomine regeret, contendere jussit, non sine magna Reginæ indignatione, quam tamen illa caute supprimens, Condæum Principem, utpote auctoritatis suæ æmulum, custodiæ dare jam tum decreverat. Offerebatur eidem brevi opportuna hujus consilii exequendi occasio; cum enim Ancræo Picardiam relinquente, Monbassonius Dux ex Ambianensi arce exteros milites Italos, quos An-

Ancræus ibi in præsidio habebat, ejiceret, hi vero Peronam versus, ubi aliud Italorum præsidium erat, contenderent, cives nimio præsidiariorum agmine sese onerari ægre ferentes, Longævillani Ducis Picardiæ Præfecti opem implorarunt, qui etiam nulla mora accurrens, Italorum ingressum prævenit, traditisque arcis clavibus urbem suo subjecit imperio. Ea res summopere offendit Regem ac Reginam, quorum jussu Bullionius Marescallus eo contendit, ut Longævillanum ad evacuandam Peronam induceret. Lætabatur Regina de Bullionii absentia, ad exequendam Condæi captivitatem satis opportuna: Suffragabantur etiam infestæ plurium susurationes de perversis Condæi machinationibus: quocirca Regina die trigesima prima Augusti Bassomperrio in mandatis dabat, ut Condæum, Vindocinensem, Mayenium & Bullionium paulopost rediturum comprehendere intentus esset. Altera die Regina Condæo Luparam ingrediente, ad suos conversa non sine cachino ajebat: *Ecce Franciæ Regem, cujus tamen Regnum haud diu durabit*: postquam vero Condæus ex Senatu ad Reginæ cubiculum accesserat, Theminius Regii satellitii Præfectus Condæum captum in aula detinuit. Sæc. XVII. A. C. 1616.

Sæc. XVII. A. C. 1616.

§. CXXXIV.

Ancræi Mareſcalli domus a Pariſino populo vaſtata.

Summum, quo cuncta gerebantur, silentium haud præpedire poterat, quo minus illico fama ad Vindocinum, Mayenium & Bullionium deferretur, qui alieno periculo cauti Pariſiis in ſuarum quisque ſedium munitiora loca dilapſi ſunt. Permanſit in Regia Dux Rohanus, qui ob hoc ipſum auctor mali creditus eſt, eoque magis, quod in cuſtodiam abducto Condæo, qui eidem caſu prætereunti calamitatem ſuam ingerebat, hæc reſpondiſſe feratur, *Laudo tui fati Authores, quia mihi pro jure legitimo eſt, quodcunque Regina juſſerit.* Subſcripſere etiam Principis detentioni Calviniſtæ, quamquam amplam in diſſidium ſegetem inde colligerent. Demum Condæus in Baſtillam traducitur, ubi paulopoſt ſelecti ex Conſilio Viri capto exponunt, innotuiſſe Regi prava Bullionii & Mayenii conſilia, quibus Rex & Regina per ſtructas vitæ utriusque inſidias peterentur, id ſi ipſe fateretur, non modo ei tanquam Principi malis artibus faſcinato parcendum, ſed & mox liberandum; Ad hæc Condæus ingenii acie, qua pollebat, reſpondit, ſe

se ita natum esse, ut non alibi, quam in Parlamento convocatis Franciæ Paribus judicari posset; instantibus autem hisce Judicibus, si eos tanquam Judices recusaverit, nulla habita Personæ ratione in ipsum, ejusque Socios legum severitate processum iri, Condæus intrepide ita respondit: *si ita judicer, satius est Sicarium unacum Sacerdote immitti, ut per hunc animam Deo, per illum vitam Regi committam; sic violentia, quæ incarcerationi principium, vitæ quoque finem dabit.* His dictis obmutuit, paulopost Bastillia in Vicenii nemoris honestiorem recessum translatus est, eoquod ejus uxor, quæ cum ipso ad Bastilliæ carceres ad initium sequentis anni capta abducebatur, gravida, brevi paritura esset. Ubi vero rumor de illata Condæo vi per urbem pervaserat, Tremollia ejus Mater, aliique Nobiles, quorum intererat salvum habere Principem, cives ad arma concitarunt. Sparguntur ab aliis temere, ut fieri amat, murmura, vocesque incertis auctoribus, Condæum subornatis ab Ancræo sicariis in ipsa arce Regia trucidatum fuisse. Ea vox tantam in populo concitabat indignationem, ut campanæ pulsarentur, quod fieri non solet, nisi in publico incendio, vel hoste urbi vicino, aut civitate intestinis dissidiis laborante. Primos e-

Sæc. XVII. A. C. 1616.

quia-

Sæc. XVII. A. C. 1616.

quidem tumultuantium motus componebat Magiſtratus Pariſini dexteritas; poſtridie nihilominus prævaluit dira in prædam libido, Principis vindicandi obtentu contecta; audito enim Ancræi nomine, factioſi quidam eum omnia mala perpetraſſe judicabant, quia illum omnes odiſſe noverant; hinc lymphatis haud abſimiles ad Ancræi Palatium concurſitant, illudque ferro, dolabris, aſciis, & ſtipitibus invadunt, & ariete, ſaxisque portas effringunt, ſubruunt, atque irrumpunt, tectum ipſum plumbeis laminis nudant, interiora conclavium effringunt, diripiuntque, aurum, & argentum cuſum ac rude aufferunt, ponderis utrumque maximi: gemmas item & uniones immenſi pretii, periſtromata, veſtiarium univerſum Marchionis, ſuæque Conjugis, ſuppellectilem demum omnem, quaquaverſus inſtructiſſimam, aut deſtruunt, aut diripiunt, hortum etiam & viridarium, equile, ceterique generis ſtabula deſtruunt, ac vix non domum ipſam fundamentis ſuis evellunt.

Nec ſatis hæc hactenus; altera enim die ad ædes Corbinelli, quem a conſiliis arcanis Ancræus tunc habebat, inſanorum converſa vis eſt, omnesque literæ, libelli, atque epiſtolæ diſcerptæ, cunctaque utenſilia disjecta, rapta, deſtructa

Sæc. XVII. A. C. 1616.

ſtructa ſunt, ac vaſtata. Nec valuere contra tantam tot furentium rabiem ullæ dehortantium preces, non armatorum oppoſitæ comminationes. ac magiſtratuum quidem urbicorum immiſſa ſatellitum agmina, quæ ductore ſuo glande plumbea trajecto, confeſtim dilapſa ſunt. Tandem vero Crequius cum Prætoria Regis cohorte accurrens tumultuantium furorem compeſcuit. Ceterum trecentis millibus aureorum æſtimata ſunt diſpendia fortunis illata Ancræanis. Altero mane Guiſius Dux, & Cheuvreuſius urbe profecti, ad Ducem Mayenium prope Auguſtam Sueſſionum conceſſere, Præſides quoque, ac Conſiliariorum nonnulli auffugerunt, deſerto populo, qui belli civilis metu in ancipiti hærebat, paulopoſt tamen animo erectus, dum præconis voce denuntiatum, nullatenus ſubeſſe, quod metueret.

§. CXXXV.

Franciæ Regis edictum contra Condæum Principem.

Iterata hæc Procerum fuga novorum tumultuum ac defectionum metum ingerebat; quocirca Rex die ſexta Septembris Curiam acceſſit, ibidemque cauſſas, ob quas Condæum cuſtodiæ dari

Sæc. XVII. A. C. 1616.

dari jussisset, exposuit, hunc in modum perorans. „Hic Princeps eique adhæ„rentes elusis clementiæ viis, vilipensa „Regis auctoritate, licet omnia, quæ „petierant, in Juliodunensi pactione eis „indulta fuissent, & quamvis Ancræus „etiam aula secedere jussus esset, suos „tamen Ministros Calvinianos incita„runt, ut Proceres, & Nobiles nobis „adhuc fidos a nostro obsequio averte„rent, regium nomen, & Ministrorum „famam cavillis ad populum lacerarent, „imo Reginæ palam denuntiare non „vererentur, quod nonnisi a solo Deo „in Regiminis mutatione impediri pos„sent. Secuta est paulopost Peronen„sis arcis expugnatio, quam injuriam „armis facile vindicare potuissem, ma„lui tamen rem amica transactione com„ponere: Ipsi vero hanc clementiam „velut animi mei timiditatem interpre„tantes, auctoritatem meam adeo con„temptim habuerunt, ut a pluribus ego, „ac Mater mea Regina admoniti fueri„mus, ut nostræ vitæ ac securitati pro„spiceremus, eoquod omnia eorum con„silia in nostram perniciem tenderent, „id ipsomet fatente Condæo: Non igno„rabamus, passim ab eis in Regno no„stro copias fuisse conscriptas, & arma „ex urbe pro eis novissime exportata, „unde victa tandem tam manifesto no„stro,

„ſtro, Regnique periculo patientia, re- Sæc. XVII.
„medium tempeſtive malo adhibituri, A. C. 1616.
„Condæum in arce noſtra detineri juſ-
„ſimus, eoquod ipſe, ejusque Socii,
„violatis concordiæ pactis, novas tur-
„bas conflarint: declaramus tamen,
„quod per ipſius detentionem adeo non
„Juliodunenſibus pactis contravenire
„intendamus, ut omnibus intra quin-
„decim dies ad obſequium redeuntibus
„veniam polliceamur,, obſtinatos ta-
„men tanquam læſæ Majeſtatis reos de-
„claramus, omni legum ſeveritate ple-
„ctendos.„ Hoc edictum Rex a Se-
natu ad acta referri, & in omnibus Pro-
vinciis promulgari juſſit. Re cognita
Principes apud Sueſſones congregati
mox aliud promulgarunt decretum,
quo innocentiam ſuam teſtati, declara-
runt, quod nonniſi ex invidorum ſug-
geſtionibus Regni uſurpatio, atque in
Regem conjuratio eis imputetur, cum
tamen in obedientia Regis vivere &
mori expetant: poſtea rogarunt, ut
Rex promiſſa in inauguratione ſua ad ef-
fectum tandem perducere, & Condæum
contra Regni leges, datamque fidem ca-
ptum liberare velit, eo vel maxime, quod
ipſi arma duntaxat in honorem Dei,
commodum Regis, & emolumentum
patriæ ſumpſiſſent, nec ea prius depo-
ſituri, niſi cauſſa captivi Condæi in le-
gitimo

Sæc. XVII. A. C. 1616.

gitimo Judicio probe cognita, in calumniarum Authores, præcipue duos illos viliſſimos homines, a quibus omne malum in Regno exortum eſt, ex legibus Regni animadverſum, omnisque eorum poſteritas funditus everſa, ac Condæus in libertatem aſſertus fuerit.

§. CXXXVI.

Principes in Regis gratiam reverſi.

Serran. Franc. Hiſt. Calmet Hiſt. Univ. l. 151. §. 93. Merc. Gallob. tom. 11. l. 3.

Quamvis Regi frivola horum Principum excuſatio haud incognita eſſet, ſatisque compertum haberet, quod vix ulla unquam ſubditorum in Regem ſuum rebellio exſtiterit, quam non rebelles ſpecioſo publicæ ſalutis, ac Regiæ incolumitatis obtentu honeſtare niterentur, aliunde etiam venditatum ipſorum obſequium merito ſibi ſuſpectum haberet, eo potiſſimum nomine, quod vix cognita Condæi captivitate, mox Rupellani caſtellum Rupifortium invadentes, illud præſidio Calviniano firmaſſent; alii vero Calviniſtæ Sacrum-Cæſaris occupaſſent: nihilominus Rex populi ſui calamitates miſertus, pronum ad reconciliationem animum præ ſeferebat; opportune etiam eo tempore Guiſius Dux ad aulam reverſus, articulos, quos Principes eidem ſcriptos tradiderant, Regi conſignabat, palam teſta-

teſtatus, quod Principes omnes, qui ab aula ſeceſſiſſent, nil ardentius exoptarent, quam pacem & tranquillitatem publicam, ſique eorum petitis Rex morem gerere non recuſaret, omnium hucusque geſtorum rationem reddere parati eſſent. Rex igitur diſcuſſis hiſce articulis vix non omnia, quæ petebant, indulſit, ſimulque die trigeſima Septembris promulgato edicto declarabat, quod ſibi ab hiſce Principibus ſatisfactum profiteatur, eosque pro fidis ſubditis ac Miniſtris ſuis habeat, nec eos conſcios, aut eorum facinorum, quæ in declaratione die ſeptimo ejusdem Menſis contra Condæum facta, expoſita fuere, participes eſſe exiſtimet: His igitur articulis Principes die ſexta Octobris ſubſcripſere, Regisque edictum die vigeſima quinta ejusdem Menſis ad Curiæ acta relatum eſt. Rebus ita compoſitis Longævillanus Dux Peronam urbem Regi reddidit, Ancræus quoque hujus urbis Præfecturam dimiſit, eodemque tempore Cainenſis urbs necnon Bituricenſis arx ſeſe Regiis copiis dedere. Cum autem Ancræus ad aulam revocatus, majori, quam unquam, auctoritate valeret, cunctaque ad ejus vel Conjugis ſuæ arbitrium diſponerentur, invidiæ ac diſſenſionum flammæ adhuc ſub cineribus latentes paulopoſt

Sæc. XVII. A. C. 1616.

Sæc. XVII. A.C. 1616.

apertius erupere, in extremum Ancræi excidium, uti memorabimus: Nec etiam Regio hoc reſcripto firma rediit Principum concordia; cum enim nonnullis illud ab Ancræo ad Principes pacis ſecuritate ſopiendos profectum exiſtimarent, Regemque de contrahendo exercitu novo valde ſollicitum eſſe, imo a Regiis copiis Bullionii & Myeænii regiones infeſtari cernerent, hinc illi, & præcipue Nivernius Dux ſe ad defenſionem parabant, necnon Bullionius die decima quarta Decembris datis ad Regem literis de hac violentia querebatur, cui tamen Rex die vigeſima ſeptima Decembris reſpondit, militem ſuum ad ea loca fuiſſe miſſum, ut machinationes adverſus Regis, regnique ſui quietem, pactorumque fidem cœptas everteret, & ſubditos ad debitam obedientiam reduceret.

§. CXXXVII.

Bellum Ferdinandum Auſtriacum inter & Venetos.

Sleid. rediv. l. 21. pag. 1468.
Ferrar. hiſt. Hiſp. tom. 11. l. 2.

Novum hoc anno bellum inter Ferdinandum Auſtriæ Archiducem, & Venetam Rempublicam exarſit, cujus origo hæc erat. Fuit mortalium genus quoddam, incertum an ex Iſtris, aut aliis Illyribus, an Adriaticis denique potius

potius oriundum? hos homines vulgo Uſcochos appellitant, quorum non pauci ſedibus ſuis extorres, terra marique prædas agebant, atque ab aliquot retro annis Iſtriæ, Carnorumque ditionis viciniam ac maritima Venetorum, Turcarumque loca fœde populabantur, ex ſuis portubus, maritimisque diverſoriis in Regiones, navesque impetum atque inſultum continuo facientes: Cum ergo Turcæ, ut ſeſe ulciſcerentur, mare infeſtum redderent, ac Chriſtianis, & præcipue Venetis triremes non ſine ſanguinis profuſione eriperent, Respublica Oratores in Styriam ad Ferdinandum II. Auſtriæ Archiducem Græcji tum agentem decrevere, qui ſuper immanibus Uſcochorum, Archiducis imperio ſubjectorum prædationibus expoſtulent, ablata repetant, & ſarciri damna rogent. Excuſabat Ferdinandus ſuam e locis tam remotis, rumorum inſcitiam, Uſcochorum violentias exſecrans: mox etiam ad Zengæ urbis Sclavoniæ Prætorem, ac ſtipendiariæ Uſcochorum militiæ Tribunum mandata dedit, ut in hosce piratas acurate inquirerent, reosque e rigore legum plecterent. Hæc ita a Duce mandata, ſed ab iis forte mercenaria eorum indulgentia, penitus neglecta: unde Uſcochi jam Archiducis, etiam imperiis indomabiles effecti,

Sæc. XVII. A. C. 1616.

Jacob. Franc. rel. Hiſt. p. 108. Sarp. tract. de Uſcoch.

Sæc. XVII. A. C. 1616.

novoque Venetorum querelas ulciſcendi ardore animati, horum naves intercipere continuabant. Eapropter Veneti de Senatus ampliſſimi ſententia hosce piratas terra marique opprimere decrevere, conſtitutis Venieto validæ claſſis Præfecto, atque Pompejo Juſtiniano exercitus terra bellaturi Prætore, qui in Forojulii ditionem continuo irrumpens, promotis caſtris loca, quæ Palmam & Gradiſcam interjacent, occupat, cunctaque Auſtriacæ Jurisdictionis terræ ſpatia, etſi ibidem Uſcochorum nullus uspiam fuerit, fœde devaſtat: Primos hoſtium impetus tempeſtive retardabat Trautmanſtorffius Ferdinandæi exercitus Ductor, qui poſitis Gradiſcæ caſtris arcem, quantum per tempus licuit, valide munire cœpit: Pompejus vero die quinta Martij omni ſtudio ac contentione Gradiſcam urbem cingit, atque ſedecim belli tormentis aſſidue acriterque mœnia verberat, Auſtriacis haud ſegnius in Italica caſtra erumpentibus, crebrasque hoſti clades inferentibus: tandem poſt varios impetus incaſſum tentatos, poſt ingentem ſuorum cædem, die vigeſima octava ejusdem Menſis Veneti miſſa ad Præſidiarios tympaniſta inducias fieri petierunt, his vero denegatis noctu obſidionem ſolverunt, præſidiariis fugitivos fruſtra inſequentibus.

Ineun-

Ineunte Aprili Uſcochi magno numero ad varia Venetorum loca adventantes, erecto S. Marci vexillo ſe a Pompejo in præſidium miſſos mentiebantur: admiſſi vero obvios quosque trucidarunt, opima præda ad ſuos reverſi. Interea mutuis prædationibus utrinque certatum, Auſtriacis Rovignum, Venetis Croatiam devaſtantibus. Suadebant pacis conſilia Pontificis Legatus, & Andreas Manriquez Hiſpaniæ Regis Orator, quibus tamen Veneti reponebant, ſe nullam concordiæ tractationem ſuſcipere poſſe, niſi Ferdinandus Uſcochos e locis, e quibus ſe toties ad clades Venetis inferendas effudiſſent, expelleret, ac commeritas ab eis pœnas ſumeret. Nihilominus Hiſpaniæ Orator denuo Venetias profectus, Reipublicæ propoſuit, quod Ferdinandus ex Uſcochis nocentiores plectere, ceterosque ex omnibus ſuis ditionibus ejicere paratus eſſet, dummodo Veneti loca hucusque eidem erepta reſtituerent: pariter Marchio Bedmarus Hiſpaniæ Regis Orator, necnon ſummi Pontificis, atque Etruriæ Ducis Legati Venetos ad acceptandam hanc pacis conditionem inclinare, totis viribus nitebantur, irrito tamen prorſus conatu. Sæc. XVII. A. C. 1616.

Sæc. XVII. A. C. 1616.

§. CXXXVIII.

Atrox pugna inter Auſtriacos & Venetos.

Merc. Gallob. tom. II. l. 2. Hiſt. d'Hollan. Neuvil. tom. 1. p. 107.

Fruſtratis igitur pacis conſiliis acrioris belli ſtudia exarſerunt utrinque, & primo quidem Cæſar edictum promulgari juſſit, quo vetitum, ne miles in Auſtria niſi pro Ferdinando Græcienſi Archiduce conſcriberetur, Auſtriacus vero Bellidux Trautmansdorffius duodecima Maji die copias ſuas recentibus ſupplementis auctas eduxit, trajecto fluvio Lucinium præſidio firmaturus: comperto hoc conſilio mox Veneti cum valido agmine Auſtriacis obviam proceſſere, aſt cum ad pugnæ neceſſitatem ventum eſſet, cæſis utrinque octingentis circiter, Veneti pedem referre coacti ſunt: Haud magis proſpero ſucceſſu Goritiam urbem cinxere, tandem re infecta recedentes: Cum ergo crebris, nec incruentis velitationibus, præliisque ipſorum exercitus valde truncaretur, a Fœderatis Belgii ordinibus ſuppetias petebant, necnon præter proſcriptos, captivosque, quos ex ergaſtulis exilioque ſolverunt, ac ſub ſigna compoſuere, Achmetem quoque Turcarum Imperatorem rogarunt, ut Chriſtianorum, qui ſub ejus Imperio degerent, delectum haberi permitteret: Annuit

nuit Imperator, eoquod cauſſa belli propter Uſcochorum prædandi licentiam ſuſcepti, communis utrique eſſet, nec etiam Venetis Ottomanici auxilii perfugium vitio verti poſſet, cum præſertim non Religionis id, ſed Regionis duntaxat bellum foret. Sæc. XVII. A. C. 1616.

Interim tam Styriaci, quam Veneti loca pleraque finitima mutuis direptionibus exhauriebant, incendiisque, atque omni vaſtitate deſolabant, circumque Goritiam quotidiana prælia cum Auſtriacis, & cædes alternabant: contra Græcienſes quoque arma vertentes Trieſta incaſſum oppugnata, Lucinium ad deditionem compellebant, Goritiæ obſidionem ſolvere coacti. Inde vero plurimum utrinque ſanguinis ac ſtragis ſequebatur, ac Pompejus ipſe plumbea glande trajectus occubuit, ſuffecto Joanne Medicæo. Zorſius quoque Veneti Equitatus Dux Lindaram arcem, aliasque urbes, necnon Santus Venetæ claſſis Architalaſſus Marlanum & Carolovum vi occupatum, non ſine locuplete præda, & cum plurium incolarum cæde depopulabatur. Ita hucusque nonniſi velitaribus pugnis, ac populariorum ruinis res acta, tandem vero res ad aciem prælii que ſummam deducta eſt, cujus initium fecerat Tampierius Comes Trautmansdorffio ab Archiduce

Sæc. XVII. A. C. 1616.

adjunctus, qui die Novembris undevigesimo, noctis beneficio, Romanſium oppidum adorſus, illud quaſſatis mœnibus, vallisque refulſis expugnabat, Hungaris in urbem irrumpentibus, nulloque diſcrimine, quicquid obvium eorum furori erat, trucidantibus. Proſper primæ expeditionis ſucceſſus Tampierio acrioris pugnæ, quæque victoriam ſequitur, gloriæ campum aperuit, eo quidem tempore, quo Veneti ob Medicæi novi ſui Imperatoris adventum in Mariano oppido, inter feſtivos tubarum concentus, & ludicros tormentorum fragores tripudiare audiebantur; hoc enim ſtrepitu concitatus omnis Auſtriacus Equitatus e caſtris erumpit, ſuperatisque fluminibus ad Venetorum caſtra, cunctis nil tale cogitantibus, penetrat. Inexpectatus hic hoſtium adventus Venetis feſtinum pugnandi ardorem inſpirabat. Evolat igitur nulla mora e caſtris Equitatus Venetorum univerſus, fit acris, ardensque primo velitatio, paulo poſt prœlium quoque cruentum ac pertinax, alternante victoria & ſtrage: tandem vero Germanis, atque Heiduccis toto impetu irruentibus, fatiscentes Veneti retrocedunt, ac deſideratis ſuorum quamplurimis palmam Auſtriacis relinquunt, ne vero inulta eſſet ſuorum clades, die decima

Sleid. Rediv. pag. 1476. & 1484.

decima sexta Decembris Cafrida erumpentes, totam circum regionem flamma & igne vastant, haud mitius in quinque Monfalconensis tractus Pagos grassantibus Heiduccis. Præterea Veneti, ut suppetias Carinthiorum a Ferdinandi exercitu abscinderent, Pontafellam Alpinarum faucium clauſtrum occupare moliuntur: non latuere tamen Austriacos hæc eorum consilia: unde valido milite locum firmare, Venetosque faucium ingressu prohibere satagunt, eosque aditum tentantes sæpius repellunt, non sine opima reversi præda, præcipue copia vini Malvatici, quo tamen largius hausto Teutones, Pannonesque compotationibus innatantes, suisque lectis immersi, Venetis irruentibus, clauſtra Pontafellæ turpiter reliquerunt. Sæc. XVII. A. C. 1616.

§. CXXXIX.

Religio Catholica variis in locis oppressa, in aliis propagata.

Sub idem ferme tempus Constantinopoli in Apostolicos variæ Professionis Viros accerrima concitabatur vexatio; licet enim Turcæ, Schismaticos ad Ecclesiæ unitatem revocandi facultatem Missionariis indulgeant, omni tamen legum severitate in eos animadvertere *Abrege de l'Hist. Eccles.*

Sæc. XVII. A. C. 1616. solent, qui vel in Mahometana superstitione natos, vel ad eam a Christiana Religione deficientes ad Christi fidem revocare adlaborant; cum ergo P. Sangallus Ordinis FF. Minorum Constantinopolitani Cœnobii Vicarius quosdam Christianæ fidei desertores ad Ecclesiæ sinum revocasset, eisque testimoniales susceptæ fidei literas tradidisset, re ad Mufti seu Ottomanici Pontificis aures delata, hic in carcerem detruditur, unacum sex Jesuitis & omnibus hisce Neophytis, penes quos, cum præfatæ literæ fuissent repertæ, Sangallus ex Turcici Senatus sententia laqueo suffocatus est, cujus glorioſæ mortis coronam sex illi Jesuitæ declinabant, Gallici Oratoris patrocinio suffulti: Ne vero Jesuitæ deinceps ejusmodi periculo exponerentur, prospexerat Matthias Imperator impetrata eisdem facultate, Apostolica ministeria per Universum Turcarum Imperium libere exercendi: Pariter in Imperio Sinensi paulatim Christianorum numerus plurimum augebatur, quibus etiam accessere quatuor e primaria Nobilitate Mandarini, summisque in Aula Imperatoris Officiis insignes: Uberrima insuper incrementa cœperat Religio Christiana in Biscaja Hispaniæ novæ apud Indos Orientales Provincia ultra Mexicum sita, ubi a tem-

Vid. L. 187. §. 68.

tempore, quo Ferdinandus Corteſius Hiſpanorum Dux eo appullerat, quam plurima Chriſtianorum millia numerabantur; hoc autem anno quidam veneficus Præſtigiator, qui a Chriſti fide transfuga ſe Prophetam, & Terræ Deum mentiebatur, vicatim circum curſabat, ac nunc ſingulis ac viritim, nunc gregatim atque univerſis exponebat, quod opibus, ſuaque libertate ab Hiſpanis, Deorum autem furore a Miſſionariis ſpoliati fuerint, proin haud cunctarentur, Hiſpanum omne nomen, & Hiſpanenſes præſertim Sacerdotes ſuis exterminare finibus. Hæc & plura alia per turbas & Pagos Barbarorum præſertim Tepeguanorum diſſeminans, haud difficulter, quoniam facillimus eſt in pejora lapſus, quodcunque eis perſuaſerat, id & perſuaſit: Hi igitur conjuratione facta Catholicos in Divæ Catharinæ Pago impotentibus furiis aggrediuntur, atque ex Hiſpanis plurimos, variique Inſtituti Sacerdotes miſere trucidant; demum vero occiſorum corpora per trimeſtre inhumata ſub diu relinquunt.

Sæc. XVII. A. C. 1616.

§. CXL.

Tumultus ingens a Delpthæis Mulieribus ſuſcitatus.

Hus-

Sæc. XVII. A. C. 1616.

Merc. Gallobelg. tom. 11. l. 2. Neuvill. hist. D'Holland. tom. 1. p. 102. Jæger. Hist. Eccles. l. 6. cap. 10. Cluver. epit. Hist. p. 775.

Hucusque apud Fœderatos Belgii Ordines nec sectæ suæ recens natæ compactio tam valida firmaque erat, nec politica Regiminis novi norma ad eam excreverat stabilitatem, quin non indies crebra Religionis dissidia, popularesque turbæ satis frequenter pluribus in urbibus pagisque orirentur: *Domi*, inquit Cluverius & ipse ex Protestantibus, *vix ferendæ libertati, erant animi plurimorum: Amstellodami, involabatur in ædes, quas Sacro suo Arminiani destinaverant: Delphis, ne mulieres quidem temperabant manibus*, occasione arrepta ex Delphtensis Senatus decreto die vigesima tertia Julii promulgato, vi cujus pro reparando, atque extendendo portu tributum pro frumento pendi solitum augebatur, ita tamen, ut illud, quod pro vino Rhenano & Hispanico solvebatur, nonnihil imminutum esset. Inæqualem hanc varietatem potissimi ex vulgo ægre ferebant, caussati, quod vinum quidem frequenter divites, pauperes raro biberent, frumento vero ne imbellis quidem turba carere valeret, proin potius vini quam frumenti vectigal augendum foret. Ceterum Senatu hasce vulgi querelas pensi habente, accidit, ut die prima Augusti copiosa mulierum turba sub vexillo cæruleo, quod ex muliebri succinctorio confuerant,

rant, unacum eorum prolibus in foro confluerent, literasque tributarias ingenti cum impetu sibi tradi postularent: His denegatis tanquam Bacchicis Orgiis insanientes mox in Quæstoris ædes irruunt, valvisque summa vi dejectis, eum primo convitiis, postremo verberibus misere mulctant, & obvia quæque diripiunt. Enimvero Senatus cognito tumultu silentium mulieribus statim imperabat, quæ ædes quidem suas tum repetentes, sub meridiem tamen majori adhuc numero iterum in foro comparuere, sequenti autem die rursus effractis quæstoriæ Domus foribus, tabulas publicas dilacerant, ærarium spoliant, & repertam pecuniam per fenestras in vulgus projiciunt: inde ad Curiam properantes, eam pari furore invadunt, occupantque, & quicquid furentium oculis obvium, dilacerant, pulvinaria in terram abjecta pedibus conculcant, tanta rabie ac impetu, ut nec facta veniæ, & benignioris tributi spe, nec Senatus edicto ad officium revocari potuerint. Prætorem ad se ablegatum, cum furentis hujus plebeculæ motus componere niteretur, crebris verberibus infligtis, facile profligarunt. Nec hic stetit muliebris iste promiscuæ turbæ furor: quippe in ipsum etiam Senatum convitia jaciunt, literas & codi-

Sæc. XVII. A. C. 1616.

Sæc. XVII. A. C. 1616.

codicillos diſcerpunt, tamque incondi-
tis clamoribus, tamque impotentibus
furiis debacchantur, ut non fœminæ,
ſed milites hoſtilem urbem armis ſuis
partam exſpoliantes viderentur. Inde
in cujusdam præcipui Senatoris ædes
impetum fecere, multumque pecuniæ
inde abſtulerunt. Jubebantur a Sena-
tu cives, ut ſuas quisque uxores do-
mum revocarent, vel ſumptis armis
propulſarent: aſt hæ mox viros ſuos
armis ſpoliarunt, domumque redire
compulerunt, ipſæ vero Senatorum æ-
des involarunt, diffractisque feneſtris,
ac januis, ciſtas aperuerunt, indenum-
mos, & quicquid obvium rapientes.
Mox iterum in forum prodiere, ſeſe
multis plauſtris & curribus caſtrorum
more munientes. Senatus igitur, ne
pejora ſequerentur mala, mulierum
violentiæ cedere, impoſitumque tribu-
tum tollere cogebatur, quo facto, hæ
turbæ quidem, mulierum qualibet do-
mum reverſa, compoſitæ ſunt, rumo-
re tamen ad Ordines delato ſtatim Fri-
dericus Henricus Princeps, & Erneſtus
Naſſoviæ Comes cum Equitum pedi-
tumque copiis urbem ingreſſi ſunt: po-
ſtea ſex ex præcipuis hujus tumultus
auctricibus comprehenſæ, in carceres
conjectæ ſunt, in viginti autem abſen-
tes ſententia eſt pronuntiata, conſtituto

cen-

centum florenorum præmio in eum, qui ex illis quampiam judicio sisteret. Inde factum, quod plures tam Viri quam fœminæ solum vertentes per mænia etiam, non sine vitæ periculo descendentes profugerent, urbsque pluribus incolis suis viduata permaneret. Sæc. XVII. A. C. 1616.

§. CXLI.

Turcæ passim mari, terraque cæsi.

Ineunte Mense Majo classis Cosmi II. magni Etruriæ Ducis in duas Algerianas Lybicorum Turcarum triremes Prætorianas in mari mediterraneo ad Negropontum incidens, post atrox utrinque certamen victor evasit, prædaque centum millium coronatorum facta, quadringentos & quinquaginta circiter Christianos Turcicæ servituti adscriptos in libertatem asseruit. Præterea Africani maris incolæ Melitenses, cum tribus triremibus e Sicilia Naupactæum venere sinum, ac septem Turcarum myroparones expugnarunt, quingentosque circiter Janissaros cæperunt, ex quibus trecentos & octoginta in vincula compegerunt, residuis passim obtruncatis. Hac tamen clade minime territus Achmetes, Siciliæ & Calabriæ ora centum triremium classe invadere statuit: comperto autem consilio Offuna

Ferrer. continuat. Hist. Hisp. c. 2. §. 122. Merc. Gallob. tom. II. l. 2.

Sæc. XVII. A. C. 1616.

na Hiſpanus Dux cum ſex triremibus die ſecunda Junii Franciſcum Riveram portu ſolvere juſſit, qui die decima tertia ejusdem Menſis Calidoniæ promontorium prætervectus, ſexdecim Ottomanicas naves mercibus onuſtas ſuperabat, ac continuato victoriæ curſu in Salinarum portu decem Turcarum naves aggreſſus, earum nonnullas tormentorum ictibus diſcerptas, aut depreſſas undis ſubmerſit: promotisque velis varias adhuc naves expugnavit, cæſis captisque Turcarum quamplurimis, a quibus die prima Julii certior reddebatur, quod Turcica quinquaginta quinque triremium claſſis Caramaniæ ora legeret: nec tamen Rivera hoc hoſtium numero terebatur, ſed novo ardore totam claſſem adoritur, ac poſt cruentum conflictum ad ſeram noctem protractum octo Turcarum triremes expugnat, accenſaque Lucerna ad ſequentis diei pugnam hoſtem provocat, atque iterato certamine Turcas profligat, qui amiſſis rurſus aliis octo navibus tertia die prælium redintegrant, ſed tandem Hiſpanæ fortitudini cedere coacti ſunt, ſui Architalaſſi, & bis mille Turcarum jacturam deplorantes; cum tamen Ribera, ſalvis omnibus ſuis ſex triremibus, & nonniſi quadraginta ſuorum deſideratis, Victor in Siciliam reverte-

verteretur, ingenti honorum significatione exceptus. Insuper Turcæ ad paludem Mæotidem, circumque Chersonesum Tauricam, & Tanaim amnem a Cosaccis, & in Asia a Persis ingentem passi sunt cladem, ubi illorum quadraginta millia peste ac ferro periisse dicuntur. Sæc. XVII. A. C. 1616.

§. CXLII.

Religionis controversia ab Ordinibus Hollandiæ tanquam supremo Judice definita, sed non finita.

Cum Arminiani, ut supra meminimus, extrema quæque a Gomaristis paterentur, & eorum controversia in fundamentali Religionis articulo de æterna Dei prædestinatione, nec per Sacras literas, nec per Dordracenum Synodum, cui haud immerito diffidebant, definiri potuerit, ad arma tanquam supremum suum Judicem convolare decreverunt: Hanc in rem Barneveldio, Utenbogardo, Grotio, aliisque id suadentibus, Ultrajectini, Leidenses, & Harlemenses aliquot militum cohortes variis ex locis conscripsere, contendentes, id juris cuique Ecclesiæ esse, ut suo arbitratu Pastores quibusvis demum mediis sibi legeret: Verum Mauritii, Principis Auriaci, sedulitate factum, *Vid. Supra l. 134. §. 54. Cluver. epit. Hist. p. 776. Jæger. Hist. Eccl. l. 4. cap. 6.*

Sæc. XVII. A.C. 1616. ut Ultrajectini excubitores inopina vi opprimerentur, ac civitati armis exutæ, Rectores & Præcones Gomaristis dediti præficerentur, Arminianis conspirationis incentoribus in vincula conjectis: Conradus quoque Vorstius, urgente Jacobo I. Angliæ Rege, qui ejus librum de Deo Londini, Oxoniæ & Cantabrigæ carnificis manu comburi jusserat, suo officio amotus, Lugduno Batavorum exulare coactus est, E contrario Protestantes Ordines Hollandiæ & Westfrisiæ in hac fidei controversia non jam Sacras literas tanquam solum Judicem supremum, normamque credendi agnoscebant, sed auctoritate propria velut ex Cathedra loquentes, litem hanc deciderunt, & sacras Paginas intelligendi, atque interpretandi modum circa hanc controversiam definierunt: Dignum sane est, ut prudentum judicio exponatur, decretum ab eis hanc in rem promulgatum, cujus tenor est sequens: „Quando multum diffidii ac „contentionis per harum Regionum Ec„clesias subortum est, *ex diversis inter„pretationibus locorum S. Scripturæ*, in „quibus de æterna Dei prædestinatio„ne, & huic cohærentibus agitur, pro„vecto eousque calore certaminis, ut „sint, qui doceant ea, quæ spectant ut„rinque ad Dei ignominiam, ad infa„man-

„mandam Christianam Reformationem, Sæc. XVII.
„& nostræ piæ sententiæ adversantur, A. C. 1616.
„quibus obviam iri, visum est nobis ad
„Divini honoris & gloriæ propagatio-
„nem . . . . perquam necessarium: Id-
„circo rebus diu multumque perpensis,
„religioseque & circumspecte examina-
„tis singulis, quæ in colloquio *duode-*
„*cim Pastorum* Anno MDCXI. nostro in
„Conventu ore primum peracta, mox
„etiam cum ipsorum consiliis (*) per-
„scripta, nobisque tradita fuere: usi ea
„auctoritate, quæ nobis, ut *summis legi-*
„*timis Potestatibus juxta Sanctum Dei Ver-*
„*bum* (**) eorumque Regum, Princi-
„pum, ac Civitatum, quæ reformatio-
„nem Religionis amplexæ sunt, exem-
„pla, competit, *imperavimus, atque e-*
„*tiamnum imperamus* . . . ut in *explican-*
„*dis* Sacris literis, Pastores infigant po-
„pulo, singularumque sub nostro im-
„perio habitantium animis, *principium,*
„*progressum, ac finem humanæ salutis, at-*
„*que ipsam adeo fidem, non nativis homi-*
„*num viribus aut factis, sed soli, nec pro-*

 „*me-*

(*) Cur non ex solis Sacris literis utpote claris, integris & omni ex parte perspicuis, præter quas non alia datur credendi norma, nullusque alius supremus Judex.

(**) Id est, summis Pontificibus Hollandicis.

Sæc. XVII. A. C. 1616.

„*meritæ Dei in Chriſto gratiæ accepta ferri debere: nullos a Deo omnipotente ad damnationem creatos: nullis a Deo peccandi neceſſitatem imponi: neque a Deo ad ſalutem invitari quemquam, cui ſalutem omnino non dare decreverit* (*): Quamquam vero in Academiis & *Divini Verbi Interpretum* conventibus ſolent (uti nos quoque permittimus) de ſenſu eorum Sacræ Scripturæ locorum, in quibus de prædeſtinatione agitur, colloquia inſtitui, unde accidere poteſt, *ut diverſa ſentiant*, quod & olim & noſtro hoc ſæculo Viris *doctis, piisque* evenit: nolumus tamen eas diſputationes profundiores, quæ *contra ſententiam, juſſionemque noſtram* extrema illa, atque abſurda, quæ imputari quibusdam (*a*) ante diximus, poſt ſe trahunt, publice aut e ſuggeſtu, aut alias apud populum proponi.„ Verum eadem auctoritate Principes, quorum Imperio Arminiani parent, ejusmodi fidei oppoſitæ declarationem edere potuiſſent: cuinam autem ſtare teneretur ille, qui circa utrumque articulum poſt hanc declarationem adhuc dubius hæreret? non ſuffragantur *Sacræ literæ*, ex quarum *diverſa interpretatione*

(a) *Arminianis.*

(*) Ita quaſi prætoria auctoritate definire ea, quæ credenda, quæve damnanda ſint.

ne hæc contentio eſt exorta: non *Spiritus Sanctus*, quia hic nec ita aperte locutus eſt, nec alterutri parti ita impoſuit ſilentium, ut alterutra pars evidenter tum ſcire potuerit, ſe cauſſa cecidiſſe, ſuamque ſententiam eſſe hæreticam: *non fideles interpretes:* nam tales ſe eſſe utraque pars jactitabat, utraque ſe ductum Divini Verbi ſecutos, doctos, piosque eſſe Viros, ac de ſua ſcientia diffidere gloriabatur. Quod autem de articulo, ut vocant, fundamentali ibidem fuerit agitatum, teſtatur ipſemet Jacobus Rex, qui de Bertio Arminii diſcipulo dicebat, quod ipſe primus Leidenſem Academiam *hæreſi* infecerit, imo ad ipſos Hollandiæ Ordines hæc perſcripſit Rex: *quorſum opus eſt de hæreticorum inter vos, aut Atheorum arrogantia porro inquirere* &c. Denique obſervanda ſunt hæc Regis verba: *ſi de numero aut natura Sacramentorum novam litem moviſſet Vorſtius, ſi de meritis, de purgatorio, de viſibili Eccleſiæ capite aut id genus aliis, quæ inter vos & Pontificios agitantur, ſi de operibus Dei ad extra (ut loquuntur in Scholis) quamquam nec ejusmodi erroribus inter fœderatos noſtros cuperem eſſe locum; ſi non altius ille evectus fuiſſet, & ſanctiſſima quæque profano ſtylo ſollicitaſſet; ego vel abſtinuiſ-*

Sæc. XVII. A. C. 1616.

Jacob. I. Reg. opera Reg. p. 172.

Sæc. XVII. A.C. 1616.

ſtinuiſſem, vel minore animi contentione cauſſam ſuſcepiſſem.

Jam antea idem Angliæ Rex data ad Ordines epiſtola eisdem *mutuam partium tolerantiam* ſuadebat, eoquod *tales quæſtiones per diſputationes Theologicas nunquam finiri queant*, & utraque ſententia ita comparata ſit, ut *neutra adeo ſit aliena, quin non conſiſtere poſſit cum Veritate fidei Chriſtianæ & ſalutis animarum*: Quomodo autem id conſiſtere poteſt cum Gomari & Calviniſtarum judicio, cum hi dixerint, *ſe non poſſe tuto conſiſtere cum adverſa ſententia ante tribunal Divinum, quin & Dordracenſis Conciliabuli Paſtores eam ſententiam ſuſtinuerint damnare* (licet *incaute ne dicam impie*, ut ait Jægerus). Ita nempe hi novæ Religionis fabricatores ne quidem intra unius ferme ſæculi ſpatium adhuc definire potuerunt, quinam ſint ſectæ ſuæ articuli fundamentales, & ad ſalutem omnino neceſſarii, excepto ſolo articulo de Papa ut Antichriſto, quem tamen primum Calviniſtæ in Galliis ante paucos annos ad fidei articuli dignitatem evexere. Porro Rex errorem Arminianorum magis pernicioſum cenſebat, quam errores allegatos, qui juxta ipſos ſaltem moralis doctrinæ fundamenta concutiunt, & morali Divinitatis characteri repugnant: Magis adhuc attentum animum

Jæger. Hiſt. Eccl. l. 3. cap. 4.

nimum merentur ea, quæ Rex in suo sermone die vigesima octava Junii anno sequenti in comitiis Scotiæ Regni habito de Belgicis Ecclesiis protulit: *Quod ad fœderatas Belgarum Provincias attinet*, inquiebat ipse, *ibi sane post nuperas inducias, nostramque cum Hispano pacem, humanis omnibus, divinisque permixtis ordo Reipublicæ pæne abiit in Anarchiam: nec id sine cœlestis justitiæ nutu, qui enim nostros recipiebant schismaticos, homines suis opinionibus addictos, & ab Ecclesiæ nostræ unione aversos; quique omnibus Religionum hydris quasi asylum aperiebant, hi ex tam multiplici contagione nunc eo redacti sunt, ut quam religionem ipsi tueantur, vix habeant dicere.*

Sæc. XVII. A. C. 1616.

§. CXLIII.

Jacobi I. Angliæ Regis Oratio de Justitiæ administratione.

Quamvis Jacobus Rex hucusque plena in Regno suo tranquillitate potiretur, haud parum tamen illius animum torquebat ambitio, qua Regiæ dignitatis suæ prærogativam certis Anglici juris limitibus circumscribi dolebat: quocirca omni data occasione subditis suis supremi imperii ac Regiæ auctoritatis jura inculcabat, eodemque ex fine sub specioso irrepentes in justi-

Opera Regia Jacob. I. pag. 252. Rapin Thoiras Hist. d'Angl.

Sæc. XVII. A. C. 1616.

tiæ administrationem abusus corrigendi obtentu die vigesima Junii prolixum, ac pro more suo divisionibus & subdivisionibus infartum sermonem habuit, cui hæc Psalmistæ verba præfixit: *Judicia tua da Regi, & justitiam tuam filio Regis*, ex quo inferre nitebatur, quod omne ac præcipue Monarchicum Regimen, omniaque judicia primo deriventur a Deo ad Reges, & demum *a Regibus* ad Magistratus: Postea de Judicibus differens, eorum potestatem esse restrictam inquiebat, proin *cavendum primo esse a Regiæ prærogativæ finibus, si qua lis de mea prærogativa mota fuerit, ceterisve imperii arcanis, tantisper abstinendum vobis, dum me ipsum aut Concilium meum aut ambos percontati fueritis.* dein ita prosequebatur Rex: *nefas est arcana summæ potestatis examini subjicere; hoc enim est regiæ imbecillitatis fundum scrutari, & mysticam illam reverentiam, quæ Dei throno Regibus insessso debetur, e medio tollere.* Ceterum Rex haud absone firmitatem supremi hujus juris a reverentia erga Ecclesiasticos derivari indicabat his verbis: *non firmabit Deus jura nostra, nisi debito honore prosequamur jus Divinum, quod fieri non potest, si illius Interpretes spernemus. Contemptus hic Ecclesiæ nostræ, Doctorumque illius, & Antistitum prope esse finem Universi, non ob-*

scure

Sæc. XVII. A. C. 1616.

ſcure arguit. Præterea ſupremæ ſuæ auctoritatis ſtudioſiſſimus, ſermone ad populum converſo addidit, *ſuprema illa & abſoluta ſceptri prærogativa Jurisperitorum examini non ſubjacet, ſed extra omnem diſputationis aleam poſita eſt. Quærere quid Deus poſſit, impietatis eſt, & blasphemiæ, ſimiliter quid Rex poſſit quærere, audaciæ eſt in ſubdito, & procacitatis* extremæ .... igitur *quæ Regiæ dignitatis aut poteſtatis ſunt, dum lege agitis, intacta maneant & illibata, nimis progreſſa eſt quorumdam hæc audacia, ſi quis tam alte impoſterum ſapiet, plectetur a judice, ſi judex connivebit, uterque plectetur a me, faceſſat e foro Puritanicæ illius & Democraticæ facundiæ acumen, intra veteris modeſtiæ fines litigandum eſt.*

Puritanos enim Rex ſemper populo infenſos reddere ſatagebat, eoquod illos, ſicut Anglico Eccleſiæ Regimini, ita & Monarchico ſuo imperio adverſaturos credebat, nec etiam in eodem ſuo ſermone Catholicos perſtringere, ac fidelitatis juramentum eis impoſitum urgere deſtitit, ita hanc in rem perorans: *ad Papiſtas & refractarios, quos conſuetudo* recuſantes *appellat, mea ſpectat oratio: gaudeo cum refractariorum numerum alicubi decreſcere: mœrore afficior, cum creſcere alibi intelligerem, nihil meis auribus accidere poteſt amarius, quam, me*

Sæc. XVII. A. C. 1616.

Rege, deficere homines a fide; nec lætius, quam meo imperio religionem florere. Deum teſtor, nihil inanis gloriæ cauſa dici: toto, inquam corde mihi dolet, quotiès audio multiplicari refractarios, vos igitur obteſtor judices, ut pari mecum affectu hoc negotium proſequentes, quantum poteſt, præcaveatis malum: & meum animum, uti eſt, populo meo faciatis notum, in triplici ſunt differentia hi refractarii, ſunt, qui, ut legem eludant, ſemel aut bis in anno concioni ſacræ interſunt, nec ipſi, ſi credimus, Refractarii ſunt, ſed uxor domi & familia. Hi utut legi ſatisfeciſſe videantur, Deo minus quam ceteri ſatisfaciunt. Sunt, quibus animus ita pravo imbutus eſt errore, ut noſtra ſacra penitus fugiant; verum tamen pacem publicam non ſollicitant, & bonos ſe alias cives præſtant. Sunt denique, qui nec miniſtrum ullum in ædibus; nec colonum in agro ſuo, niſi Papiſtam, & Refractarium ſuſtineant; quin & vicinis, niſi eorum acceſſerint ſententiæ, negotium audent faceſſere. Hos antequam acceſſeris, facile deprehendas, ut ſolent vulpium cavernas ex tetro circumfuſo odore, intolerabilis eſt hæc audacia, ut, qui ſub me precaria fruuntur libertate, vitaque, alienam libertatem infeſtent; & pro quorum ſalute mihi apud Deum reddenda eſt ratio, hi aliorum animos eodem veneno inficiant, & ſecum ad infernum trahant. Papiſtam honeſte

Sæc. XVII. A. C. 1616.

neſte educatum, ſuaque innutritum Religione ea proſequor charitate, qua par eſt fidelem ſubditum: quod in Regni comitiis teſtatus ſum. Apoſtatam vero non poſſum non odiſſe, conſtituamus obſecro, qua pœna πολυωρά γμονες iſti Papiſtæ coercendi ſint, quibus non ſufficit ſui erroris licentia, ni alios recte ſentientes ejusdem ſuperſtitionis ſocios faciant, quod de Refractariis dico, idem de Sacerdotibus intellectum volo: nolo Sacerdos Miſſam aut Religionem luat ſuſpendio: at ſi juramentum fidelitatis defugiat, quod ex meo multisque aliis libris (quicquid demum aut Pontifex aut diabolus ogganniat) conſtat, jam, eſſe politicum & civile; ſi defugiat, inquam, exerceri legem jubeo: juſtitia ea eſt non perſecutio: de Sacerdotibus, qui aliquando meam exorarunt clementiam, eaque lege carcere in exilium miſſi ſunt, ne olim redirent, nolite me, amplius conſulere: quin facite ne quid poſthac de illis audiam, in eadem cauſa ſunt, qui effracto carcere evaſerunt, ſignum eſt ſola eos reſti coerceri, quos carcer non coercuit, inepte dicuntur Martyres, qui conſcientiæ cauſa detrectant mori. Paulus egredi noluit apertis foribus; nec niſi Angelo Dei ducente exivit Petrus: iſti vel a Luciferi Angelo ſe pedibus extrahi paterentur. Non deerit, quod de Sacerdotibus his moneam de novo, cum primum ex Epiſcopis Cantuarienſi, & Londinenſi, qui-

Sæc. XVII. A. C. 1616. *quibus id negotium dedi, eorum ordines & gradus resciverо.*

§. CXLIV.

Apostasia & fuga in Angliam Marci Antonii de Dominis Archiepiscopi Spalatensis.

Jæger. Hist. Eccles. L. 6. cap. 1. Rapin. Thoiras Hist. d' Angl. Merc. Gallob. l. 1. tom. 11. Epist. Trai. Bocalin. ad Mut. Bisel. Med. Hist. Sept. II.

Hoc anno desertor impius Marcus Antonius de Dominis a Catholicis ad Calvinianos, & ex Italia profugit in Angliam. Hic patria Venetus originem traxerat ex illustri *Dominiorum* Familia, quæ cognatum sanguinem a Gregorio X. deducit. Juventutis studia excoluit in quodam Collegio Jesuitarum, qui ingenii sui præstantia, necnon literaria diligentia decepti ipsum ad Societatem suam pellexerunt, ubi post biennis tyrocinii decursum in politioribus studiis tantum profecerat, ut inveniendi subtilitate, facundiæ copia, singularisque cujusdam eruditionis fama, cumprimis eniteret, postea Theologiæ peritia locupletatus Veronæ humaniores literas, Brixiæ Rhetoricam & Philosophiam, necnon Patavii Matheſin tradidit, sed sensim Novitates opinionum amare, & divi Thomæ Aquinatis doctrinam spernere cœpit, quo fiebat, ut pestifera errorum semina compluria in sinu suo, haud observatns tamen

men, reconderet: cum autem præter innatam mentis inquietudinem, ac vecordiam, popularis auræ ſtudio præcipue deditus eſſet, atque in ſuo ſenſu contra Superiorum placita abundans, cuncta ad nutum, arbitriumque ſuum fieri poſtularet, & nonniſi mitras, Infulas, & Pontificias ſpiraret cathedras, arrogantia ſua ceteris Sociis, apud quos tum ejusmodi apices ambire, adhuc nefas erat, intolerabilis factus e Societate ejicitur: Porro Romam delatus & Aldobrandini Cardinalis patrocinio ſuffultus, a Clemente VIII. anno Chriſti milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto Signiæ Epiſcopus, ac demum procurante Borgeſio Cardinale ſexto poſt anno Spalatenſis ſeu Salonitanus Archipræſul, & Dalmatiæ, ac Croatiæ Primas eligitur, non tam ut honoribus augeretur, quam ut a Romana urbe ob publicam populi offenſionem amoveretur; quippe animum, quem per integros viginti annos compoſito foris cultu dudum texerat, voluptatibus carnis deditiſſimum habebat, & quod plus eſt, noverat ad arbitrium ſuum, caſſesque ſuas trahere non vulgares tantum fœminas pudorem proſtituere ſuetas, ſed & nobiliſſimas uxores: unde Bocalino familiari ſuo dicere ſolitus erat, nihil ſe majoris æſtimare, quam ſexus fœminei

Sæc. XVII. A. C. 1616.

Sæc. XVII. A. C. 1616. nei favoribus frui: cuidam etiam nobili fæminæ, quæ, remotius tamen, Lantio & Melino Cardinalibus sanguine juncta erat, suum dicabat affectum, & cum ea talia perpetrabat, quæ indigna sunt laico, nedum Sacerdote: inde vero in se utriusque hujus Cardinalis invidiam accersérat, ac sibimet ipsi viam præcluserat ad exteras legationes & per eas ad Romanam purpuram, cui, cum natura ambitiosus esset, immodice inhiabat. Post aliquot annorum decursum in litem, controversiamque super Ecclesiæ Spalatinæ juribus & reditibus cum alio Præsule incidit, ubi vero causa cecidit, datos Judices nummis corruptos esse, temere incusans, sursum deorsum omnia vertere, miscereque, ac passim clamitare, *nullam in Ecclesia justitiam, nullam, ne Romanis quidem tribunalibus curam legum, & æquitatis esse: nec illic rerum Divinarum esse fidem posse, ubi nulla esset humanarum sinceritas*: Cum autem Romæ de variis, gravibusque culpis apud Pontificem accusaretur, eo contendit, ut ejus gratiam recuperaret: in itinere autem in duos Anglos Protestantes incidens, ac cum ipsis varios de Religione sermones conferens, cum eorum unus hominem in quavis Religione salvari posse propugnaret, respondit Marcus, *ad quid ergo serviunt tot Religiones*

ligiones? cui respondit Anglus, ut verum sit Christi effatum: *in domo Patris mei multæ sunt mansiones.* Replicuit autem Marcus, *oportet igitur, ut quilibet persistat in domo sua*: imo regessit Anglus, ceterum tutissimum est eam eligere Religionem, quæ magis a ruinæ, atque errandi periculis remota est. Hæc responsio, quæ tamen a quovis Catholico etiam rudi enervari potuisset, miseri Spalatensis animum adeo obsederat, ut integro semestri, quo Romæ degebat, cum Lutherano quodam inquietas suas, quibus volutabatur, opiniones curasque excoqueret, ac demum indignatione ex eo concepta, quod a Papa & Cardinalibus minus honorifice exceptus fuisset, Roma excessit, delatis vero contra ipsum sex accusationis capitibus, paulo post partes suas defendendi caussa, ex itinere revocatus est: Insimulabatur enim, quod Venetos injuste anathemate perculsos fuisse asseruisset, literarium commercium cum Paulo Sarpio haberet, in Romanam aulam, ni mitius cum eo ageretur, minas intentasset, cum variis hæreticis versaretur, supine Divina officia perageret, Sacramenta contemneret, alienumque a piis exercitiis animum demonstraret, ac denique coram pluribus dixisset, quamlibet Religionem ei, qui pie vivit, esse

Sæc. XVII. A. C. 1616.

Sæc. XVII. A.C. 1616.

esse accommodam. Attamen cum validæ ad convincendum causſæ defuissent, omne illud mali virus animo jam tum concepit, quod paulo post evomuit, hinc in Dalmatiam reversus, omnem suam suppellectilem, necnon & vasa Sacra, nemine id advertente, vendidit, atque ex iis quindecim millia Thalerorum corrasit, quorum tamen potissima parte a suo famulo spoliatus, opem cujusdam Angli implorabat, qui etiam eidem Calvinianæ sectæ amplectendæ auctor extitit: neglecto igitur illo Lutherano, qui eum ad suam quoque Sectam pertrahere frustra adlaborabat, tum se dedit Calviniſtæ Anglo, qui Marco opibus suis, quibus summopere indiguit, potenter adstitit, eumque Mense Novembri deposito Sacro habitu, detonsisque capillis gladio præcinctum ex Illyrico in Germaniam, inde in Hollandiam ac denique in Angliam comitatus est, ubi ineunte anno sequenti Marcus Londini a Jacobo I. Anglorum Rege liberaliter exceptus, habitusque est, ac paulopost publice Romanam fidem in Templo Divi Pauli abjuravit, præsente eodem Rege, ingentique populi multitudine. Apparuit autem primo ante Aram indutus habitu Archiepiscopali, quem ad majus ludibrium de industria Londini sibi confici curabat, postea

postea abjecte procidens' in genua ad pedes Joannis King Pseudo - Episcopi ipsum, *quid peteret*, interroganti respondit, *desidero abjurare Romana Sacra, tanquam Babylonica, & recipi in communionem purissimæ Ecclesiæ Anglicanæ*, quibus dictis Marcus mitram Episcopalem capiti detrahens, habitum illum projecit, aliumque Præconum more induit. Sæc. XVII. A. C. 1616.

§. CXLV.

Apostasiæ Rationes ab ipso Marco Antonio allegatæ.

Hujus Apostatæ fuga sero Romæ innotuit, qua tamen comperta Pontifex nil intentatum reliquit, ut vestigia fugæ legerentur, nihil tamen præter incertos rumores deprehensum, tandem duæ ab ipso Spalatensi exaratæ advenerunt literæ, altera ad Pontificem, altera ad Cardinales, in quibus apostasiæ suæ rationes afferebat, quæ tamen re ipsa haud aliæ erant, quam quæ omnibus ferme ejusmodi Desertoribus communes hucusque fuere, nimirum libido, atque ambitio. Ipse vero in quodam scripto publici juris facto sequentes allegabat rationes, asserens, quod per integrum triennium nec hæreticorum libris seductus, nec humanæ dignitatis spe sollicitatus, suum spiri- *Merc. Gallob. l. c. Jæger. pag. 199.*

Sæc. XVII. A.C. 1616.

tum probaſſet, eique arrepti conſilii ſolum ſancti Patres, præter internas motiones, auctores exſtitiſſent: Igniculos interni ſpiritus ſubinde ſenſerit, ſed perpetuo illis reſtiterit, dubitare tamen de veritate ſuæ Religionis cœperit, eoquod Romani hæreticorum librorum lectionem Catholicis tam ſevere interdicant, & promotis ad Theologiæ gradus imo & *Epiſcopatum* horum librorum copiam denegent (*) & Profeſſores circa hæreticorum dicta ſibi fidem adhiberi petant, eorum vero diſcipulis, quæ audierunt, in illorum libris inſpiciendi facultatem non concedant. Mores præterea Romanæ Curiæ abhorruerit (**) in concionatoribus Catholicis turpem Scripturarum abuſum deprehenderit, ac propterea omiſſis hiſce turbidis rivulis ad S. Patrum fontes acceſſerit, ex illis autem obſervarit, in Theoricis dicta Patrum communi doctrinæ vehementer adverſari, vel perperam explicata nec fideliter adducta fuiſſe, Eccleſiaſticæ vero diſciplinæ normam a veteri plurimum diſſen-

(*) Quam proterve Marcus hac in re mentitus fuerit, cuilibet Catholico notum eſt.

(**) Qui tamen ſuis non modo ſimiles, ſed adhuc pejores Romæ erant, uti Trajanus Bocalinus, cui Marcus intima familiaritate junctus erat, teſtatur a me §. priori allegatus.

dissentire: dein occasione Veneti interdicti, consultis S. Canonibus, Conciliis, Patribus, & prisca Ecclesiæ consuetudine, doctrinam Protestantium a prisca Ecclesiæ doctrina vel nihil vel parum admodum aberrare cognoverit, videritque Romæ innumeros fidei articulos quotidie fidelibus obtrudi, Concilia sacra opprimi, universalis Ecclesiæ nomine Romanam Curiam intelligi, scandala per plurimas Romanæ Curiæ novitates, erroresque in Ecclesiam invehi, Episcopos non vere Episcopos, sed vix Papæ Vicarios, & Ecclesiam non jam Ecclesiam, sed Rempublicam humanam esse sub Papæ Monarchia mere temporali. Hæc ergo contra carnis suasiones ipsum impulisse ait, ut vehementiorem Divini Spiritus impulsum sequeretur. Sæc. XVII. A. C. 1616.

Porro Marcus commentitias hasce rationes jam dudum præparatas habuisse fatebatur, quas fusius prosecutus est in sua de *Republica Ecclesiastica* libro, quem pariter jam longo abhinc tempore composuit, eumque *calcographo, qui in hoc suo itinere ei primus in Germania commodus occurrerit, imprimendum consignare* statuit. Cæterum summus Pontifex æque ac Cardinales perlectis hisce literis omnem conatum adhibuere, ut perditam hanc ovem oppositis rationibus,

Sæc. XVII. A. C. 1616.

largisque promissis ad Ecclesiæ sinum revocare valerent: Hunc in finem Borgheſius Cardinalis Trajanum Bocalinum accersitum rogabat, ut vel ipsemet iter in Angliam ad Marcum susciperet, vel saltem literas tanquam ejus familiaris olim in paucis charus ad illum exararet, reditumque suaderet, quod etiam præstitit Bocalinus datis ad eum literis, quamvis surdo fabulam caneret. Porro rationes, quibus suum transitum honestare nitebatur, ipsimet Spalatino post sedatum indignationis æstum haud validas fuisse visas, ex ipsius reditu elucet, prout suo loco referemus.

§. CXLVI.

Bellum inter Hispaniæ Regem & Sabaudiæ Ducem instauratum.

Ferrer cont. Hist. Hisp. Merc. Gallob. tom. 11. l. 3.

Frustrata etiam altera pace Astensi *instauratum* recruduit bellum inter Hispaniæ Regem & Sabaudiæ Ducem anno superiori non nihil sopitum. Quippe Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux datis etiam ad supremum Delphinatus Prætorem literis caussabatur, quod Hispaniæ Administri fide non optima conditionibus utrinque pactis inhærerent, ac nondum milites, prout caviſſent, dimisissent: Negabant id Insubres, & Hispani, qui vicissim Sabaudo objectabant

bant, quod ad profequendum bellum a Venetis pecuniarum armorumque fubfidia acceptaffet: ne tamen Hifpani initæ paci obftare viderentur, fui Regis nomine Petrus Toletus Mediolanenfis Gubernator Sabaudo author exftitit, ut ad obtinendam plenam reconciliationem datis ad Regem literis perdemiffe præteritorum veniam impetrare, culpamque deprecari niteretur: cum autem Philippus III. interim ab Emanuele Duce peteret, ut Mauritium Filium fuum tertio genitum in Hifpaniam mitteret, ac Regis arbitrio & Gratiæ, pacis ineundæ conditiones relinqueret, fpe tamen facta, quod ad recuperandam Genevenfium urbem Rex delectum militem fubmiffurus effet, Sabaudus hujus pollicitationis amplitudine haud captus, fortiter bellum profequi, quam pacem tam ferviliter redimere maluit, Venetis jamjam clafficum canentibus: quocirca inter partes, quibus reconciliandis Pontifex, ac Galliarum Rex vehementer, incaffum licet, intenti erant, atrocius quam unquam antea, exarfit bellandi ftudium, & animofitas. Ad diem igitur Septembris decimam quartam pertinax utrinque committitur certamen, in quo ex Sabaudis ducenti, altera vero ex parte circiter quadraginta periere. Progreffi inde Hifpani vigefima prima

Sæc. XVII. A. C. 1616.

Sæc. XVII. A. C. 1616. ejusdem Menſis die Corteſanam munitiſſimum Ducis caſtellum occuparunt: viciſſim Sabaudi quemdam Nobiliſſimum Virum patria Genuenſem, qui ſe ad Hiſpanorum caſtra remeare fatebatur, comprehenſum in cuſtodiam abduxere, ac plusquam viginti millium coronatorum Genuenſium viatico ſpoliarunt. In hæc autem ſtomachoſiores Hiſpani Santiam armis ſibi vendicantes, oppidum a Divo Germano dictum, obſeſſum eunt, ac quæcunque circum Aſtiliaaum loca, urbesque ſunt, direptionibus, incendiis, compluriumque mortalium cæde vaſtant. Sabaudi vero vicem rependentes, poſtquam Marcalongam adverſus eorum conatus munierant, in duos Mediolanenſium vexillorum manipulos erumpunt, partim trucidant, reliquos fauciant, ac diſpergunt, hacque tenui victoria animati ex Vercellenſi arce erumpunt, & Caſavallonem, Orſengum, aliaque munitiora Mediolanenſis ditionis loca capiunt. Sub idem quoque tempus Toletus San-Germanæam obſidionem toto armorum impetu urgebat, perfractisque portis, munitionibusque pene tratis urbem in ſuam redigebat poteſtatem, minus tamen proſpero hujus victoriæ ſucceſſu; Sabaudus enim interim omnes viarum tranſitus tam arcte Hiſpanis præcluſerat, ut anno-

annona ad ipsos nulla pertingere posset, ac ipsi herbis jam, equinisque carnibus vitam sustentare cogerentur. Unde Toletus, ut hostem alio averteret, Crescentini oppidi obsidionem simulat: sparso igitur hujus expeditionis rumore Dux Sabaudus cum maxima sui exercitus parte ad Lucedæam Abbatiam convolat, eo consilio, ut Hispanos periculi ignaros aut opprimeret, aut saltem armis, itinerisque labore impeditos velitationibus lacesseret: Attamen Hispani, cum hanc in se fabulam cudi nossent, copiis aliquot in insidiis clam constitutis cum Equitatu tanquam Crescentinum festinantes antegressi sunt, mox tamen, cum Sabaudi in eos maximo tumultu irruerent, metum fugamque simulantes, tamdiu recessere, donec postremum Sabaudorum insequentium agmen ad paratum insidiarum locum pertingeret: tum vero ex arbusti recessu Hispani erumpentes, necnon illi, qui hucusque fugam finxerant, conversis in insequentes signis eos a fronte, & a tergo intercipiunt, medioque hostilium copiarum claudunt. Fit non jam velitatio, sed atrox & cruenta pugna tredecim continuas in horas protracta, donec penes Hispanos absque controversia victoriæ summa staret, cæsis Sabaudorum octingentis,

Sæc. XVII. A. C. 1616.

Sæc. XVII. A. C. 1616.

totidemque vulneratis, plurimisque captis: decem quoque belli tormenta cum pluribus vexillis, armis & equis in prædam ceſſere Hiſpanis, ex quibus toto, tamque acri conflictu, cecidere pauci, nec fere, niſi quos primus hoſtilis incurſus, & pugnæ turbo deprehenderat ad initia ſimulatæ fugæ, quæ victoriæ viam parabat. Sabaudis hac clade, & Victoris præpotentia devictis, cum mutuæ pacis ſpes haud infima promicaret, Paulus V. Pontifex Alexandrum Ludoviſium Bononiæ Archiepiſcopum, & Ludovicus XIII. Galliarum Rex Philippum Bethunium Oratores eo ablegabant, qui crebris, ſeriisque admonitionum ſtimulis Hiſpanos æque ac Sabaudos ad concordiæ pacta incitarent. Verum Emanuel Sabaudiæ Dux nec fortunæ adverſantis invidia dejectus, nec cauſſæ ſuæ æquitati diffiſus belli conſilia reſumebat, coactisque ſub ſigna ſuorum aliquot millibus caſtra prioribus ampliora reddebat, atque inter alia Inſubriæ loca capta, Maſſeranum etiam oppidum & Grevecortum caſtellum occupabat, Gubernatore etiam Narbonenſi in ſuam opem ſollicitato.

§. CLXVII.

Sæc. XVII. A. C. 1616.

§. CXLVII.

Alternans belli fortuna Hiſpanos inter & Batavos.

Dum hæc interea apud Inſubres gerebantur, Fœderati Belgii milites Lichtefortum non procul a Grolla diſtans oppidum Monaſterienſibus eripuere: viciſſim vero Marchio Spinola Schermbocum Cliviæ oppidum occupabat, necnon Hiſpani in diverſis Juliacenſium Regionum præſidiis deliteſcentes paulopoſt ad Rheinbercam & Veſaliam magno numero confluxerant, & ductore Henrico Montenſi Comite Dorthmundam contendentes, cum cives ſe Cæſaris imperio ultro ſubjicerent, urbem nulla hoſtili moleſtia affectam capere, promotis vero caſtris Henricus Suſatum, & paulopoſt Lippiam invaſit, præſidiumque pactis quibusdam conditionibus utrique urbi impoſuit: Ferventibus autem hiſce tumultibus in Juliacenſi, finitimisque regionibus omnia itinera, Pagi & oppida deprædationibus, & latrociniis per milites exauctoratos adeo infeſta reddebantur, ut pientiſſimus Dux Neoburgicus Wolfgangus Guilielmus Düſſeldorpii die vigeſima octava Martii edictum promulgare, ac omnibus Magiſtratibus ſevere

Merc. Gallob. t. II. l. I. & l. 2. & 3. Jacob. Meurer Rel. Hiſt. cont. pag. II. 42.

Sæc. XVII. A.C. 1616.

præcipere cogeretur, ut in ejusmodi latrones diligenter inquirerent, nemini hospitium, subsidiumve ullum præberent, nec illos ullibi pernoctare sinerent, sed eos ex finibus suis mox ejicerent, aut carcere, & vinculis coercerent. Demum Mense Octobri nova dissensio inter eundem Principem, & Brandeburgicum Ducem exorta est, propter vectigal in Rheno olim Buderici persolvi solitum, ac Resam translatum, quod Neoburgicus Buderici rursus exsolvi præceperat, obsistente Brandeburgico.

§. CXLVIII.

Sex Prælati a Paulo V. ad Romanam Purpuram evecti.

Ciacon. in vita Pauli V.

Hoc item anno die decima nona Septembris Paulus V. Pontifex Maximus Purpuratorum Collegium sex Cardinalibus recens electis auxerat. Hos inter primus erat Alexander Ludovisius patria Bononiensis, qui ex Archiepiscopo ejusdem Urbis absens Presbyter Cardinalis tit. S. Mariæ Transpontinæ electus est. II. Ladislaus Aquinates patria Neapolitanus, Presbyter Cardinalis tit. S. Mariæ super Minervam. III. Octavius Belmustius Genuensis, Cardinalis tit. S. Caroli ad Cati-

Catinarios. IV. Petrus Camporeus, Mutinensis Presbyter Cardinalis tit. S. Thomæ in Parione. V. Matthæus Priolus patria Venetus Presbyter Cardinalis primum tit. S. Hieronymi Illyricorum, postea S. Marci. VI. Scipio Cobellutius Viterbiensis, Cardinalis Sanctæ Sabinæ dictus. Sæc. XVII. A. C. 1616.

§. CXLIX.

Petrus Gondius Cardinalis hoc anno defunctus.

Quatuor vicissim Cardinales hoc anno decessere, ex quibus prior occurrit Petrus Gondius Juniacensis, anno a partu Virginis millesimo quingentesimo trigesimo secundo Lugduni natus, qui tam excellenti præpollebat ingenio, ut Philosophiæ & jurisprudentiæ præstantia, aliisque dignitatum honoribus ac meritis non tam a patria sua vel stemmatis nobilitate decus mutuare, quam augere videretur. Hic in Caroli IX. Galliarum Regis aula non politicis artibus Aulicum, sed omnibus numeris absolutum Præsulem agebat, ac Lingonensi Ecclesiæ, & postea Parisiensi præfectus, utriusque gregis Pastorem vigilantissimum, utrique etiam urbi Patrem sese exhibebat amantissimum, ubique relictis pietatis suæ, zelique *Ciacon. vit. Sixti V.*

Sæc. XVII. A. C. 1616.

lique veſtigiis. Variis augebatur Sacerdotiis, quorum tamen proventus ferme omnes ad pauperum levamen, & Eccleſiarum ornamentum impenderat: Ab Henrico III. Galliarum Rege ad Pium V. Orator ablegatus, oblatam recuſabat Purpuram, quam nonniſi abſens, atque invitus urgente eodem Rege a Sixto V. acceptabat. Poſtea ad Clementem VIII. iterum decretus, pro abſolutione Henrici IV. Regis obtinenda non minus erga Regem ſtudium, quam Religionis ardorem præſetulit: Maduani quoque animum ad Regis partem revocans, in obſidione Pariſienſi pauperes fame ferme enectos pecunia ſublevabat, edito decreto, ut donaria aurea vel argentea Templorum vendita in ipſorum commodum verterentur, quin ea Henrico III. & IV. in belli expenſas erogari pateretur, ſed propria potius pecunia utrique Regi ſatisfecit ad centum & quadraginta librarum millia Turonenſium diverſis temporibus ſuppeditata: Adeo pacis ſtudioſus erat, ut triginta omnino annos ne quidem unico verbo Capitulum Pariſienſe læderet, quamvis Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigidus cultor, ſuæque jurisdictionis tenax defenſor eſſet, & intrepida dicendi libertate polleret. Obiit Pariſiis

siis annos natus octoginta quatuor die decima septima Februarii. Sæc. XVII. A. C. 1616.

§. CL.

Pompæii Arigonii Cardinalis obitus.

Hunc pari fato sequebatur Pompejus Arigonius, patria Romanus, qui Perusia primum, tum Bononiæ, mox Patavii Civilis, Pontificiique Juris studia amplexatus, ibidemque virtute, morumque elegantia diu versatus, utriusque Juris Doctor renuntiabatur. Postea Consistorialis Aulæ Advocatus, atque a Gregorio XIV. Apostolici Palatii Auditor nominatus, tandem a Clemente VIII. Cardinalis Diaconus variis Congregationibus, necnon Comitiis Clericorum Regularium Romæ habitis præfuit. Demum vero a Paulo V. Beneventanus Archipræsul institutus, Ecclesiam illam, necnon alia Xenodochia, & monasteria variis beneficiis, ac reditibus munificentissime auxit. Tandem in Neapolitano suburbio, quo sanioris aeris caussa concesserat, die quarta Aprilis anno ætatis suæ sexagesimo quarto pie in Domino obdormivit. Corpus ejus Beneventum translatum ibidem in Metropolitana Ecclesia quiescit.

Ciacon. in vit. Cle. VIII. Ughell. in add. ad Ciacon.

§. CLI.

Sæc. XVII.
Sæc. 1616.

§. CLI.

Philippus Spinellus Cardinalis mortuus.

Ciacon. ibid. Tertius ex Purpuratis hoc anno denatis erat Philippus ex nobiliſſima Spinelliorum Neapolitana familia ortus, qui regante Clemente VIII. Coloſſenſis Archiepiſcopus ad Rudolphum Cæſarem Sedis Apoſtolicæ Nuntius in Germaniam decernebatur: inde vero in Italiam revocatus, ac Ferrarienſis Pro-Legatus decretus, tanta prudentia, ac moderati Regiminis laude commiſſum ſibi munus obibat, ut ab eodem Pontifice abſens Presbyter Cardinalis renuntiaretur. Quamvis autem Policaſtri primum, ac poſtea Averſæ Epiſcopus eſſet, tantopere tamen ære alieno gravatus erat, ut annui ſuæ Eccleſiæ proventus ad debita, quæ contraxerat, diſſolvenda, ſuæque dignitatis honorem ſuſtinendum non ſufficerent. Obiit in ipſa Averſanæ Diæceſis luſtratione die quarta Aprilis quinquagenario major, in Averſana Eccleſia ſepultus.

§. CLII.

Horatii Spinolæ Cardinalis deceſſus.

Poſtre-

Sæc. XVII. A. C. 1616.

Postremus denique ex Sacro Cardinalium Collegio decessit hoc anno Horatius Spinola Paritius Genuensis, qui a puero in Seminario Romano humanioribus literis, in claris vero Academiis Ticinensi, & Patavina Jurisprudentiæ operam navabat, exactisque studiis Doctoratus laurea insignitus, Romam venit, a Sixto V. utriusque *Signaturæ*, ut vocant, *Referendarius*, & a Clemente VIII. Bononiæ Pro-Legatus decernebatur, quam urbem tanto omnium applausu regebat, ut obtento Genuensi Archiepiscopatu Ferrariensis Legatus a Paulo V. nominaretur, tandem Romana Purpura decoratus, quam tamen decimo post anno Genuæ unacum vita die vigesima quarta Junii exuit. Erat is Vir propositi tenax, in tuendo Ecclesiastico jure acerrimus, Reipublicæ Christianæ studiosissimus, ac rigidus disciplinæ Ecclesiasticæ exactor: unde non pauci suæ Diœcesis Clerici vitæ liberioris amantes patriam deseruere, alio migrantes. Eadem quoque austeritate in Magistratibus, quos gessit, usus est, sæpiusque, dum Ferrariensi fungebatur legatione, cum Venetis dissidium habuit de jurisdictionis finibus, quocirca ab illis male habitus, & proscriptus est.

Miræus in elog. gent. Spin. Ciacon. in vita Pauli V.

§. CLIII.

Sæc. XVII. A. C. 1616.

§. CLIII.

Variæ Pontificis Constitutiones circa Regulares.

Bullar. Magn. Constit. 94. *Abregé de l'hist. Eccl. tom.* 3. *Bald. chron. moral.*

Inter anxias curas, quibus summus Pontifex Principes Catholicos inter se belligerantes ad concordiam revocare nitebatur, non infima erat Regularium disciplinam promovendi sollicitudo, qua animatus hoc anno Congregationem Anglicanam Virorum Apostolicorum, qui ex Ordine Sancti Benedicti in Anglia inter Catholicos versantur, confirmabat. Huic Congregationi insertum quoque erat Monasterium Duacenum Sancti Gregorii in Flandria, a Philippo Cavarello Abbate Vedastino fundatum, necnon Dolovartense Sancti Laurentii in Lotharingia, præter duas, ut vocant, *residentias* in Regno Galliæ sitas. Ceterum Monachi isti Angli, quorum primi ex Hispanicis Vallisoletanæ Congregationis Monasteriis in Belgium, & Lotharingiam transplantati fuere, ingenti cum laude, ac proventu Philosophiam & Theologiam profitentur, puerosque doctrinæ Christianæ præceptis, populumque Sacris sermonibus erudiunt, ceteraque munia ad proximi salutem conducentia obeunt. Pariter idem Pontifex edito diplo-

diplomate die vigesima nona Januarii statuit, quod omnia Congregationis Monachorum Cæleſtinorum Ordinis Sancti Benedicti Monaſteria, quorum reditus ad congruam duodecim Monachorum ſuſtentationem ſufficiunt, ab uno ex præfatis Monachis ſub titulo Abbatis, cetera vero a Prioribus gubernentur: Inſuper Papa novam Ciſtercienſium Congregationem in Regnis Hiſpaniæ erexit, ita tamen, ut ea perpetuo obedientiæ Abbatis Generalis, & Capituli Generalis Ciſtercii ſubjaceat. Hanc in rem Paulus V. die decima nona Aprilis Pontificium promulgabat diploma: alio autem die undecima ejusdem Menſis edito Congregationem Clericorum Doctrinæ Chriſtianæ in Civitate Avenionenſi inſtitutam Congregationi Clericorum Somaſchæ ſive Sancti Majoli uniebat: ceterum hæc unico haud diu tenuit, cum Somaſci ſeſe novis hiſce opponerent Sociis, qui ad erudiendam juventutem voti Religione ſeſe obſtringere meditabantur: unde non modo Ludovicus XIII. Franciæ Rex ſuum unionis diploma revocabat, ſed etiam Innocentius X. die trigeſima Julii anno Salutis noſtræ milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo conceſſum unionis Breve nullum eſſe declarabat, ac Doctrinæ Chri-

Sæc. XVII. A. C. 1616.

Sæc. XVII. A. C. 1616.

ſtianæ Congregationem ad priſtinum ſtatum reducens, eam ſub Generale ſeu potius Provinciale natione Gallo ad Laicorum conditionem revocabat. Die autem vigeſima ſeptima Auguſti idem Pontifex inhibuit, ne Monachi Ordinis S. Benedicti Congregationis Cæleſtinorum dignitates, gradus & munia, ſæcularium favore, illicitisque viis procurarent, pluribus in eos, eorumque fautores pœnis interminatis. Denique hoc anno ſummus Pontifex Academiam Padebornenſem, quam Theodoricus Epiſcopus erexerat, Apoſtolica auctoritate firmabat.

§. CLIV.

Aliæ Conſtitutiones in Sacris Congregationibus juſſu Pontificis editæ.

Præterea variæ hoc anno Conſtitutiones, ac deciſiones circa Eccleſiæ ritus & diſciplinam a diverſarum Congregationum Conſultoribus auctoritate Pontificis prodiere, & quidem die vigeſima ſecunda Januarii Congregatio Epiſcoporum declarabat, quod Regulares confeſſiones ægrotorum in eorum domibus ſine licentia Parochi excipere valeant, licet illum monere debeant de confeſſione facta. Die autem trigeſima

ma ejusdem Menſis Sacra Rituum Congregatio decidit, quod Clavis ad S. Hoſtiam repoſitam in Feria quinta Cœnæ Dominicæ non ſit tradenda Laico quantumvis Nobili, & Priores Confraternitatum SS. Sacramenti, non ante Umbraculum poſt Capitulares, ſed a latere Umbraculi incedant, Celebrans vero, abſente Epiſcopo, thurificandus ſit triplici ductu: declaratum pariter die quinta Februarii, quod Clericis ludentibus vel inſpectantibus non ſit imponenda pœna excommunicationis vel ſuſpenſionis a Divinis contra Confeſſarios, qui abſolvunt transgreſſores. Deciſum quoque die duodecima Martii, quod Presbyteri alicujus Eccleſiæ intra limites propriæ Parochiæ non valeant propriam Crucem erigere, ſed ſub Cruce Parochiæ incedere debeant, Archidiaconus vero, ſi eſt prima ejus dignitas, teneatur facere officium Presbyteri aſſiſtentis, ſi eſt Sacerdos, & recuſans, cogendus ſit pœnis & cenſuris, uti decrevit S. Congregatio Rituum die vigeſima octava Maij, qua etiam declaratum, quod Cineres Epiſcopo feria quarta Cinerum miniſtrare, non ad primam dignitatem, ſed ad Canonicum ea die celebrantem pertineat. Die decima Junii S. Congregatio Epiſcoporum decidit, quod Confeſſario clauſuram

Sæc. XVII. A. C. 1616.

Sæc. XVII. A. C. 1616.

ingrediente Moniales omnes ſecedere debeant, nec aliæ præſentes ſint, præter Superiores & illas, quæ eas comitantur: Ejusdem vero Menſis die decima ſeptima in S. Rituum Congregatione declaratum, quod Canonicus Hebdomadarius Officium peragens, locum habere debeat ante omnes dignitates, & Canonicos. Notanda etiam eſt S. Congregationis Epiſcoporum deciſio die decima nona Novembris emanata, qua declaratum, quod ſi peregrini habentes caſus non Reſervatos a ſuo Epiſcopo, confiteantur in itinere ſimplici Confeſſario ſubdito Epiſcopi caſus illos reſervantis, non queant abſolvi, atque irrita ſit ejusmodi abſolutio ſine licentia Ordinarii, ſecus vero ſi habuerint reſervatos a ſuo Epiſcopo, confitentes ſimplici Confeſſario ſubdito Epiſcopi non reſervantis. Denique die vigeſima Decembris ſtatutum, quod Sacerdotes Regulares nequeant excipere Confeſſiones Mulierum Tertii Ordinis de Pœnitentia, niſi fuerint ab Ordinario approbati ad audiendas ſæcularium confeſſiones.

§. CLV.

Illuſtrium Perſonarum obitus.

Merc. Gallob. t. 11. l. 2.

Inter Principes, qui hunc annum vitæ ſuæ poſtremum habuere, ſola recenſetur

Sæc. XVII. A. C. 1616.

setur Maria Anna Guilielmi Bavariæ Ducis, & Renatæ Lotharingiæ, Filia, quæ anno Domini milleſimo ſexcenteſimo Ferdinando II. deſponſata tres filios, duasque Filias reliquit, ac die octava Martii mortalitatem exuit, annos nata quadraginta duos. Die autem ſeptima Februarii Achiles Harlæus octoginta duos annos natus deceſſit. Hic omnes honorum gradus inoffenſo pede decurrens Pariſienſis Curiæ Præſes populum ab immodicis tributis exonerare ſatagebat, & quamvis Religioni Catholicæ addictiſſimus eſſet, nunquam tamen a Guiſio Duce ad *Ligiſtarum* partes pertrahi valuit, unde horum invidiam ſibi accerſens, ſparſo in vulgus rumore, quod in Guiſiorum necem conſpiraſſet, die decima ſexta Januarii anno Domini milleſimo quingenteſimo octogeſimo nono ab eis ad Baſtillæ carcerem abducebatur, inde nonniſi poſt Henrici III. obitum perſoluta decem aureorum millium mulcta liberatus: Priſtino igitur muneri reſtitutus, fervens Reipublicæ adminiſtrandæ ſtudium præſeferebat, nobiliori juxta ac ſaniori parti, populoque percarus, paucis vero ideo exoſus, eoquod Jeſuitarum e Regno expulſionem promoviſſet, ac intrepido animo eorum revocationi ponderata Regni tranquilli-

Bald. chron. moral. Gramon. Hiſt. Gall. l. 2. P. Daniel hiſt. de Franc.

Sæc. XVII. A. C. 1616.

tate obstitisset, ob quam in eos acerbitatem acriter perstrictus fuit a P. Juvenco, qui eum *novæ doctrinæ* Calvinianæ ni apertum, saltem occultum fuisse Patronum asserit, eumque annumerat illi *hominum generi, quod ubique Jesuitis inimicum & infestum est*, quamvis ejus orthodoxia omnibus perspecta a Parisiensi Senatu sub Ludovico XIV. Galliarum Rege strenue vindicata fuerit. Hæc autem vexatio constantem Harlæi animum frangere haud poterat, palam professus, quod Dei honorem, & Regis incolumitatem pluris haberet, quam propriam vitam: tandem vero senio, morbisque oppressus, Officio suo sponte decedens, privatamque agens vitam, quæsita solitudine velut in mortis præludium sese toto quinquennio ad finem vere Christianum accinxerat, postremum vitæ suæ momentum tranquille præstolatus.

P. Juvenc. Jes. in hist. Scc. l. 18. p. 5. n. 8. pag. 44.

§. CLVI.

Statuta Salisburgensia pro Clero.

Concil. Germ. Schanat pag. 264. tom. 4.

Postquam Marcus Sitticus Comes ab Hohems Archiepiscopus Salisburgensis Heterodoxos ex Universa Salisburgensi Provincia proturbaverat, totam suam diæcesin ipsus perlustrans, varia,

varia, eaque salutaria pro universo suo Clero decreta condidit, quæ hoc anno die septima Octobris confirmata iterato prælo subjecit: ex his duntaxat magis specialia adducemus. Primo igitur decrevit, ne Parochi unquam crimina subditorum mulcta pecuniaria plectere præsumant, nec hæreticorum doctrinas falsas, eorumque argumenta apud rude vulgus, nisi loci & temporis conditio requirat, in Concionibus referant. Præscriptum quoque, quod Medici & Ludimagistri, priusquam suo fungantur officio, Catholicæ fidei professionem emittant, Baptisteria vero ab Ecclesiarum medio ad Ecclesiæ ingressum transferantur, sicut & Altaria, si quæ sub suggestu vel organis sita sint, alio transferantur, vel omnino tollantur, si eorum fundationes id permittant. Sæc. XVII. A. C. 1616.

§. CLVII.

Viringi, Pitsii & Peregrini obitus.

Non pauci ex literatis hoc anno æternitatis viam ingredi cogebantur, quos inter recensendus venit celeber Medicinæ Professor, Sacerdos, & Canonicus. Erat is Joannes Valerius Viringus patria Lovanienſis, qui artem Medicam, quam in sua patria per plu- *Miræus Script. Sæc. XVII.*

Sæc. XVII. A. C. 1616. res annos publice profitebatur, non modo in ægrotorum solamen, sed & Theologorum eruditionem impendens quinque Medico-Ecclesiasticos tractatus Atrebati, cujus Ecclesiæ Canonicus erat, *de jejunio Ecclesiastico & Abstinentia* conscripsit, manifestumque reddidit, boni Medici & probi Theologi partes mutua scientiæ affinitate conjungi. Edidit quoque *Joannis Molani Diarium de Medicis Sanctis præter Epitomen Theatri Anatomici*. Obiit Bruxellis, cum Alberto & Isabellæ Belgarum Principibus a Sacris esset. Alter Liverdunensis Ecclesiæ Decanus ac Theologiæ Doctor erat Joannes Pitsius natione Anglus, patria Suthamptonensis, qui Wintoniæ literas humaniores, Oxonii Philosophiam artesque liberales didicit atque ex Anglia ad Rhemense Anglorum Collegium profectus, indeque Romam missus Historiis suæ gentis pervolvendis sedulo incubuit, & quatuor ampla volumina de Regibus, Episcopis, Apostolicis atque illustribus Viris conscripsit: edidit quoque tractatum de legibus, & beatitudine præter relationes historicas de illustribus Angliæ Scriptoribus: expiravit die decima sexta Octobris, quem eodem fato sequebatur in facultate Juridica celeberrimus Professor Marcus Antonius Peregrinus patria Vicentinus, qui

qui Reipublicæ Venetæ a consiliis, necnon Ordinis S. Marci Eques, ac Patavii Juris Ecclesiastici Professor septem libros edidit *de juribus & privilegiis*, atque *additiones ad Bartholum, de possessione & proprietate*, *de probationum substitutionibus*, *legitimationibus*, *& capacitate Monasterii* præter *decisiones Patavinas*, pluresque alios tractatus Juridicos. Decessit tandem octoginta sex annos natus die quinta Decembris. Sæc. XVII. A. C. 1616.

§. CLVIII.

Joannis de Valero Carthusiani decessus.

Æquiori jure Scriptoribus Ecclesiasticis, qui hoc anno obiere, accenseri meretur Joannes de Valero natione Hispanus, patria Valentinus ex civitate Segobriga. Hic Jurisprudentiæ laurea decoratus ad ejusdem urbis Canonicatum promovebatur: Sanctioris vero quietis studio animatus, aliquamdiu eremiticam ducebat vitam, forte autem ad Carthusiam *Scalæ Dei* profectus, hoc institutum profitebatur, ubi indesinenter orationi, aliisque piis exercitationibus vacans, tandem in Carthusia Majoricensi Insulæ Balearis die decima quarta Decembris plenus dierum ac meritorum appositus est ad Patres. Scrip-

Sæc. XVII. A. C. 1616. fit multos Codices miscellaneos, ac præcipue typis mandavit *differentias inter utrumque forum judiciale, & conscientiæ, annotationes in Biblia, in jus Canonicum, in Tridentinum Concilium, & in sui Ordinis statuta*, præter plurimos alios tractatus *Ascéticos*.

§. CLIX.

Petrus Ledesma ex Ord. F. F. Prædicatorum hoc anno defunctus.

Gratam posteris memoriam ob preclara profundæ eruditionis monumenta reliquit R. P. Petrus de Ledesma Dominicanus, qui Salmanticæ in Hispania natus per quadraginta omnino annos in præcipuis, publicisque Regni Gymnasiis Sacras literas cum summo Auditorum applausu & proventu tradidit, pariterque Salmanticæ S. Thomæ Cathedram perpetuo a Dominicanis regendam auctoritate Regia erexit, ubi etiam nona Septembris die vivere desiit. Elucubrabat tractatus de Sacramento Matrimonii, de Divinæ gratiæ auxiliis, de divina perfectione, & in primam & secundam partem summæ D. Thomæ: Hunc authorem quidam æmuli velut *Probabilismi* Patronum traducunt, non attendentes, quod quamvis docuerit ante damnatam ab Innocentio XI. propositio-

positionem, *licere Judici opinionem probabilem sequi relicta probabiliori*, diserte tamen statuerit, id non licere, si *per aliquam legem positivam* ad sequendam probabiliorem adstringatur. Sæc. XVII. A. C. 1616.

§. CLX.

Leonardi Hutteri interitus.

Ex Lutheranæ sectæ Scriptoribus prior, qui hunc annum sibi exitialem habuit, erat Leonardus Hutterus patria Ulmensis, qui Argentorati Magister creatus, ac inde Lipsiam, Heidelbergam & Jenam profectus, demum Wittembergæ Theologiam professus est, ubi etiam anno ætatis suæ quinquagesimo tertio obiit: Erat Luthero addictissimus, forte, quia ejus nomen per anagramatis lusum idem sonabat ac *Redonatus Lutherus*; e contrario Calvinismum acriter impugnabat, & speciatim adversus Rudolphi Hospiniani Concordiam discordem Scriptor evasit classicus: Arguitur quoque, quod contra Samuelem Huberum ex Calvinistis ad Lutheranos profugum circa doctrinam de gratia universali omnes moderationis limites excesserit, & unacum suis assectis adversarium suum non modo hæretici convitio lacessiverit, sed etiam auctor exstiterit, ut ipse officio suo statim amo-

Sæc. XVII. A. C. 1616.

amotus, & ignominioſe toto Saxoniæ Electoratu ejectus atque excommunicatus fuerit, quamvis ipſemet Hutterus faſſus eſſet, quod error præcipuus in ἀκυρολογίᾳ & ambiguo, nimisque aſpero vocis *electionis divinæ* uſu ſteterit: aſt hæc erat in Lutheri Eccleſia, inquit quidam ex proteſtantibus, illorum temporum infelicitas, ut nullum plane in leviſſimis diſſenſum nonnunquam ferre potuerint Theologi, & quaſi de ſumma & fundamento fidei ageretur, in ſe mutuo impetum fecerint, quod qui negare audet, vel ignorat Seculi iſtius hiſtoriam, vel eodem præoccupatus eſt ſpiritu, vel ſtudio partium & perſonarum notorie indulget.

Vix autem fidem inveniet apud poſteros, quantis inſectationibus utraque pars ſcripta ſua repleverit? quo furore in alterutrum fuerint debacchati? in quod incendium verbalis hæc ſcintilla excreverit? iſthæc nempe certaminum non neceſſariorum ſunt commoda, iſti animorum militarium iram, bellum prælia potius, quam modeſtiam Theologicam & ſalutarem inter Chriſtianos pacem, ſpirantium fructus.

Pari etiam furore Huterus bilem ſuam effudit in Bellarminum, cujus libros *de Miſſa*, *de Perſona Chriſti* & *ſcripto Dei Verbo* refellere nitebatur. Scripſit etiam *actionem in Jacobum Gretſerum*

ſerum de Imperatorum in Sedem apoſtatico-Romanam munificentia, necnon *controverſias binas de S. Scriptura contra Jeſuitas, & de Perſona Chriſti contra Calviniſtas*, contra quos etiam elucubrabat ſuum *Calviniſtam Aulico-politicum*. Edidit quoque *diſputationes de formula concordiæ, explicationem planam libri Chriſtianæ concordiæ*, & *XL. diſputationes de articulis Auguſtanæ Confeſſionis & libri Concordiæ* præter *analyſin ſuam methodicam ejusdem confeſſionis*: Adverſus Catholicos ſuum vel maxime calamum exercuit, editis variis libris, quos inter præcipui erant, *loci communes contra Sacrificium Papale miſſaticum*, *triumphus de Regno Pontificio* & *Ilias malorum Regni pontificio-Romani*. Sæc. XVII. A. C. 1616.

§. CLXI.

Philippi Heilbruneri, & Scipionis Gentilis extrema.

Ejusdem ſectæ Scriptor pariter hoc anno die decima ſeptima Aprilis deceſſit Philippus Heilbrunerus Jacobi ejusdem nominis frater, qui Theologiæ Profeſſor ac Doctor Colloquio Ratisbonenſi interfuit, poſterisque reliquit *Synopſin variorum errorum*, librum *de innocentia Lutheri*, & *vaticinia Prophetarum in locos communes digeſta*. Alter erat Scipio Gentilis, natione Italus, qui infauſto

Sæc. XVII. A. C. 1616.

fausto Sydere ex Patre Acatholico genitus in Lutheri secta enutriebatur, variasque Regiones studiorum caussa pervagatus, atque Altdorffii Juris prudentiam professus, ibidem die septima Augusti mortalitatem exuit: Inter cetera ingenii sui monumenta exstat commentarius in Epistolam D. Pauli ad Philemonem: cetera, quæ typis edi curabat, ad jurisprudentiæ forum pertinent.

§. CLXII.

De unione Calvinistas inter & Lutheranos incassum a Pareo actum.

Jeger. Hist. Eccl. l. 4. c. 3.

Hoc anno David Pareus Heidelbergensis Theologus Calvinista librum edidit, cui titulus: *Irenicum seu de unione & Synodo*: Pollicebatur ibi magno verborum apparatu, quod omnes utriusque sectæ controversias tam dilucide moderarit, ut utriusque partis Theologi iis tutissime aquiescere possint: quæ tamen verba multo melle, largisque promissionibus referta virium tamen & veritatis parum habuisse, credebant Lutherani, ex quibus Sigwartus Tubingensis Professor hunc librum confutabat: Ceterum prætensæ hujus unionis medium fore proponebat Pareus, si Religionis dissidia ad Synodum generalem devolverentur, interim vero tam Luthe-

Lutherani quam Calviniſtæ alterutrius ſectæ dogmata pro ſtipulis infirmitatis humanæ fundamento ſuperſtructis æſtiment, & *tolerantiam* inducant, ex qua tandem concordia ſperari poſſet ex his rationibus I. quia inter ambos diſſenſio non eſt fundamentalis, ſed in uno tantum articulo *de Cœna*, & ne quidem de ejus doctrina tota, ſed tantum de ejus parte ad ſalutem non neceſſaria II. ex diſſenſu Papiſtarum averſio, Romanæ potentiæ incrementum, infirmorum offenſiones, &c. oriuntur III. controverſiæ inter S. Patres, Pontificios & Lutheranos exortæ ad concordiam redactæ ſunt, ea igitur inter Calviniſtas & Lutheranos quoque concilianda eſt. IV. Jam olim bina vice diſſidium Euchariſticum inter Lutheranos, & Zwinglianos compoſitum fuit, & Lutherani in Polonia & Bohemia ejusmodi unionem injerunt, & hactenus conſervarunt. V. Denique *Civilis* unio inter Principes & Ordines Lutheranos & Calviniſtas ſtabilita fuit, proin etiam *Theologi* ſe ipſos componere poſſent. Verum Sigwartus has rationes refellens oſtendit, quod ſtantibus Calviniſtarum *erroribus* talis unio ſperari non poſſit I. quia recte pugnat cum Miniſtrorum officio, cujus pars maxima eſt, ut infeſtis lupis gregi non parcentibus reſiſtant II. nullibi lega-

Sæc. XVII. A. C. 1616.

Sæc. XVII. A. C. 1616. legatur, quod veri Prophetæ cum falsis, vel Christus cum Phariſæis vel Scribis, aut viri Apoſtolici cum Pſeudo-Apoſtolis propter pacem terrenam in cauſſa Religionis unionem injerint. III. Deus in Vet. Teſtam. præcepit, ut ejus populus ſibi a confuſione diverſarum Religionum caveret. IV. Calviniſtæ hanc unionem non ſincere exoptant cum Lutheranis, quorum confeſſiones & Theologos multarum hæreſum & errorum accuſant. V. Hæc tolerantia, & ſyncretiſmus aptiſſimum eſt medium introducendi libertatem quidvis in cauſſa Religionis credendi; conceſſa enim hac tolerantia, protinus etiam licentia datur, hanc vel illam amplectendi Religionem. His ita expoſitis Parei motiva confutabat Sigwartus, ad primum negans, quod nullus ſit diſſenſus in articulis fidei fundamentalibus, cum diſſentiant in articulis de Deo, de lapſu hominis, de cauſſa peccati, de creatione hominis, de Sacramentis Baptiſmi, Cœnæ, necnon de Miniſterio, & certitudine ſalutis &c. Si enim nullus eſſet diſſenſus, cur Calviniſtæ ſuam duntaxat Eccleſiam vocant Orthodoxam, & Lutheranos ab Officiis in exilium deturbant? Ad ſecundum reſpondit, quod vel hoc diſſidium, non ſit cauſſa horum ſcandalorum, vel Calviniſtæ

nistæ ansam his scandalis per dissonas suas doctrinas dederint, non autem Lutherani, qui errores impugnarunt, & veritatem defenderunt: ad tertium repositit Sigwartus, quod dissensio inter Patres & Lutheranos non fuerit circa fidei articulos, sed diversos ritus, aut diversas textuum interpretationes, aut diversas phrases, modosque loquendi, quæ dissensio non rumpit amicitiam & fraternitatem spiritualem, integro manente vinculo charitatis & fidei fundamento: dein negabat, Lutheranos cum Zwinglianis aut Polonis consensisse, sed hos Augustanam confessionem ita variasse, ut in Calvinianam transmigrarit. Acriter autem hic Theologus invehebatur in Pareum, eoquod ausus esset asserere, quod liber Concordiæ nil aliud egerit, nisi ut discordantes Lutheri, Flacci, Brentianorumque opiniones populari incrustatione concordaret, & Sirupum ex tribus speciebus sibi invicem contrariis coqueret, *dum*, inquiebat Sigwartus, *hoc Pareus opponere audet, manifeste prodit, quanta in eo sit proclivitas ad calumniandum, quam infida invitatio ad pacem, quam nulla sinceritas in toto scripto!*

Sæc. XVII. A. C. 1616.

Ex his manifestum redditur, quod nec Calvinistæ cum Lutheranis, nec hi cum illis in rebus fidei plene conspirent

Sæc. XVII. A. C. 1617.

rent, eorumque collegia Irenica semper in irritum ceciderint, cum duntaxat Fraternitatis vinculo conjungantur, quando de opprimendis Catholicis agitur, uti in sequentium annorum Historica serie patebit.

§. CLXIII.

Controversia circa cultum B. V. Mariæ sine labe conceptæ in Hispaniæ Regno exorta.

Acta Philipp. III. pro imm. Concept. Luc. Waddirg. Fort. Hueber in Menob. pag. 2296. Sannig. chron. Ord. Menchard. Joann. a S. Mar. &c.

Referunt Ordinis Seraphici Scriptores, quod quidam ejusdem Instituti Alumnus, nomine Franciscus de S. Jacobo, Beatissimam Virginem sine labe conceptam singulari cultu prosecutus sit, eandemque his verbis: *Laudetur Immaculata Conceptio Mariæ*, salutandi morem in Hispania introduxerit, unde ipsam Beatam Virginem in Guadalupensi Conventu sibi dicentem audierit: *meæ Immaculatæ Conceptionis mysterium promove.* Ut ut sit circa hanc visionem, id omnino certum est, quod hæc quæstio jam sæculo decimo quarto exorta, ingentique contentione inter SS. Dominici, & Franciscí Alumnos agitata, nondum anno Domini supra millesimum sexcentesimo decimo sexto finem habuerit. Quamvis enim Basileense Con-

Sess. 36. anno 1439. die 15. Octob.

cilium sententiam de B. V. immaculata tan-

tanquam piam esse amplectendam definiens, contrarium prædicare vel docere prohibuisset, & Sixtus IV. Missam, horasque Canonicas de hoc festo dicentibus indulgentias (*) concessisset, necnon eos, qui piam sententiam sequentes hæresis vel noxæ læthalis insimulare præsumerent, anathematis pœnæ subjeciisset (**), nihilominus non defuere, qui præfati Pontificis decretum non de *naturali*, sed *spirituali* Conceptione, seu de Sanctificatione B. V. interpretarentur, hinc Alexander VI. hanc ipsam interpretationem reprobabat, demum vero Sixti IV. Constitutione a Tridentino Concilio confirmata, Pius V. relicta alterutram sententiam amplectendi, & in publicis disputationibus agitandi facultate, inhibuit, ne in popularibus concionibus de hujus controversiæ alterutra parte disputetur, aut oppositа veluti erronea perstringatur. Nondum tamen hæc decreta intempestivum quorumdam fervorem temperare poterant, ipso Philippo III. Hispaniarum Rege, necnon Petro de Castro Archiepiscopo piam

Sæc. XVII. A. C. 1617.

(*) Constit. quæ incipit: *Cum præ excelsa* & 1. Martii anno 1476.

(**) Alia Constit. cujus initium: *Grave nimis* die quarta Septembris 1483.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

sententiam tanto ardore tuentibus, ut Franciscani victoriam, & triumphum canerent, non sine magna aliorum, & præcipue quorumdam Dominicanorum indignatione; erant enim ex hoc Ordine nonnulli, qui sese acrius opposuerant, quamvis tota FF. Prædicatorum Religio pro pia hac sententia semper steterit, & plurimis decretis eam tueri præceperit, nullum vero unquam condiderit, quo ejus Alumni opinionem Præservationi repugnantem tueri, aut a S. Thomæ Aquinatis doctrina recedere juberentur, qui de hoc Mysterio ita differit (*): *Potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit, & talis fuit puritas B. V. quæ a peccato originali & actuali immunis fuit. Fuit tamen sub Deo in quantum erat in ea, potentia ad peccandum.* Ceterum ex mutua hac contentione tot exorta fuere scandala, ac tota fere Hispania in tam apertum exarsit dissidii incendium, ut Paulus V. (**) innovatis

(*) In Lib. I. sent. dist. 44. q. 1. art. 3. ad 3. in editione Lugdunensi Anno MDXX. recognita per F. Lambertum Campestrem Theol. Ord. Præd. & dicata Patri Marino Carolo ejusdem Ordinis Theologo insigni.

(**) Constit. quæ incipit: *Regis Pacifici* die 6. Julii anno 1616.

tis Sixti IV. & Pii V. Conſtitutionibus utrique parti ſilentium imponere coge- retur, donec a Sede Apoſtolica hæc controverſia fuerit definita: Verum ne ſic quidem pax coaleſcere potuit, quocirca Philippus Rex validius remedium eſſe adhibendum ratus, hoc anno Placidum de Toloſantes olim Benedictinorum in Hiſpania Generalem cum aliis duobus Romam ablegabat, ut tandem huic contentioni auctoritate Apoſtolica finis, modusque imponeretur: Hunc in finem igitur juſſu ſummi Pontificis Sacra Inquiſitio die trigeſima prima Auguſti decretum condidit, vi cujus inhibitum, ne ſententia de B. Virgine in originali concepta publice defenderetur, donec hæc quæſtio definita fuerit, ita tamen, verba ſunt hujus decreti (*), ut *per hujusmodi proviſionem Sanctitas ſua non intendat reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorſus præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem ſtatu & terminis, in quibus de præſenti reperitur, præterquam quoad ſupra diſpoſita.*

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Verum hoc ipſum decretum, cum in Hiſpania promulgaretur, ad tollendos tumultus minus efficax a nonnullis credebatur, atque inter eos præ-

(*) Vid. Bull. Magnum Tom. 3. Conſtit. 105. quæ incipit: *Sanctiſſimus.*

Sæc. XVII. A. C. 1617. cipue Episcopus Oxomensis edito libello demonstrare contendebat, quod hoc decretum majoribus scandalis occasionem præbere posset. I. Quia tantum se extendit ad casus in decreto contentos, proin amplum relinquat campum, ut prioribus Pontificum Constitutionibus in suo vigore relictis *quoad cetera* &c. puritas B. Virginis multis impugnaretur modis, verbis, & scriptis. II. Eo ipso, quod immaculatam Conceptionem propugnantibus prohibetur contrariæ oppugnatio, novæ oriri possent contentiones, quomodo hoc sit exequendum? III. Cum Papa citra fidei decreta errare valeat, semper ejus decreta siniſtris interpretationibus obnoxia sint, donec is controversiam definierit. Nihilominus Hispaniæ Rex omnes publicas solemnitates, & festiva lætitiæ signa, quæ hujus Mysterii Defensores jamjam paraverant, suspendi jussit; ut tamen privatæ eorum pietati consuleret, in Monasterio Divæ Claræ Sodalitatem in honorem Beatæ Virginis immaculatæ erigere, ac iterato Legatos Romam decernere statuit, eo fine, ut Papa opinionem contrariam omnino supprimi juberet, donec ultima obtineretur definitio: Hæc dum animo volutaret Rex, afferuntur Pontificis literæ, quibus is hoc consilium Regi

diſſua-

dissuadens addebat, quod jam *totum, quod posset*, hac in re præstiterit. Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CLXIV.

Philippi III. Hispaniæ Regis Legatio ad Papam pro obtinenda hujus quæstionis definitione.

Hoc tamen Pontificis responso nondum contentus Hispaniæ Rex, cum turbas variis in Regnis, urbibusque indies augeri cerneret, ex suorum consilio etiam legationem adornavit, ad quam selegit Antonium Tressium Carthaginensem Episcopum olim FF. Minorum Generalem, qui allatis literis Regiis Pontifici, nomine totius Regni Hispanici supplicaret, quatenus doctrinam de immaculata Conceptione definire vellet: Verum commendata Regis pietate respondit Pontifex, quod *nunc posset hac in controversia haud amplius præstare, præter id quod jam feciſſet, hæcque res maturiori consideratione indigeret.* Hoc tamen responso nequaquam territus Orator, libellum supplicem Pontifici porrexit, in quo complures congesserat rationes, quibus Papam ad definiendam hanc quæstionem permovere nitebatur; cum autem non deessent, qui Regis Catholici preces male interpretarentur, perinde ac si in re mere

Luc. Waddig. legat. Philipp. ad Paul. V. Khevenhill. t. 9. p. 268.

Sæc. XVII. A. C. 1617. Eccleſiaſtica Pontifici vim inferre vellet, hinc Orator, adverſus eos prolixam concinnabat apologiam, cui etiam addidit Paræneſin ad Paulum V. quem poſtremis verbis ita alloquebatur: *Conſidera plurium animarum jacturam, Eccleſiæ diſcordiam, diſſidia civitatum, magnorumque imminentia pericula Regnorum, quibus tu ſolus obviare potes & vales.* Verum Pontifex, qui ſe id quidem poſſe, minus tamen expedire, nec id pro hoc tempore neceſſarium eſſe noverat, perſtitit in ſua ſententia, ſubjungens, ſi poſt tot decreta adhuc evenirent ſcandala, id ex Judicum Eccleſiaſticorum ſocordia, & Miniſtrorum negligentia provenire, ſe tamen curaturum, ut abuſus illi, auſusque immodici punirentur. Nihilominus tertiam orationem Pontifici obtulit Orator, in qua præcipue, hæreticos ex Catholicorum diſſidio circa cultum B. V. graviter offendi, perurgebat: ad hæc repoſuit Pontifex, quod hæreticorum ora minime obturari poſſent, ſive ipſe hanc quæſtionem definiret, ſive non: de cetero oppoſitæ ſententiæ Patronis, opinionem ſuam plurium Sanctorum Patrum teſtimoniis probare parati forent, proin haud expediret, illos inauditos, invitosque ad amplectendam oppoſitam ſententiam compellere. Cum igitur Orator

tor hæc intellexiſſet, pollicitus eſt, ſe oſtenſurum, quod contraria opinio menti Sanctorum Patrum adverſaretur: cum vero haud ignoraret, quod ejus Adverſarii tela ſua ex libro Fratris Petri de Vincentia Dominicani, & hic ex duplici libello Vincentii Bandelli itidem Dominicani deſumpſerint, hinc utrumque librum proſcribi petiit, cui tamen Pontifex repoſuit, ſufficere conſtitutionem Sixti IV. nec conſultum eſſe, quicquam ea in re innovare, ſatiusque fore, hoc calamitoſo & turbulento Imperii Germanici ſtatu domeſticæ paci incumbere, quam novi aliquid moliri, quod inteſtinos tumultus ac rumores poſſet augere. Inſtabat tamen Orator, variis oblatis tractatibus, quibus ſuam ſententiam firmioribus, quam oppoſitam, inniti rationibus, hancque controverſiam poſſe definiri, pluribus argumentis oſtendere nitebatur: Reſpondit autem Pontifex, *manifeſtius eſſe, hanc controverſiam eſſe definibilem, quam ut multis argumentis probaretur, . . . ſe etiam probe ſcire, quid poſſit, nec agi nunc de ſua, ut definiat, poteſtate, ſed de convenientia, ac neceſſitate, in re autem tanti momenti, lento greſſu incedendum eſſe.*

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A.C. 1617.

§. CLXV.

Tertia Legatio Hiſpaniæ Regis ad Papam in eadem cauſſa.

Legat. Philippi III. ad Paulum V. & Greg. XV. per Luc. Wadd. pag. 43.

Cum ex dilatione definitionis in Hiſpania diſſenſiones recrudeſcerent, Rex Albuquercium Ducem ad Papam eandem ob cauſſam ablegare ſtatuit, qui etiam ineunte anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo Romam veniens, literas Regias Carthagienſi Epiſcopo Oratori ſuo tradidit, vi quarum hic a ſua legatione in Hiſpaniam revocabatur, cum autem interea Epiſcopus alias a Rege recepiſſet literas, quibus Philippus III. dilaudata ipſius ſollicitudine eum ad procurandum cauſſæ exitum urgebat, hinc ambo Oratores datis ad Regem literis nova depoſcebant mandata, quibus allatis Epiſcopus Menſe Majo in Hiſpaniam reverti jubebatur. Albuquercius igitur conſorte ſuo liberatus, primo querebatur, quod Magiſter Sacri Palatii non modo prohibuiſſet, ne deinceps numiſmata cum hac inſcriptione: *Concepta ſine peccato originali* cuderentur, ſed etiam quæcunque cuſa repererat, ærario publico addixiſſet: Verum reſpondit Pontifex, id factum eſſe, eoquod ejusmodi numiſmata ſine prævia facultate cuſa fuiſſent, ac inde rudiores controverſiam eſſe definitam, jacti-

jactitandi ansam arripuissent: nihilominus instante Oratore Pontifex hujus rei discussionem Corbellio Cardinali commisit, qui hausta rei cognitione Pontifici referebat, posse hanc concedi facultatem, dummodo in inscriptione hæc adderentur verba: *uti pie creditur*: Prætermisso autem hoc litigio Albuquercius de præcipuo negotio agendum ratus, pro obtinenda caussæ definitione impensius instabat, idem tamen semper responsum, quod Episcopus, etiam ipse obtinuit, rem hanc non ex illarum genere esse, quæ diligentia mere humana perfici possent, vel quos ob amicitiam, aut importunas hominum preces, vel Regum potentias liceret illico concedi, donec Spiritus Sanctus ex alto infudisset, proin in controversia tam gravi, graviter quoque & mature deliberandum, necnon opportunius expectandum esse tempus: Cum ergo Orator de prospero negotii sui exitu desperaret, acceptisque a Rege literis reditum in Hispaniam maturare jussus esset, Pontifici tractatum obtulit, in quo variis exemplis demonstrare nitebatur, quod summi Pontifices quorumdam revelationibus innixi quondam definierint: Verum hic Orator non attendebat, quod impræsentiarum de negotio tanquam *fidei articulo* declarando ageretur, in allatis

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

latis autem exemplis Pontifices probatis ejusmodi revelationibus duntaxat *pro instituendo quodam ritu vel festo* usi fuerint: Alio postea tractatu Orator scandala ex hoc dissidio enata, cum Adversarii ea aut exorta negarent, aut sopita fuisse dicerent, adhucdum invalescere comprobabat.

Jæger Hist. Eccl. l. 6. c. 6. Ferrar. Hist. Hisp. cap. 2. p. 333. t. 11.

Ceterum prorsus insulse Sectarii de hoc inter Catholicos dissidio tripudiant, ac per ludibrium sœpius in suis libris hoc inculcant: *Pontifex Romanus adhuc mutus est, & expectat revelationem a Spiritu Sancto, qui tamen venire adhuc cunctatur &c.*

Verum inconditi ejusmodi sales eorum imputandi sunt ignorantiæ; dum discrimen inter capita fidei, & disciplinæ statuere aut nesciunt, aut non volunt: Agebatur duntaxat de conclusione Theologica, quæ sola *definibilis* erat tanquam vera & certa: ut autem declararetur tanquam *fidei articulus*, requireretur universalis Ecclesiæ consensus, & prævie habita matura rei discussio & consultatio &c. nec unquam Pontifices ad declarandum fidei articulum solis Principum minis aut piorum precibus vel devotione, aut indiscretorum tumultibus permoti fuere: proin Heterodoxi hoc Catholicorum litigio nequaquam suas in eorum Ecclesiis exortas

ortas dissensiones honestare valent; præterquam enim, quod plerumque apud ipsos actum fuerit de controversiis circa certos fidei articulos, insuper nos inter & ipsos hoc versatur discrimen, quod quamprimum Ecclesia ejusque Caput hanc quæstionem tanquam fidei articulum declarasset, totus Orbis Catholicus illum tanquam dogma a Spiritu Sancto Ecclesiæ suæ revelatum communi obsequio acceptasset: econtra vero etsi ipsorum Spiritus Sanctus, sacra Scriptura, Concilia, vel Principes, Magistratus vel Ministri controversam aliquam quæstionem tanquam de fide definiissent, oppositæ tamen sententiæ Patroni ejusmodi definitioni minime standum censerent, sed sibi utpote æquali Spiritus Sancti, necnon S. Scripturæ lumine perfusis suam sententiam præferre, integrum esse reputarent. Consulantur Synodi Dordracensis Decreta, necnon edictum Ord. Hollandiæ & Westfrisiæ, aliaque Religionis Calvinianæ & Lutheranæ dissidia. Porro in hac controversia, quidcunque Pontifex egisset, semper Sectarii ansam cavillandi captassent; postquam enim eam non definierat, eum tanquam mutum, ac Spiritu Sancto destitutum traducunt: si vero definiisset, novorum fidei articulorum fabricatorem suggilassent, qui dun-

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Vid. supra L. CXC. §. 142. pag. 545.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

duntaxat ad Principum, plebisque arbitrium fidem novis articulis auxiſſet: nunc ſaltem non ſine propria confuſione fateri coguntur, quod Pontifices nec temere nec tunc, *cum libet*, novos fidei articulos condant, uti falſo Catholicis exprobabat Anglicæ Apologiæ Author, (*) ſed non niſi eos, quos Eccleſia in Verbo Dei ſcripto contineri agnoſcit, tanquam fidei articulos accedente univerſali Eccleſiæ conſenſu declarent, ac proponant.

§. CLXVI.

Plures Academiæ, urbesque piam ſententiam tuendi voto ſeſe obſtringentes.

Argentre collect. jud. tom. 3. pag. 190.

Cauſa hac nondum definita plures Academiæ, Regna urbesque pro ſua, qua ferebantur, pietate erga B. Virginem ſeſe juramentis promiſſoriis, non autem aſſertoriis, ut Scholæ loquuntur, cultum, veritatemque immaculatæ ejus Conceptionis tuendi votis adſtrinxere. Prævolabat religioſo hoc fervore ceteris Pariſina Univerſitas, quæ jam ante Baſileenſe Concilium anno Chri-

(*) Vid. ſupra Jacobi I. Apologiam pro juramento, lib. 187. Hiſt. Eccleſ. Fleurii tom. 54. §. 8. pag. 31.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Christi milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſexto, & quinquageſimo poſt anno inhibuit, ne ſententia piæ opinioni oppoſita in ſcholis traderetur; anno autem Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo a Doctoratus laurea excluſit omnes, qui hoc myſterium, ſe acerrime defenſuros, jurato non promiſiſſent, ac propterea Monteſono, & poſtea Maldonato Jeſuitæ, qui hujus ſententiæ certitudinem negabant, non leve faceſſivit negotium. Celeberrimæ hujus Academiæ exemplum ſequebatur anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono Colonienſis, & biennio poſt Moguntina: Anno autem hujus ſæculi decimo ſeptimo Complutenſis juratum ejusmodi votum emittebat: Præterea Philippus III. hujus voti diſcuſſionem commiſerat Salmanticenſis etiam Academiæ Magiſtris, qui re per plures Menſes examinata tandem die decima ſeptima Septembris decreverunt, ut tertia Dominica Octobris anno ſequenti tota Academia ejusmodi voto ſeſe obſtringeret: unde omnes omnino Clerici, ac Religioſi præſtituta die unacum Epiſcopo Franciſco de Mendoza ab Eccleſia Cathedrali ad Monaſterium Sanctæ Urſulæ progreſſi nomine totius univerſitatis jurejurando polliciti ſunt, quod *Beatiſſimam Virginem a primo Con-*

Lamprid. c. 9. pag. 65.

Sæc. XVII. A. C. 1617. *Conceptionis instanti ab originaria labe præservatam, ac perpetuo immunem fuisse, tam privatim quam publice asserere, defendere ac prædicare velint, nullusque unquam ad Academiæ gradum admitteretur, nisi qui huic voto eadem mentis sententia suffragatus, & semper tam publice quam privatim se suffragaturum juramento adstrinxerit.* Idem juramentum eodem anno præstitit Universitas Granatensis, & anno Christi millesimo sexcentesimo decimo octavo die octava Decembris Neapolitani Regni Status solemne ejusmodi juramentum hoc tenore Beatæ Virgini exsolvebant: „Nos Petrus Giron Dux „Osunæ, atque in Regno Neapolitano „Prorex, & venerabilis Universitas Stu„diorum Regiorum, necnon Consilia „Ministrorum, ac Militia peditum in „hac civitate consistentes, Sacrarum „literarum, Sanctorum Conciliorum, Tri„denti præsertim, SS. Romanorum „Pontificum, ac Beatissimi D. N. Pauli „divina providentia Papæ V. de tuæ „gloriæ amplificatione benemeriti, Pro„batissimorum Patrum, universo fere „jam populo plaudente, vestigiis in„hærentes, in hoc tibi sacro Templo, „in hac nobis læta & fausta festivitate, „per merita Filii tui, te jam ab ipsa æ„ternitate sine originali peccato prævi„sam, & præservatam confitemur, te„stamur-

„ſtamurque, Deum & Filium tuum, nos „hanc ſententiam de tua ab originali „peccato præſervatione, noſtro jam du- „dum inſitam pectori, Deo inſpirante, „conſtantiſſime ad ultimum vitæ ſpiri- „tum retenturos: hoc publice, hoc pri- „vatim docebimus: hæc eadem a no- „ſtris ſubditis, & a ceteris omnibus „(quantum in nobis fuerit) teneri & „doceri, Deo adjuvante curabimus, „ita vovemus, ita ſpondemus, ita ju- „ramus. Sic nos Deus adjuvet, & „hæc Sancta Dei Evangelia, quam aſ- „ſertionem, votum & juramentum ad „pedes S. D. N. Pauli Papæ V. ſubmit- „timus, ut hæc omnia Apoſtolica be- „nedictione promovere dignetur. Sæc. XVII. A. C. 1617.

„Tu ergo o felix, o ſumme felix, quæ „ab initio & ante ſæcula ab ipſo Deo „electa, & præſervata fuiſti, Beatiſſi- „ma Virgo, eundem Sanctiſſimum Do- „minum noſtrum Paulum diuturnitate „pacis, & felicitate amplifica, & Ca- „tholicum Regem noſtrum Philippum „tuæ ſine peccato Conceptioni addi- „ctum omnibus bonis accumula, & „longævæ Senectutis Imperii, & juſti- „tiæ gloria exorna, nobisque omnibus „animorum puritatem, ac peccati de- „teſtationem impetrare digneris.„ Pari quoque Religione poſtea anno Salutis noſtræ milleſimo ſexcenteſimo quadra-

Sæc. XVII. A. C. 1617.

gesimo nono Viennensis, & quadragesimo octavo post anno Salisburgensis Universitas suam pietatem Beatæ Virgini immaculatæ devovit. His accessere omnia Hispaniæ & Lusitaniæ Regna, Ordines Equestres, necnon integræ Civitates, Ecclesiæ Cathedrales unacum suis Archiepiscopis, atque Episcopis, necnon plurima Monasteria & Congregationes per totum pene orbem Christianum diffusæ: Speciali tamen mentione dignum est votum, quo Polonia sese obstrinxit, profitens, quod *pro hoc mysterio mori parata sit, martyrium subire & sanguinem profundere*, quam promissionem his verbis firmat Polonus: *sic me Deus omnipotens ubique existens adjuvet, & Passio D. N. Jesu Christi. Amen.* Hoc tamen votum, quod *sanguinarium* vocant, non pauci in dubium vocarunt, illudque ut Pontificia auctoritate irritaretur, efficere incassum conati sunt. Hos inter primi fuisse videntur Bandellus, & Cajetanus, ac noviſſime Ludovicus Muratorius, qui primo sub Lamindi Pritani postea Lampridii, ac demum Ferdinandi Valdesii nomine delitescere voluit. Hos autem a Francisco Vera, plurimisque aliis satis superque confutatos, *omnesque libros, conciones, disputationes, & tractatus impressos post annum* 1617. *in quibus asseri-*

Tract. 2. *contra imm. Concept. p.* 2. *rat.* 12. *tract. de Concept. c.* 5.

asseritur, B. V. in originali peccato fuisse conceptam, ad librorum prohibitorum Indicem fuisse rejectos novimus. Hujus vero concertationis exitus ad annum Domini millesimum sexcentesimum vigesimum primum referetur. Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CLXVII.

Quidam ex Franciæ Principibus a Rege proscripti.

Nec magis pacatæ erant Galliarum res; cum enim nec Ancræus Marescallus honore ac vita privatus, nec Condæus libertati assertus esset, adeo non sincera, firmaque Principum reconciliatio sperari poterat, ut potius Bullionius, Nivernius, Mayenius aliique Duces ac Principes denuo arma pararent. Inde Rex ad iracundiam provocatus, ineunte Mense Januario Lutetiæ Parisiorum edictum adversus Nivernensem Ducem promulgari jussit, eumque, exprobrata perduellionis culpa, dignitate, ac honoribus, officiisque spoliatum, tanquam rebellem, pacisque publicæ perturbatorem ex universo Regno proscripsit, nisi intra quatuordecim dierum spatium ipsemet coram Rege compareret, factorumque rationem redderet, ac dimisso, quem in Condæi opem conscripsisset, milite

Merc. Gallob. tom. 11. *lib.* 3. *Calmet Hist. Univ, l.* 151.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

extero, a perversis machinationibus recederet. Hoc Regis edictum in Parisiensi Senatu die decima septima ejusdem Mensis ad acta fuit relatum; accusabatur enim Nivernius Dux, quod Regios milites, quibus præerat, sacramento adegerit, ut ipsum adversus quoscunque defenderent, & præterea sine Regis jussu ingentem exercitum, quocum Praslinium ad occupandam S. Menehildis urbem a Rege emissum profligaret, conscripserit, & Catalaunum in Campania intercipere molitus fuerit. Verum Nivernius Dux comperto proscriptionis edicto suam agendi rationem in vulgus sparso quodam rescripto, quod die trigesima Januarii ad Regem miserat, vindicare satagebat; ipsius quoque uxor Vindocinensem, Mayenium, Bullionium Duces, & Marchionem Cuvrium, Leiayum Præsidem, aliosque quamplurimos Franciæ Proceres, qui ad Suessiones convenerant, ad suas partes pertraxit, militesque in Mariti sui opem conscripsit. Aucto igitur seditionis periculo Rex severitate utendum ratus, præfatos Principes, interminatis omnibus perduellium pœnis, denuo proscripsit, eisdem exprobrans, quod capto Condæo sumptibus Provinciarum, quas Regio nomine administrant, milites conscripserint,

rint, ac iterato violata fide proſcriptum Nivernium Ducem protegere, Regii mandati executores vi propellere, collectasque ærarii Regii pecunias deprædari præſumpſerint. Ex adverſo Principes divulgato per univerſam Europam ſcripto actionum ſuarum integritatem manifeſtare nitebantur, declarantes, quod unice ad opprimendam Ancræi Mareſcalli, ejusque conjugis tyrannidem, necnon ad tuendam Regis ſalutem, & honorem, Regnique utilitatem arma paraſſent. Huic declarationi, in qua tota ſeditionis culpa in Ancræum rejiciebatur, ſubſcripſerant Cæſar Vindocinenſis, Henricus Mayenius & Bullionius Duces, totaque cum ipſis Nobilitas: adſtipulabatur quoque vulgus, atque effræni licentia in Ancræum, velut omnis mali Authorem, necnon in Regem tanquam nudum Majeſtatis ſimulacrum, & Ancræi mancipium publicos effundebat queſtus, atque indignationes: Increbreſcente autem indies procacitate, Ancræus in illorum perniciem, qui liberiorem in ejus, ſuæque Conjugis geſta, linquam ſolviſſent, plura per urbem patibula erigi juſſit, poſtea ubi in tumultus Auctores inquiſitum, non pauci carceris, alii mortis ſupplicio affecti ſunt, quos inter Stuartus Nobilis Scotus & Hurteno-

Sæc. XVII. A.C. 1617.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

tius Baro, laqueo mulctati sunt, ille quidem, quod Principum partibus adhæreret, hic quod Ancræi detrectasset imperium: Variensis quoque, qui regia hucusque sigilla custodiebat, eadem Regi restituit, suis in literis, quas ad Regem dederat, declarans, quod satius esset ab officiis publicis semoveri, quam cernere, quomodo Rex a perfidis prodatur, & sileat, fortassis ex metu, ne inobediens videretur iis, qui ei obedire tenerentur. Insuper die undecima Januarii Mayenii Dux misso ad Regem Legato de illatis sibi injuriis graviter querebatur, Bullionius vero die decima quarta Januarii ad Regis literas respondens, sibi per summam calumniam imputari ajebat, perinde acsi cum extraneis contra Regem conspirasset, & in Belgium quosdam, qui Regis consilia præpedirent, decrevisset. Denique ineunte Mense Februario omnes Franciæ Principes, postquam in Comitiis apud Suessiones habitis responsum Regis ad Mayenii literas perlegissent, Ludovicum XIII. de remediis ad reddendam pacem adhibendis commonebant, exponentes, quod Ancræi superbia, & inexplebilis avaritia conjugis suæ, unica malorum caussa esset, auxilium vero, remediumque ad totam Galliam ab intolerabili servitute liberan-

randam in Regis manu positum foret, nisi ergo hos duos, ejusque assectas ex consortio Regis, ac Reginæ Matris exterminaverit, gravissimum inde damnum secuturum sit. Paulopost die sexta Februarii Nivernii Dux ad Regem literas dedit, in quibus petebat, ut Rex interposita sua auctoritate impedire velit, ne ipse Ancræo, eique adhærentibus, sed duntaxat Principibus & Franciæ Paribus ad id convocatis judicandus permitteretur, cum paratus esset horum judicio sese submittere, ut ita & innocentia sua, hostiumque suorum malitia prodatur. Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CLXVIII.

Declaratio Franciæ Principum adversus Ancræum, ejusque Consortes.

Promulgata proscriptione Principes plurimas Perthici, Cenomani, Normaniæ & Campaniæ urbes, arcesque occuparunt; ut ergo Rex magis periculosos motæ seditionis progressus sisteret, copias suas in tria divisit agmina, Guisio in Campaniam, Montignio in Nivernium, & Alverniæ Comite in Suessiones irrumpere jussis. Præcipua belli moles ad Portianam arcem erat, quam Guisius crebra tormentorum explo- *Gramond. l. c. Calmet Hist. Univ. l. 151. n. 9.*

Sæc. XVII. A. C. 1617.

plosione ad deditionem die trigesima Aprilis compulit, pactis hisce legibus. I. Regi munimenta castrumque unacum bellico apparatu reddatur. II. Salvis impedimentis præsidiarii excedant armati. III. Adigantur sacramento, armis ut abstineant in Regem suum, toto trimestri abhinc numerando: postremus hic articulus plerisque bilem movit, perinde acsi expleto hoc trimestri, militibus belli in Regem movendi facultas data esset, unde illatum, Regem ipsum auctorem esse Rebellionis, bellique civilis: adeo prævalebat eo tempore obsequii modus in arbitrio subditorum positus: Occupata hac arce Guisius motis ad Retellios castris urbem post octidui expeditionem deditione cepit, pluribus aliis locis in Regis potestatem revocatis: sola Nivernensis Ducis Conjux, forti animo fœmina, Nivernum urbem, cui se incluserat, magnanimitate sexus sui conditionem excedente, adversus omnes Montignii insultus tamdiu strenue propugnabat, donec fama de Ancræi cæde ad ejus aures perveniisset, qua cognita apertis urbis suæ portis Montignium, ut cum Regio exercitu intraret, rogabat: pari etiam promptitudine Mayenius Dux, qui ingenti prius strage regias Alverniæ Comitis copias fuderat, ad Ancræi truci-

trucidati nuntium Sueſſionenſem urbem ultro tradidit. Priusquam vero hoſtis ille publicus, qualem hi Principes reputabant, communis fere indignationis victima cecidiſſet, rurſus Lutetiæ Pariſiorum divulgabatur diploma, in quo præfati Principes adverſus Ancræum Mareſcallum, ejusque conjugem vehementer declamabant, exponentes, quod Itali hujus nominis humili loco nati avaritia, & regnandi libidine Condæus in vincula conjectus, Principes alii, iique Regi ſuo fideliſſimi officiis ſuis amoti, & perverſis ejusdem nefarii machinationibus proſcriptionis pœna mulctati fuerint, ipſe vero ſolus ceteris e medio ſublatis, aulaque depulſis, & Pariſienſi Senatu ferme oppreſſo ad Regni clavum ſedere ambiat, atque omnia Sacra & profana ad ſe unum pertrahens, ipſum quoque Regem nonniſi inani titulo gratis relicto, ſuæ ambitioni obnoxium faciat, & Regii Sanguinis Principes non alia ex cauſſa, niſi quod cervicem ejus ſicariis præbere noluerint, atque perverſis ejusdem conatibus obſtiterint, ſtructis undique eorum vitæ inſidiis inſequatur, imo libertatem, ipſasque oppreſſorum querelas ſua ſub poteſtate habeat, cum vel ingemiſcere crimen oppreſſis eſſet. His addebant, quod Ancræus, ejus-

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A.C. 1617.

que uxor de vitæ Regis fratrisque tui ſpatio ac diuturnitate Medicum Montaltum, Magos & Ariolos interrogarint, forte etiam veneficis ſuis artibus utrique finem vitæ conſtituentes. Ancræus vero cum Hiſpanis, ut ſi e Galliis adverſa tempeſtate fors deturbetur, ſecurum ibidem haberet aſylum, clandeſtina foverit conſilia, eumque in finem exterum militem in præſidia finitima introduxerit, novumque in Belgio exercitum collegerit. *His aliisque de cauſſis*, inquiebant Principes, *omnibus, & ſingulis teſtamur, quod extrema neceſſitate coacti, oppreſſam ab Ancræo, ejusque Sociis libertatem, Regis, Regnique Majeſtatem vindicare decreverimus, hortamurque omnes, qui ſe genuinos Gallos profitentur, noſtris accedant partibus, relictoque Ancræi ſtudio ad obedientiam Regi, Regnoque debitam revertantur: Hoc ſi neglexerint, omnem miſeriarum, quas in hoc bello perpeſſuri ſint, cauſſam ſibimetipſis adſcribant: Eadem enim cum iis, qui tanta facinora vel tacendo approbarunt, vel connivendo promoverunt, pœna dignos eſſe, literis hiſce publicis conſtanter aſſeveramus.*

§. CLXIX.

Ancræus Mareſcallus Rege conſcio e medio ſublatus.

Divul-

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Divulgata hac Principum declaratione, ſub idem ferme tempus Ancræus ex Pontarqueo, arx eſt ad Sequanam Lutetiæ imminens, datis ad Regem literis hæc eidem expoſuit: *diſſimili ratione ab iis, qui Regi ſuo operas locant ex conducto, memet obtuli unacum octingentis cataphractis, & ſex millibus peditum impenſis meis conductis. En fidem exſolvo, militant tibi inpræſens, mihi merent ſtipendia ter mille & ducenti Leodienſes, bis mille & ducenti, Galli equites octingenti: ibunt armati quocunque juſſeris, illis ego Dux, aut comes ero: mihi abunde erit, ſi probas auſum, expectabo mandata, qualia dederis.* Plerisque diſplicuit Ancræi audacia, faſtus & arrogantia offerentis e penu ſua, quæ aut prius a Rege ſuffuratus, aut ex publico ærario brevi reſarciturus eſſet: ita conjectabant, qui Ancræo offenſi erant, aliis, paucis tamen, ejusdem pro Regis ſalute ſtudium deprædicantibus. Cæterum Ancræus pericula, quæ interim ipſi ab aliis imminebant, aut ignorabat, aut Reginæ Matris potentia, gratiaque tutus, contemnebat; unde haud exſpectato Regis reſponſo poſt Veris initium ipſus Lutetiam revertebatur, paulo poſt ſine omni metu inde profectus. Jam antea autem non pauci, aut Regni calamitatem miſerti, aut odio in Ancræum incitati, Regem de

Hiſt. du Parlem. c. 48. Merc. Gallob. tom. II. l. 4. Gramond. & Calmet. l. c.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

de omnibus, quæ ipso inscio, ac sæpius invito in Regno agerentur, erudiebant, quibus tempestive supervenerat Cadenetus Luynæus Regis cliens in paucis carus Avenionensis Nobilis, qui Regi tum nonnisi sexdecim cum dimidio annos nato in ludos, & venaticas exercitationes admotus, primum diffidentiam, dein odium in Conchinum Ancræi Marescallum Regi insinuabat, ex hujus tamen colloquio, ac repetita Principum, aliorumque querela Rex velut ex alto somno expergefactus, malo remedium opponere, serio statuit: Luynæus vero animadvertens grata esse, quæ diceret, acrius instabat: atque opportunam ex Ancræi absentia occasionem nactus, eo liberius Regi exponebat, quod ob supremam Ancræi auctoritatem ipse non nisi mutum Regiæ dignitatis simulacrum, omniumque, quæ in Regno gererentur, penitus ignarus esset, Ancræus autem præcipuas arces ad Regni confinia, ut inde potentius minitaretur, possideret, exhaustoque tributis populo, urbibusque desolatis bello, quo Regnum premitur, & Principes in Regem exardescunt, ipse flammas subjecerit, quin unquam pax sperari possit, nisi Ancræus totius Regni pestis e medio tollatur; proin Rex aut illum occidi, aut judicii acta in eum a Se-

a Senatu inſtrui juberet: His perceptis Rex ea, qua præditus erat, moderatione Ancræum comprehendi, atque ex legum præſcripto judicari maluit; ut vero Reginam, ceterosque eidem faventes falleret, ſi quando de Ancræo, vel ejus adminiſtratione ſermo inciderat, ipſius fidem, animumque deprædicabat, utque ſuum attingeret propoſitum, manifeſtius, quam antea abſenti Ancræo adblandiebatur, donec incautus in caſſes rueret: Porro rei exequendæ negotium datur Vitrio Regii Satellitii Præfecto, qui prima arcis Regiæ atria ſubeunti, verbis præter morem aſperis, inque minas flexis moram indiceret, obluctanti vero vim inferret: uti decretum, ita & evenit. Illuxerat Aprilis dies vigeſimus quartus, cum infelix Ancræus (incertum, an tunc accerſitus, vel ultro adventans) octoginta ferme Nobilium comitatu ſtipatus, Luparam, ubi tum Rex, & Regina ejus Mater cum Ancræi conjuge Galligaya ſe tenebant, ingrederetur, ubi vero cum ſuis primam Regiæ portam attigerat, eam præter ſolitum occluſam reperiens admiſſis nonniſi duobus famulis per oſtiolum majori portæ inſertum ſeſe intrudit, regem adhuc ſtrato attineri ratus: Præſtolabatur eum in Regiæ atrio Vitrius unacum Haliero fratre ſuo, ceteraque

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A.C. 1617.

raque prætorianorum fistulis æneis armatorum manu. Ut primum in conspectum Ancræus venit, obvius ac prior Vitrius, *siste gradum*, acclamat, *Regisque jussu hic illico vel arma pone, vel vitam.* Ad hæc Ancræus indignanter admirabundus, reflexo aliquantulum vestigio: *Quid? tu mihi aditum prohibes?* exclamans ad capulum ensis dexteram admovet: mox autem Vitrius in mora periculum ratus, eum occidi jubet: prætoriani igitur sclopos in eum tanquam Regiæ voluntati obsistentem laxant, geminisque glandibus ignitis, ac per Ancræi corpus trajectis Marescallum momento citius conficiunt, Vitirio altius vociferante, *Vivat Rex?* Ad hanc vocem fit extemplo prosperum eventum gratulantium conclamatio, concurrunt Nobiles, qui Ancræum comitantes non intromissi fuerant, accessu tamen prohibentur: interim trucidati corpore vilem in cellam retruso, Rex sublimi de fenestra conspicuum se dedit, ac *se conscio transactum id opus* vociferans, quietos esse, quotquot adessent, jussit. Hæc inter Reginæ Matri nuntiatum, Vitrii manu cecidisse Ancræum, illa igitur minacior accurrit, ejusque prætorianus miles in arma effusum sanguinem vindicaturus ruit, ipsa vero citato gressu, ore, corde & gestu vin-

vindictam spirante ad Regem convolans: *quid hoc*, inquiebat, *Fili mi Rex, Ancræum Vitrius?* cui Rex paucis respondit: *fecit, Vitrius, Rex mandavit.* His auditis Mater presso dolore conticuit. Strepebant interim omnia terrore, ac tumultu in urbe Parisina, sparso in vulgus incertis auctoribus rumore, quod Ancræi proditione Rex cecidisset: verum statim everso contrariis nuntiis figmento, incredibili, ac publico cunctorum gaudio tota repletur civitas. Augebantur vero applausus, postquam Præco ædes Palatinas adire jussus, proclamaret, Ludovicum vivere, restitutam hodie Senatui libertatem, auctoritatem legibus, Regique Regnum: Tum enimvero festiva omnium conclamatio, confusaque diversissimis vocibus concordia Regi aggratulantium, simulque mortuum Tyrannum diris devoventium. Sæc. XVII. Sæc. 1617.

§. CLXX.

Indomita Parisini populi rabies in Ancræi cadaver.

Verum inter sola maledicta, vulgique sannas nequaquam stetit interfecti Marchionis insectatio; cum enim ejus cadaver nocte concubia, nullo tamen funebri apparatu, ad Divi Germani ædes

Sæc. XVII. A. C. 1617.

ædes translatum, humo temere raptimque congesta, obtegeretur, altera die Divo Marco sacra nonnulli pueri, famulique concursitantes, nefarii hujus hominis corpus exhumandum, atque in cloacam projiciendum esse vociferabantur: Convolat illico per vias & compita puerorum caterva, mox promiscua sexus multitudo densa ad Templum properat, passimque tumultuantium voces & fremitus, & ferinis similes ululatus, aures, aeremque feriunt: disjiciunt congestum super Ancræi ossa aggerem, cumque primo impetu nonnisi vacuam offendunt tumbam, mox exclamant: *Rapuit eum Diabolus*: postea vero continuato labore adhibitisque palis, manibus, imo & unguibus tandem refodiunt Ancræi corpus, quod populo in ludibria certatim effuso, jactoque in cervices fune Sacris ex ædibus raptant eum ipsum in locum, in quo nuper Ancræus patibula erigi jusserat: Tum vero una omnium vox: *Abi Ancræe in malam crucem, ad corvos, ad furcam*! moxque pedibus arcte revinctis, raptum in sublime corpus nudum suspenditur, capite deorsum jacto, peneque terram vertice contingente: sannis populi ludibriis, horrendisque maledictis exponitur, illuditur nuditati, præciduntur digiti, & aures, absecantur na-

nares, sævitur in viscera, nec fœdis quoque membris indomita parcit rabies: Inter ceteros vero quidam omnem humanitatis sensum exuisse videbantur, quos inter Hurtenotii, qui, ut memoravimus, Ancræi jussu nuper carnifice ministro publice suspensus fuit, famulus Heri sui mortem in Ancræi corpore ulturus, illud præciso fune in terram præcipitat, infixoque morsu discerpit, lætusque cruorem lambens, tabumque sorbens, ultione, etsi lassatus, nunquam satiatus fuisset, nisi inhumanam ejus sævitiam alternans bacchantium crudelitas interrupisset; ereptum enim ejus dentibus mutilum Ancræi cadaver ab aliis per varias urbis plateas distrahitur, inter lixas & ganeones dividitur, extractumque cor ejus ab aliis devoratur, & tandem sub eodem patibulo, quicquid de Ancræi membris superfuit, comburitur. Ita nempe Ancræus felicitatis aulicæ simulacrum in cineres, & potestatis vix non Regiæ gloria in fumum abiit.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Vid. supra L. CLXXIX. §. 167.

§. CLXXI.

Eleonora Galigaya Ancræi uxor supremo affecta supplicio.

Paulopost quam illata esset Ancræo cædes, Vitrius ad Conjugis ejus Gali-

Hist. du Parlem. 48. pag. 230.

Sæc. XVII. A. C. 1617. Galigayæ cubile irruens, eidem vincula injicit, simulque armillas corpori, monialia, gemmasque diripiens, scriniis reseratis pretiosa quæque asportat, Regio ærario destinata. Ipsam vero in arce Regia ad idem cubiculum, in quo nuper Condæus Princeps captus detinebatur, deductam inde die secunda Aprilis in arcem Bastilliam raptat, Regina Galigayæ familiarissima miseram ipsius sortem incassum deplorante. Ibi die vigesima sexta ejusdem Mensis quæstioni subjecta, primo interrogabatur, quibus artibus ante suum in Gallias adventum nullis pene opibus instructa, ad tam immensos thesauros pervenerit? Illa vero, cui sane facundia, animi dotes, ingeniique acumen ad enervandas quasque interrogationum vertebras satis limatum erat, intrepide respondit, *fortunæ aulicæ favore ditata sum, quæ multos celeriter locupletat, ac celerius exspoliat, uti experta sum.* Instante Judice: quid ipsi cum Montalto Judæo commercii, & quidem assidui fuerit? cur quotidie talamum aromatico fumo involvisset? nunquid ut hebraicum referret Altare tymiamatis, & cum Judæo suo emortuos Mosaicæ legis ritus resuscitaret? Ad hæc obstupefacta mulier reposuit, *internæ putredinis formidini aromatibus, morbis vero meis medicina succurrebat*

currebat Judæus, quem accersere Religioni mihi quidem erat, licentiam tamen a summo Pontifice obtinui. Sciscitabatur ulterius Judex, quo magistro futura prænosset, & annulum illum unacum spiritu familiari, totius fortunæ suæ architecto, accepisset? Ad hæc ipsa non sine indignatione dixit, se Christi discipulam esse futurorum adeo ignaram, ut se unquam in Bastilliam deducendam, nequidem somniasset: annulos vero omnes a Vitrio fuisse ablatos, de cetero autem se nullum alium nosse Spiritum familiarem, nisi maximum Reginæ favorem, ac ingenii sui aciem. Postea Actor membranam pergamenam coloris viridis produxit; in qua ignoti characteres, ac propterea, ut ajebat Judex, *præstigiosi* cernebantur. Risit autem subtilis ingenii mulier, ad tam ineptam magicæ artis demonstrationem: Confusus igitur Inquisitor eidem objecit, quo jure ipsa apud Italos, ejus vero Maritus ad Belgas tot pecunias in Galliis corrasas in Franciæ perniciem elocassent? *non alio*, reposuit ipsa, *jure, quam quo uti, fruique suis bonis cuilibet datur, quod autem Ancræus his pecuniis ad pernicioſa cum exteris fœdera abusus sit, plane ignoro.* Postremo Judex efferveſcens, Galigayæ exprobrabat, quod ipsa, ejusque Maritus Galliæ populos oppressserint, Re-

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

giamque auctoritatem sibi solis vendicarint: ad hæc ipsa cœlum, cœlique Rectorem in testem evocabat, quod semper a tanta ambitione alienum habuerit animum, ac propterea severam Mariti sui indignationem sæpius experta fuerit, eoquod proclivem ejus in imperia indolem eidem exprobrasset. Admirabantur Judices promptam, non minus ac moderatam quæstionum excusationem: unde eorum Judicum quinque Galigayam de diversis quidem accusatam, de nullo autem convictam, ac nonnisi suspicionibus oneratam pronuntiarunt: & propterea a judicio recesserunt, nullus tamen miseram protegere audebat, quæ ab omnibus deserta, a se vero sola, non indefensa, ad carceres reducebatur, caussa ejus ad Senatum, judicumque capitalium tribunal rejecta. Scissæ sunt in diversa horum judicia: pars exilium mulctamque pecuniariam decernebat, & Deslandes Payenus nunquam mortis sententiæ suffragari voluit, prævaluit tamen Curtinus Luynæi mancipium, nec non alii a novo hoc Regis Cliente sollicitati, qui pœnam capitis irrogabant. Die igitur octava Mensis Julij pronuntiata sententia Galigayæ per ordinem recitatur, eique præter mortis supplicium, bonorum omnium proscriptio, filii sui exilium,

exilium, nobilitatis privatio, ac denique Ancræani Palatii everſio denuntiatur. Hæc, ubi ſibi mortem indici percepit, vitæ finiendæ inducias obtentura, ſe prægnantem eſſe aſſeruit: replicante autem Judice, quod a biennio jam a Mariti ſui amplexibus avulſa, ſi gravida foret, propria confeſſione ſe adulteram faceret; His confuſa mulier, ne adultera videretur, confeſſa eſt mendacium: Proximo igitur die Sabbati infami ſuperimpoſita currui e Baſtilia ad plateam, cui *Greviæ* nomen, trahebatur, ubi in ferali pegmate conſtituta circumſtantes his verbis alloquebatur; *innocens, Deum teſtor, patibulo affigor, nullo meo crimine, niſi crimen ſit vitæ ſociam fuiſſe marito, cujus conſilia meam fugerunt conſcientiam: nullis præſtigiis ad ſumma rerum, ſed non niſi Reginæ, ac fortunæ beneficio evecta ſum: nunc vero Deo rependo grates, quod inter aulicos favores me ſui parum memorem, inque ſuperba naturæ vitio prolapſam hac amica vi deduxerit, ubi ſociabor Chriſto, in patibulo morienti: armillis ac pretioſis unionibus, queis collum, brachia, pectusque recinctum antea erat, ſuccedunt nunc nodoſi funes, quibus mihi omnis adempta libertas, non autem libere moriendi voluntas: deprecor autem publicam offenſionem & iram profundiſſima* Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

animi submissione. Tu vero fili mi (*) *nullam eorum, quæ patimur, vindictam ullo unquam tempore suscipias, & quo temporis momento susceperis, execrabor, & in caput tuum, non jam pia Mater, sed aspera noverca, diras exposcam.* His dictis, cum illico colligatis infra poplites vestibus sublime in furcam rapienda crederetur, mutato supplicii genere inter media salvificæ Crucis oscula ex improviso decollatur, accenso autem publice rogo corpus ejus tanquam veneficæ crematum; Enimvero ejusmodi sententia sæculi quidem decimi obscuritatem sapere videtur, illo autem ævo eam fuisse pronuntiatam, an creditura sit posteritas, dubito. Ceterum ad funestum hujus supplicii spectaculum populus, qui paulo ante hanc fœminam diris omnibus devoverat, ad ingentem miserationis sensum excitabatur. Ita nempe ferunt vulgi vices, quod in contrarium repente mutatur, atque ad omnes affectus alternante impetu rapitur.

§. CLXXII.

(*) Habebat enim quindecennem filium Comitem de la Pena, tum absentem, Regis sub tutela, & Fiefchii, quem Ancræus ad honorificum munus promoverat, custodia delitescentem.

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

§. CLXXII.

Maria Medicæa Regina Mater Blesas exulare jussa.

Eadem die, qua Ancræus popularis vindictæ victima discerpebatur, Ludovicus Rex promissas a Fœderatis ordinibus copias revocari, atque ab expugnandis Nivernensis, aliorumque Principum ditionibus cessare jussit; pristinos quoque Ministros ab Ancræo exauctoratos suis restituit officiis, alios vero dignitatibus, quibus antea Ancræus fulgebat, auxit, Vitrio in Franciæ Marescallum, & Luynæo in Normaniæ Præfectum designato, eoque omnibus pretiosis, quæ Ancræus, ejusque conjux possederant, lucupletato, abrogatisque omnibus legibus ab Ancræo dictis. Nec multo post Barbino Reginæ familiari in custodiam abducto, Parisiensis Senatus legem tulit, vi cujus inhibitum, ne ullus deinceps extraneus ad secretiora Regni consilia admitteretur; cum tamen ipsemet Luynæus, etsi alienigena & Pontificis subditus esset, tum ampliori longe, quam Ancræus, potestate in Regno frueretur, in quem etiam Rex feuda nobilia, quotquot miser ille possederat, transtulit, obstrepente unico Væræo

Calmet hist. Univ. l. 151. Gramond. l. c. Merc. Gallob. t. 11. l. 4.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Procancellario intrepidi semper animi Viro, qui tamen Lexovienſi, ut fertur, oblato Epiſcopatu juſtitiæ Zelo modum poſuit, unde hæc in verba palam ei illuſum: *Et Homo factus eſt.* Præterea non modo Luynæus, ſed & Brantæus & Cadenetus ejus fratres paulo ante vix non mendici, ſubito Regis favore ac munificentia in immenſum ditati, ſuprema ferme auctoritate Regi Regnoque dominabantur: hinc nova in vulgus ſparſa murmura, & quia omnes hi tres fratres ſub uno, eodemque tecto habitabant, per ludibrium appenſa eſt tabula Epiphaniæ Myſterium repræſentans, hac inſcriptione: *Eo in ſtabulo tres Reges:* Dolebat populus tyranno trinam ſupervixiſſe tyrannidem, renataque ab exciſo uno tria capita, tricipitemque cerberum, quin tamen Gallis Hercules eſſet. Haud incognitæ erant Regi privatæ hæ populi indignationes, quocirca literas ad omnes Provinciarum Gubernatores, & Magiſtratus dedit, quibus Ancræi, ejusque conjugis cædem populo Pariſino admodum gratam extitiſſe, nuntiabatur, proin huic gratulationi reliqua Francia ſeſe lubens adjungeret: Pariter Regio diplomate Longævillanus, Vindocinenſis, Mayenius, Nivernenſis, & Bullionius Duces, aliique Proceres, revoca-

vocatis edictis nuper in eos promulgatis, ad aulam redire sollicitabantur, qui etiam paulopost reversi sunt, in gratiam a Rege recepti. Obstare tamen adhuc novo felicitatis Luynææ incremento videbatur Maria Medicæa Regina Ludovici Regis Mater, quæ inter metum & iram anxiis curis agitata, ter cum Rege Filio suo colloqui petebat, incassum tamen, Regis aures obsidente Luynæo, qui eidem exponebat, Matrem ejus regnandi avidissimam haud passuram, ut ipse, etsi jam adultus Rex esset, quiete solus Regni sui habenas moderaretur, proin eam aula abesse pateretur, quin tamen exulare, sed duntaxat, temperata vocis asperitate, secessisse diceretur: non deerant, qui eam insimularent, quod conspirationis a Conchinio in Regem conflatæ conscia esset: His tandem Rex, postquam diu filialis amor restiterat, insidiarum formidine expugnatus, Matri suæ, ut aula absisteret, significari jussit: ad hunc vero nuntium ipsa respondit, paratam se exilio, carceri, & si quid ultra destinaretur; esse se subditam eidem Regi, cujus tamen Mater esse nunquam desineret: petiit autem ut Montualdum arcem suam secedere permitteretur: id tamen eidem denegatum, eoquod locus esset Parisi-

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

næ urbi nimium vicinus. Decernitur ergo ad Bleſenſes ſeceſſus, cujus comes ſeligitur Richelius Epiſcopus Lucionenſis, dies vero itineris indicitur tertia Menſis Maij. Cunctis igitur ad ſeceſſum diſpoſitis, ut Regem Filium ſuum valere juſſum amplecti liceret, efflagitabat: id vero, cum Matris precibus, ac Filii votis denegari haud poſſet, conceſſum eſt, ea tamen lege, ut cuncta, quæ Rex Matri, & hæc Filio diceret, ſcriptotenus utrique traderentur, alloquiumque præſentibus primis Aulæ Miniſtris, & Senatoribus fieret: Ubi ergo ambo convenerant, Rex actis Matri ſuæ gratiis ob collata in Franciam officia, ſatis labori, ſatisque Reipublicæ datum eſſe, ajebat: tranquillam igitur vitam expoſcerent tot labores ſibi Regnoque dati, pollicebatur denique Rex, nunquam ſe defuturum officio, quod Matri deberet. Ad hæc Regina obortis lacrimis repoſuit, quod is ipſam Matrem eſſe meminiſſet, quæ in ludibrium datur, non filii culpa, ſed pravis eorum conſiliis, quorum victima caderet; quamvis nec recuſaret judices ab odio alienos, nec refugeret pœnas, ſi noxia eſſet, ream ſe eſſe quidem fateretur, ſi crimen eſt, Matrem fuiſſe: Reamque ſe eſſe gloriaretur, ſi ſcelus eſt, ad Regis, Regnique adminiſtra-

nistrationem Ordinum votis fuisse admotam: his dictis Rex, ne miseratione lacrimantis Matris animus flecteretur, paucis reposuit, præcipuam sibi fore Matris memoriam, statimque ac Blesas ventura esset, accepturam se perpetui amoris monumentum, quale filium deceret: Præstituta igitur die angustam familiam Regina colligit, ac tenui in viam apparatu Lupara excedit, quam, ductore Curæo cataphractorum Præfecto, instructum militum agmen stipabat, an honoris, vel custodiæ titulo, haud temere dixerim: id omnino certum est, quod Rex, unacum Conjuge sua in Reginam, dum e Lupara eveheretur, stans ad fenestras prospexerit. Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CLXXIII.

Austriacorum bellum contra Venetos alternante fortuna continuatum.

Interea bellum, quod inter Ferdinandum Styriæ Archiducem, Venetosque exarsit, hoc anno alternante Martis fortuna continuatum est; quippe Veneti prima die Januarii ad perdendas, quæ in portu ad Sanctum Vitum hærebant, naves profecti, cum ad Austriacorum excubias perveniissent, re infecta retrocedere coacti sunt, delati *Merc. Gallob. t. XI. l. 3.*

Sæc. XVII. A.C. 1617. lati autem ad Piratica Zengrenſium navigia, ea ſubverterunt, direpta inſuper alia navi multo oleo onerata, quæ cum ad Trieſtenſem quemdam Mercatorem pertineret, viciſſim Trieſtenſes Venetis duas naves annona onuſtas intercepere. Die quarta ejusdem Menſis Trautmansdorfius, & Tampierius Venetos, incaſſum etiam exprobrata illorum puſillanimitate, ad pugnam provocabant: unde crebris nonniſi velitationibus res utrinque acta, & primo quidem Uſcochi ineunte Menſe Februario duas Venetorum naves diripuerunt, Zengam autem reverſuri a Venetis, in quos inciderant, navibus & præda ſpoliati ſunt: die vero ſexta ejusdem Menſis Medicæus Dux caſtrum Sancti Martini occupare conſtituit, ſed poſt atrox aliquot horarum certamen, re infecta ſecedere cogebatur: quo facto tam Auſtriaci, quam Veneti Regiones ad Forum Julium, & Iſtriam pertinentes miſere devaſtarunt: Sub idem vero tempus Veneti Gradiſcam nova obſidione cincturi, extructis quinque propugnaculis, annonæ advehendæ opportunitatem intercludere nitebantur, quo comperto Trautmansdorffius trajecto cum aliquot armatorum millibus fluvio die decima quinta Aprilis hoſtem aggreſſus, non modo Delboſciam

bosciam arcem, quam Veneti cinctam tenebant, obsidione liberavit, sed & præsidiarios in fugam egit. Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CLXXIV.

Hollandi Venetis suppetias irrito successu ferentes.

Jam anni prioris Mense Julio Veneti misso ad Fœderatos Ordines Legato adversus Ferdinandum Archiducem suppetias petebant. Æqua videbatur Ordinibus Reipublicæ petitio; interceserat enim cum illis mutua armorum societas per Henricum IV. Galliæ Regem olim conciliata; quapropter summis impensis, & maxima, qua potuit, celeritate milites conscribuntur, ac valida instruitur classis, quæ tamen acriori vento jactata, nonnisi Mense Februario portu solvit, atque ineunte Mense Aprili Venetias appulsa est. Igitur exscensione facta Joannes Ernestus Nassoviæ Princeps hujus classis Præfectus, postquam Hollandicos milites numero nongentos circiter, in foro Divi Marci, spectante ipso Duce Veneto, recensuerat, mox ad castra profectus, sese cum reliquo Reipublicæ exercitu conjunxit, Gradiscæ obsidionem promoturus. Verum auxiliares hæ copiæ paucos intra dies, eoquod Italico aeri, vivendique modo

Neuvill. hist. d' Holland. l. 2. cap. 11. tom. 1. Merc. Gallob. tom. 11. l. 4.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

modo seſe minus attemperare poſſent, crebris partim funeribus, partim frequenti ad hoſtium caſtra transfugio tantopere rareſcebant, ut ad nil eximium aut illuſtre gerendum utiles eſſent, & reliqua exercitus parte aut dilapſa aut miſere pereunte ipſemet Princeps Naſſovius febri correptus, atque Utinum deportatus, ibidem decederet. Ejus Corpus Veneti in Templo S. Salvatoris reponi curarunt, Oratore Hiſpano, ne id a Monachis reciperetur, incaſſum hortante.

§. CLXXV.

Mutuæ cædes ac vaſtationes inter Ferdinandi, & Venetorum copias.

Merc. Gallob. tom. 11. *l.* 4. *& tom.* 12. *l.* 1. *Ferrer. Hiſt. Hiſp. tom.* 11. *art.* 2.

Hæc tamen auxilii fruſtratio nullatenus ex alta glorioſæ ultionis ſpe Venetos dejecerat; cum enim Uſcochos aliquot in oppido Sanſervulo hærere cognoſcerent, miſſo exercitu eos partim trucidarunt, partim in ædibus ſuis combuſſerunt, Auſtriacos quoque, qui munitionem, Sancti Michaelis dictam, occupare moliebantur, cæſis eorum centum ſexaginta, repulerunt. Viciſſim Uſcochi circa vigeſimam Aprilis diem navibus aliquot Venetis expugnatis, aliis quatuor direptis, & tribus ſubmerſis, quarta vero Trieſtam ſecum abducta

ducta plusquam duodecim aureorum millia recuperarunt: aliam quoque, quæ Conſtantinopolin verſus pro more tendebat, expugnantes, præter merces plurimas, & tria coronatorum millia abduxerunt, Arbiamque Venetorum Inſulam miſere vaſtarunt, incolis cæſis, abactisque pecoribus. Præterea exeunte Menſe Aprili Tampierius Comes cum ſuis Gradiſca erumpens, trucidatis Venetorum quamplurimis cum duobus vario commeatu onuſtis curribus in Urbem reverſus eſt, ad quam Auſtriaci die vigeſima tertia Maij copioſam intulerunt farinam; prius vero cruentam cum Venetis iniere pugnam, qua trecenti circiter cæſi, plurimique capti fuere, deſiderato etiam Horatio Puglione primario Præfecto, aliisque Tribunis: die autem ſeptima Junii Trautmansdorffius tormento percuſſus obiit, ſuffecto in ejus locum Balthaſare Maradæo: Accepto hoc nuntio Veneti Gradiſcæ obſidionem vehementius urgentes, propugnaculum tam arcte cingebant, ut vix ullus ad illud aditus pateret, quo cognito Auſtriaci inito certamine Venetos tam dextere ab eo diduxerunt, ut ab altera parte validas propugnaculo ſuppetias impune inferre poſſent: unde Venetis tantum illatum eſt damnum, ut vindicta

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

dicta accensi urbem continua tormentorum explosione acriter quaterent, & ferme ad deditionis necessitatem redigerent: quocirca Triestensis Episcopus tempestive Petrum Toletanum Mediolani Gubernatorem urgebat, ut e ditione sua in Venetos erumpens, illos ad distrahendas vires suas compelleret.

§. CLXXVI.

Pacis consilia ab Hispaniæ Rege proposita.

Ferrer. Hist. Hisp. art. 2.

Cum interea hostiles copiæ cædere mutuo, cadereque pergerent, nec armorum inter strepitus salubria Pontificis Maximi, nec Franciæ Regis consilia pacis audirent, Philippus III. Hispaniæ Rex pro componendo hoc bello Madriti omnem impendit operam: Eapropter per suum Legatum pacificationis conditiones die sexta Septembris Parisiis, sollicitantibus Ludovico XIII. Rege, & Guidone Bentivolio Papæ Nuntio, per Venetos Oratores, necnon Cæsaris Legatos ratas haberi constituit, easque die vigesima prima Octobris ad Rempublicam Venetam transmisit: Erant autem sequentes. I. Præsidio Germanorum militum ad Zengam introducto confestim locus aliquis in Istria Zengensibus vicinus a Venetis resti-

restituatur. II. Recepto hoc præsidio statim utrinque Deputati constituantur, decernentes, quinam ex Uscoccis Adventitiis & stipendiariis, qui depræ- dationibus dediti sunt, Zenga ejiciantur. III. Ceteri, qui aut duntaxat hujus belli tempore infestum mare reddiderunt, aut semper innoxiam hactenus duxere vitam, impune relinquantur. IV. Ejiciantur quoque, qui a Venetis proscripti, ibidem sedem fixerunt, eorum vero loca a Venetis occupata Ferdinando reddantur. V. Integro bimestri utrinque ab armis cessetur, quo evoluto, armisque depositis omnia in pristinum restituantur, concessa Deputatis facultate, hoc bimestre prolongandi, si interea inter partes convenire non posset. VI. Captivi utrinque dimittantur, indulta præteritorum oblivione. VII. Cæsar & Ferdinandus spondeant, quod ejectos Uscoccos nunquam amplius recipere, & Venetos ab eorum violentiis vindicare velint. VIII. Navigationis securitas juxta præscriptas Viennensis pacti leges anno millesimo sexcentesimo duodecimo initas inviolata servetur. IX. Denique hæc pacta ab utraque parte rata habeantur, eaque Cæsar, Ferdinandus & Respublica Veneta intra bimestre suis chirographis firment. Attamen Veneti hosce paci-

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

ficationis articulos suæ causſæ minus proficuos censebant, unde missis ad Oratores suos literis eosdem, interminata etiam carceris pœna, redarguebant, quod circa triremium restitutionem, & alia nonnulla comprobanda mentem & mandata Reipublicæ excessissent: frustrata igitur pacis spe Veneti Gradiscam furiosius, quam unquam, cominus eminusque verberabant, quamvis, ob incredibilem tum propugnantium virtutem tum mœnium, operumque firmitatem, inutili prorsus successu suos milites continuæ exposuissent cædi: quocirca Hispani Venetorum ea, quæ tunc esse insolentior videbatur, pervicacia ferociores redditi, oppida quædam, & castella Lombardica Reipublicæ subjecta circa Cremam hostiliter infestarunt, quo cognito Veneti quatuor suorum millia Hispanorum finibus opposuere, quorum virtute ad velitare ventum est certamen, quod etiam magis Hispanis, quam Venetis exitiale fuit: unde funesta utriusque partis conditio supremos rerum, militiæque arbitros eo redegit, ut mutuæ clamitatis necessitate pressi decernerent, quatenus ambæ partes, & quoad de rei summa novis transigeretur pactionibus, alternis utrinque cladibus, incursibusque interim temperarent, postquam vero die

die decima quarta Octobris Barbaricus in Medicæi locum ſubrogatus a Venetis Bellidux ad caſtra pervenerat, habito die undecima Novembris colloquio hæ induciæ mutuo conſenſu firmatæ ſunt. Tandem vero ſub anni ſequentis naſcentem Februarium Neuſtadii pax utrinque inita eſt, promoventibus concordiæ firmitatem Aſcano Sedis Apoſtolicæ Nuntio & Julio Medicæo Magni Ducis Etruriæ Legato, uti poſtea recenſebimus. Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CLXXVII.

Continuatum bellum inter Hiſpanos, & Sabaudiæ Ducem.

Hoc item anno Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux initium bellandi ſparſim hinc inde prædis agendis, capiendisque oppidis fecerat; quamprimum enim Ledigerius Delphinatus Gubernator, repugnante quidem Galliarum Rege, cum quatuor peditum millibus, & nongentis cataphractis in auxilium advenerat, mox Sabaudus his ſuppetiis auctus præter alia quædam ad Langam oppida, San-Damianum & Albam deditione cepit, necnon Caſtellanum Mediolanenſem, qui ad Crevacorenſe caſtellum expugnandum accurrerat, non ſine ingenti clade repulit: Inde vero

Jæger. hiſt. Eccl. Ferreras l. c. Merc. Gallob. t. 12. l. 1. Khevenhill. tom. 8. pag. 1193.

Sæc. XVII. A. C. 1617. Petrus Toletanus ferocior factus, neglectis Pedemontii & Montferrati ignobilioribus oppidis omne Insubricæ militiæ robur ad arcem Vercellensem rapiebat, eamque die vigesima quarta Maij strenue aggressus, obsessis licet haud ignave resistentibus, demum die vigesima sexta Julii impetu facto occupabat. E diverso Sabaudus in Ducatus Mediolanensis loca, præsidiaque validis cum copiis irrumpens, La-Roceam, & Anfranconam ditionem, pluraque alia loca suis subjecit armis, præsidiariis plerumque crudeliter trucidatis: Verum ceteris pertinacior erat obsidio San-Feliciani, quod firmum non minus, ac opulentum oppidum Emanuel per extremam vim tandem expugnabat, ubi e Germanis & Gallis Zwingliani, & Calvini Sectatores usitati sui in Catholicos furoris stimulo incitati, non modo senes juvenesque, sed ætatis etiam immaturæ infantes, ac Ecclesiasticos Viros misere jugularunt, nullo cujusquam discrimine peremptis incolis Universis: Hispani quoque Præsidiarii mille ducenti trucidati, capti circiter quadringenti, quorum in numero erant Ductores ordinum quatuordecim unacum Wolkensteinio Comite, penes quem vasa aurea & argentea, necnon castrensis copia non aspernanda, & equi

& equi sat generosi reperti sunt: Ad hanc autem prædam accessit alia adhuc utilior saccorum nempe frumento refertorum quadraginta millia. Insuper Annonensis urbis cives San-Felicianorum calamitate consternati, quantumvis valido præsidio, & quadraginta belli tormentis muniti essent, ultro se Sabaudo permisere, quam urbem Emanuel muniri jussit, suumque exercitum in duo partitus est agmina, quorum unum ipsemet ducens, Borgensem Provinciam invadendam sibi sumpsit, alterum vero Filio suo Thomæ commisit, ut Alexandrinam arcem infestaret, ex qua tamen erumpentibus confertim Hispanis ventum ad manus est, accerrimo utriusque partis conflictu, ac tandem Hispanis cæsis, atque in fugam actis. Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CLXXVIII.

Inducia inter Hispanos & Sabaudos, ac demum pax conciliata.

Cum Petrus Toletanus Mediolanensis Gubernator tam per exploratores, quam crebras suorum clades plus nimio edoctus, compertum haberet, quod Sabaudus copiosum ex Galliis, Helvetia, Germania, aliisque locis exercitum contraxisset, rebusque prospere fluentibus, facile universam Mediola- *Arthus. l. 22. pag. 1522. Daniel hist. de Franc. tom. 10. Gramond. Hist. Gall. l. 2.*

Sæc. XVII. A. C. 1617.

nensium ditionem victoriis suis emetiri posset, hinc impellente potissimum Galliarum Rege Petrus quadraginta dierum inducias per Cardinalem Ludovisium utriusque partis Internuntium pactus est: Firmatis hisce induciis postea pacis conditiones in Italia proponebantur, in Hispaniis ratæ paulopost habendæ, quarum hæc summa fuit. I. *Anno Sæculi præsentis quintodecimo latæ pacis leges Astenses per omnia, singulaque sortæ, tectæ deinceps conservarentur.* II. *Et Dux Allobrogum, primo quoque tempore, post hunc autem, & Rex Hispaniarum, castris & pugnis mutuis absisterent.* III. *Exercitum ambo dimitterent.* IV. *Urbes, oppida, munitiones utrinque bello captæ (nec Vercellis, nec Insubricis ullis præsidiis, exceptis) itidem utrinque veteres ad Dominos redirent: quos inter & Mantuanus, ac Maseranus Duces, numerarentur.* V. *Montis denique Ferratensis lis principalis, sententiæ Cæsaris decretoriæ tota permitteretur: quo, cujus est in arbitrio Romanum omne terrarum Imperii spatium, in ejusdem esset etiam Exarchatus unus.*

Porro hæ conditiones utrinque fuerunt acceptatæ, Hispani tamen bello parta restituere tergiversabantur, & Sabaudus, quamvis magnam exercitus sui partem exauctorarit, electi roboris

boris tamen aliquot adhuc millia in subsidiis retinuit, donec ab Hiſpano promiſſis fidem per ipſam reſtitutionem conſtare cerneret: cum vero firma pax, Venetis Ferdinando Archiduci nondum plene reconciliatis, haud ſperari poſſet, hinc Lermæus Dux unacum Petro Gritio Oratore Veneto, & Marchione Cajetano Capuenſi Pontificis in Hiſpania Nuntio, de diſſenſione inter Sabaudum, & Mantuanum Duces exorta, Philippum III. Hiſpaniæ Regem monebant, ut Aſtenſem pacem Anno hujus ſæculi decimo quinto factam, prout Pontifici & Galliarum Regi promiſiſſet, ratam haberet, proin Hiſpani urbes, & quæcunque alia poſt hanc pacem intercepta unacum captivis reſtituerent: quo facto fidem ſuam obſtringerent, ſe Sabaudum eo inducturos, ut & ipſe huic pacificationi plene ſatisfaciat: Hæc autem pacta intra ſex hebdomadas rata haberentur, niſi interea alia pacificatio cum Mediolanenſi Gubernatore inita fuiſſet, cui ſtandum foret. Poſtea Bethunius Comes Franciæ Regis Orator Tillinum delatus, Regis ſui nomine Petro Toletano fidem dederat, quod Sabaudus cuncta juxta Aſtenſem transactionem integra fide adimpleturus eſſet, quo facto Petrus quoque Hiſpani Regis nomine idem

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A.C. 1617. pollicitus, compositis etiam aliis inter Venetos & Ferdinandum dissidiis, die sexta Novembris pacem promulgabat, suasque copias in Mediolanensem ditionem reducebat. Ceterum hæc pax nonnisi sequenti anno suam nacta est firmitatem, postquam Petrus Gallorum minis territus, ad fœdus, Vercellasque reddendas compulsus fuerat.

§. CLXXIX.

Protestantes in Bohemia sectæ suæ libertatem a Cæsare postulantes.

Rel. Hist. Cont. Sigism. Meurer Merc. Gallob. tom. 11. l. 4. Carafa com. Germ. Sacr. rest. p. 54. Jæger Hist. Eccl. l. 7. cap. 3.

Sub idem ferme tempus Protestantes Bohemiæ Status conventum agebant, in quo liberum sectæ suæ exercitium sibi permitti, a Cæsare petebant: attamen Matthias Imperator haud ignarus, quod Protestantium consilia nonnisi ad deprimendam Cæsaris auctoritatem, atque extirpandos Catholicos collimarent, huncque in finem Principes, qui se *Correspondentes* dicebant, arctum cum Hollandis fœdus iniissent, hinc Cæsar ipsis ad sua postulata paucis hæc respondit: „Nihil vobis in Re„ligionis negotio indulgere, nec novi „quicquam, salva conscientia permit„tere possumus; speramus autem, Or„dines nihil novi petituros, sed pactis „conventis veteribus, longo jam usu „&

„& tempore receptis atque confirmatis Sæc. XVII.
„aquieturos: interim tamen volumus, A. C. 1617.
„ut Sacerdotes pro illis, qui ſub utra-
„que ſpecie cænam ſumunt, a Pragenſi
„Archiepiſcopo conſtituantur, ne de
„eorum defectu conqueri valeant, eis-
„que ſuos mortuos in templis & cæ-
„meteriis eorum, qui *ſub una*, maxime
„ſi jus ad ea aliquod demonſtrare poſ-
„ſunt, ad campanarum pulſum ſepelire
„liceat. Præcipimus autem, ut Pi-
„cardi a ſectæ ſuæ exercitio in occul-
„tis latebris peragendo plane abſtineant,
„& vel illis, qui *ſub una*, vel *ſub utraque*
„cæna participant, ſeſe conjungant,
„cum eorum ſecta in hoc Regno nun-
„quam admiſſa fuerit.„ Verum Prote- *Anno 1575.*
ſtantes hoc reſponſo minime contenti,
opponebant Maximilianum Cæſarem
promiſiſſe, ſe non paſſurum, *ut alicui in Bohemiæ Regno vis aliqua ob Religionis & conſcientiæ cauſſam inferatur:* de cete-
ro autem ſuam confeſſionem in Dei Ver-
bo ſatis fundatam, Auguſtanæ Con-
feſſioni conſonam, & ab ipſo Impera-
tore, ſine ullo Religionis *ſub utraque* diſcrimine, Ordinibus conceſſam dice-
bant, ut proin nequaquam *hæretica eſ-
ſet:* Denique vetera pacta per ipſam
hanc conceſſionem querebantur ſublata,
& quid de illis in Regni conſtitutione
adhuc reliquum foret, non obſtringi

Sæc. XVII. A.C. 1617.

Ordines afferebant ad hoc, ut fidem ſuam ad alterius nutum componant, ſed duntaxat, ne pars una ab altera ob Religionem opprimatur, cumque Maximilianus hanc libertatem eis absque juramenti regii, vel conſcientiæ læſione conceſſiſſet, eadem ratione Cæſar quoque Ordinibus *ſub utraque* communicantibus ſectam ſuam absque ullo vel Pontificis, vel alterius cujuspiam reſpectu liberam relinquere, tuta conſcientia valeret. Attamen graves obſtiterant rationes, quæ Cæſarem a deneganda hac libertate abſterrebant.

§. CLXXX.

Ferdinandus Archidux Auſtriæ & Styriæ Princeps a Mathia Cæſare in Filium adoptatus.

Caraſa l. c. Jæger l. c. 4. Joan. Bapt. Naxi Hiſt. de la Rep. Ven.

Cum Matthias Imperator ſenio gravis, ac omni maſculæ prolis ſpe deſtitutus eſſet, eidem Maximilianus Archidux auctor exſtitit, ut de hærede, ac Regnorum Succeſſore nominando cogitare vellet. Hæc propoſitio ab initio minus grata accidit Imperatori, qui ſe vivente veluti Cæſareæ Authoritatis funeralia celebrari, ægre ferebat; poſtea tamen funeſtis illius caſibus, qui Religioni, & Domui Auſtriacæ, nondum firmato ſucceſſionis jure contingere poſſent,

Sæc. XVII. A. C. 1617.

sent, obviam iturus, Maximiliani consilium approbabat, quo cognito idem Archidux, qui adhuc cælebs nonnisi uno anno Mathia natu minor erat, iter in Belgium instituit, ut his de rebus cum Alberto Fratre suo, ac Belgii Gubernatore, qui itidem sobolis expectatione caruit, conferre posset: ineunte autem Mense Majo Matthias Imperator præter Maximilianum etiam Ferdinandum Patruelem suum Styriæ Principem ad se evocabat, simulque de animi sui proposito per internuntios etiam Philippum III. Hispaniæ Regem Caroli V. Nepotem, necnon Albertum fratrem suum certiores reddebat, quibus in consilii partem tractis hæc exponebat, „Ferdinandum e Patruo genitum „mihi Filium, ac Regnorum successo„rem cooptare decrevi, nisi quid con„sultius aliud vobis occurrerit, sicque „nullatenus ambigo, quin tum ipse „Ferdinandus, tum Fratrum uterque „præoptaturi sint, elegisse me comper„tæ claritudinis hæredem potius, quam „incertas in spes Filium genuisse: nil „ergo reliquum est, nisi ut, si hæc adop„tio, hic hæres ac Successor vobis cor„di est, in placita mea vos vestri Impe„ratoris Fratres Archiduces juretis ve„strumque jus ad Provincias in adopta„tum transferatis“: Applaudentibus cun-

Sæc. XVII. A. C. 1617.

cunctis Imperator die tertia Maij totius Bohemiæ comitia ad sextam Mensis Junii diem indixit.

§. CLXXXI.

Comitia Pragæ in Bohemia a Cæsare habita.

Arch. l. 22. p. 1508. Cluver. epit. p. 778. Schade p. 4. l. 6. p. 353.

Præstituta igitur die omnibus Regni Ordinibus in arce Pragensi congregatis, atque assidentibus Maximiliano, & Ferdinando Archiducibus, Mathias Imperator exposuit, cupere se, ac petere, ut, quemadmodum Filii loco Ferdinandum ipse summo totius Austriacæ Domus assensu adoptasset, in eumque Successionis jus post extinctionem Maximilianæ stirpis masculæ transtulisset, idem ipsis quoque placeret, ac lubentes permitterent, ut Regni quoque Bohemici eundem sibi designaret Successorem, ipsi vero designatum Regis Bohemorum Electi titulo, rituque publico, die ac loco ab eis constituendo coronarent, vicissim tamen Ferdinandus Ordinibus Regni Bohemici in sequentes has leges juramento se obstringeret. „1. Quod vivente Mathia „Cæsare Bohemici Regni gubernacula „nunquam sit attacturus, nec Reipub„licæ Regiæ, Cæsareæque negotiis in„trusurus operam suam, nisi de ejus„dem

„dem Cæsaris voluntate, & Ordinum „consensu. II. His legibus staret usque „ad obitum Cæsaris, solo tantisper e„lecti, coronatique Regis titulo con„tentus III. Privilegia, atque im„munitates Regni veteres, probasque „consuetudines ratas haberet, aliaque „cuncta, prioribus ab Regibus, insti„tuto vetere, præstita, se quoque præ„stiturum polliceretur."

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Postquam igitur Bohemiæ Ordines super hac Cæsaris propositione per biduum deliberarunt, consilium de eligendo Ferdinando non hominum, sed Dei opus videri, unanimi voce profitebantur omnes, polliciti, quod si præfatas leges se servaturum Ferdinandus sua Syngrapha spopondisset, ipsi quoque Regni coronam quam primum Carolsteinio Pragam devehendam curaturi essent, diem vero inaugurationis, Junij Mensis vigesimam nonam, & coronationis locum, ædem arcis Pragensis Divo Vito Sacratam designarent: adimpletis denique utrinque pactis Adamus Sternbergius Comes Regiæ Pragensis Castellanus clara voce Ferdinandum Archiducem tanquam Bohemiæ Regem die nona Junij proclamabat, omni populo festive applaudente. Denique Ferdinandus præfixa die ab Archiepiscopo Pragensi coronatus est.

§. CLXXXII.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CLXXXII.

Philippi III. Hiſpaniarum Regis renuntiatio, ejusque approbatio a Mathia Cæſare, & Ferdinando facta.

Joan. Bapt. Nani l. c. Wolfg. Jæger Hiſt. Eccl. l. 7. c. 6. Khevenhill. tom. 8. pag. 1100. du Mont. t. V. Part. II. pag. 298. Ferras Hiſt. Hiſp. tom. 11. p. 246. Calmet. hiſt. univ. l. 150. n. 20.

Cum autem neceſſarius quoque eſſet conſenſus Philippi III. Hiſpaniarum Regis, eoquod ex Anna Maximiliani II. Cæſaris Filia prognatus, jus in Provincias Germaniæ hæreditarias haberet, hinc conventum erat inter Ferdinandum, & Comitem Ognatum Hiſpanum tunc in Aula Cæſarea Legatum, ut Philippus juri ſuo quidem cederet, hæ tamen Provinciæ ad Hiſpaniam redirent, ſi deficeret Ferdinando proles maſcula. Quapropter idem Legatus Regis ſui juſſu ac nomine diploma præfatæ ceſſionis die ſexta Junij obtulit, cujus ſumma hæc eſt: „Cum Sacra „Cæſarea Majeſtas pro paterno ſuo in „Religionem Catholicam & Domum „Auſtriacam amore, ſe adhuc ſuperſti„te, de futura ſucceſſione Regnorum „Hungariæ, & Bohemiæ, & Provin„ciarum ad ea pertinentium proſpicere „voluerit, atque hunc in finem Hiſpa„niæ Regem induxerit ad ratam haben„dam renuntiationem per ejus Matrem An-

„Annam die 29. Aprilis anno 1571. in „favorem descendentium Masculorum „Imp. Ferdinandi glor. mem. factam, „necnon ad cedendum juri, quod in „praefata Regna ipsi tanquam unico An- „nae Hungariae, & Bohemiae Reginae, „& Maximiliani Imp. Pronepoti compe- „tit, in favorem Archiducis Ferdinan- „di. Hinc nomine Regis, ipsiusque „Filiorum approbo, & confirmo praefa- „tam renuntiationem a dicta Anna fa- „ctam, & cedo omni juri in dicta re- „gna &c. in beneficium Archiducis Fer- „dinandi, ejusque per lineam rectam „masculinam, non interrupta serie le- „gitime descendentium masculorum, „sub his tamen pactis, ut I. compen- „satio, quae in aliqua ex Provinciis Au- „striacis fiat, ad aliam transactionem „differatur, ea autem quanto citius fie- „ri poterit, instituatur: II. quando- „cunque linea recta masculina Ferdi- „nandi defecerit, dicta regna &c. ad „posteros Majestatis Catholicae per li- „neam rectam masculinam legitime des- „cendentes devolvantur. III. His prae- „missis, Ferdinandus in se recipiat, ut „Caesarea & Regia potestate, haec pa- „cta utrinque confirmentur, adeo, ut „etiam contra juratum hoc pactum nul- „la Pontificum Romanorum, aut Impe- „ratorum dispensatio peti, aut impe- „trari

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A. C. 1617. „trari posſit, & si quæ impetraretur, vel „motu proprio concederetur, ea nullius „roboris esſet.

Eadem die Ferdinandus alio diplomate cunctas hasce leges acceptabat, seque eas integra fide adimpleturum pollicebatur, simulque Cæsaream Majestatem suam rogaturum, ut tam hoc diploma, quam Hispani Regis cessionem confirmaret. Quantum vero ad compensationem utrinque conventum est, quod Ferdinandus Hispanis Alsatiam cederet, licet id nunquam executioni datum fuerit, eoquod timendum esſet, ne quidam Imperii Principes tam rei novitate, quam nimia geminæ hujus Monarchiæ potentia commoverentur. Postea Mathias Imperator Pragæ die decima quinta Junii pacta hæc non modo suo patrocinio promovebat, sed etiam Cæsarea pariter, atque Regia auctoritate confirmabat. His solemni pompa peractis Cæsar die vigesima prima Julii Ottomanici Imperatoris Legatum excipiebat, ac demum decimo post die unacum Ferdinando Rege & Maximiliano Archiduce Dresdam profectus, Saxoniæ Electorem visum ibat, ubi inter Julium Comitem de Justi Etruriæ Ducis Oratorem, & Comitis Ognati Filium exorta in Templo contentio de Sedis prærogativa, eous-

eousque invaluit, ut Julius graviter vulneratus, paulopoſt occubuerit, alter vero itidem ſaucius e Templo in cuſtodiam abductus fuerit. Denique Ferdinandus Rex Dresda redux die vigeſima ſexta Octobris peracto feliciter itinere domum reverſus eſt, a Græciensibus perhonorifice exceptus. Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CLXXXIII.

Proteſtantium Principum conventus Heilbronæ habitus.

Quamvis Ferdinandi electio omnibus Catholicis Principibus pergrata fuiſſet, atque ex ipſis Bohemiæ Statibus, quos *ſub utraque* appellant, nonniſi pauciſſimi primo refragantes, paulopoſt eandem ſuo quoque ſuffragio aut ſaltem ſilentio approbaſſent, ſoli tamen Principes, Statusque *Correſpondentes* huic Ferdinandeæ adoptioni non alia ex cauſſa refragabantur, niſi quod *Ferdinandum Catholicis noſſent nimis eſſe addictum.* Eapropter, quid factu opus eſſet, deliberaturi, denuo Heilbrunæ conventum agebant, in quo ſuperiorum temporum fœdera contra Cæſarem, & Catholicos inita confirmarunt, novaque cum exteris præcipue Hollandis inierunt, ac ipſemet Fridericus Palatinus Elector non ſemel Galliæ & Angliæ Re-

Merc. Gallob. tom. 11. *l.* 4. *Jæger hiſt. Eccl. l.* 7. *c.* 1. *Annal. Boic. tom.* 3. *p.* 3. *l.* 3.

Carafa Comm. de Germ. Sacr. Reſt. p. 54.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

ges literis ſuis ad fœdera contra Cæſarem ineunda ſollicitabat, reclamante licet quodam Heidelbergenſi Conſiliario, cui quidem Catholicos extirpandi conſilium probabatur, id tamen Batavorum ope fieri diſplicebat, unde etiam Wakerus Imperii miſere dilacerati cauſſam Hollandis unicam adſcribebat, eoquod *hi tam audacter contra Cæſaream Majeſtatem, & Romanum Imperium inſurgere, illudque integrum ludificari præſumerent.* Querebatur etiam jam antea ipſe Imperator in comitiis Pragæ habitis coram Imperii Statibus de arrogantia, continuisque Hollandorum in Imperium excurſionibus & in Archiepiſcopatus, & Ducatus, necnon de violentia, qua occupato tranſitu ad Rhenum, Moſam, Ameſim, Viſurgum, Albim & Oderam inſuper Brunsvicenſibus ſuccurrere, Juliacum invadere, atque in Cæſareæ Majeſtatis perniciem ipſum etiam Sultanum ad bellum Germaniæ inferendum urgere præſumpſiſſent.

Epiſt. ad Amic. anno 1614.

§. CLXXXIV.

Cæſar Proteſtantes a perniciosis fœderibus nequicquam dehortatus.

Verum Proteſtantes, cum Auſtriacam Domum evertere, firmum fixumque haberent, has Cæſaris querelas flocci habe-

habebant: poſtquam vero Mathias Imperator compererat, quod Heilbrunæ congregati præter arma in Hiſpanos, & Ferdinandum Archiducem parata, & alia ſubſidia a ſuis Fœderatis decreta, inſuper novum in Germania bellum, quo Catholici unacum Cæſare detinerentur, clam adornaſſent, hinc Cæſar ad Electorem Heidelbergenſem literas dedit, quibus ipſum, ceterosque Proteſtantes Status hortabatur, ut pernicioſas in Imperio diſſenſiones, necnon adverſus pacta Electoralia, aureamque Bullam initas inter ſe fœderationes ſolverent, militiamque exauctorarent, eoquod viciſſim Catholici fœderati ad abrogandam ſuorum unionem paratos ſeſe exhibuiſſent, dummodo idem a Proteſtantibus quoque fieret: His alias quoque literas ad Principes Heilbrunæ congregatos addidit Imperator, quarum hæc ſumma eſt: „Noſtis, quam paterne vos die decima octava Aprilis anno 1613. monuerim, ut fideliter mihi adhærentes ab „omnibus fœderationibus abſtineatis: „nec etiam ignoratis, quam ſollicite ac „ſæpiſſime incubuerim, ut gravamina „veſtra abrogarem, quod ipſum etiamnum vel amica transactione, vel aliis „in Imperio receptis mediis facere, „factasque eo nomine armorum Socie-

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A. C. 1617. „tates tollere cupiam. Dedi quidem „ad Moguntinum, & Palatinum Ele- „ctores eo fine literas, ut vos ab his „unionibus dehortaretur: inde omnes „facile colligere poſſent, interveniente „etiam mea promiſſione & mandato, „ejusmodi fœderibus haud amplius o- „pus eſſe, ſed decere potius, jam fa- „ctas uniones abrogare, quam novis „conventibus eas confirmare; cum præ- „ſertim iſtæ in periculoſas diſſenſiones, „& pernicioſam Imperialis Unionis, & „Imperii Conſtitutionum everſionem, „ſummum apud exteros opprobrium, „& bellicos tumultus deſinere, quam „facillime poſſint. Hinc mearum par- „tium eſt, ut monente meo Officio & „Bulla aurea, periculum hoc a finibus „Imperii avertam, prout hactenus egi, „& reipſa a Catholicis obtinui, ut cun- „ctas uniones, dummodo Proteſtantes „idem faciant, ſe abrogaturos promi- „ſerint. Igitur moneo, & præcipio, „ut habita ratione juramenti, quo mihi „addicti eſtis, reſciſſis ejusmodi fœde- „ribus in obſequium redeatis, & quie- „te viventes ſalutarem meam intentio- „nem promoveatis: viciſſim declaro, „quod ea, quæ promiſi, effectui dare „vosque adverſus omnem vim externam „defendere, nulloque novo onere gra- „vare intendam. „

§. CLXXXV.

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

§. CLXXXV.

Proteſtantium Heilbrunæ congregatorum literæ ad Cæſarem.

Ad haſce Cæſaris literas uniti Proteſtantes reſpondere haud dubitarunt, „quod de pia Imperatoris voluntate perſuaſi, cunctos Imperii Ordines ſub uno „Capite ſuo Cæſare uniri, ipſimet unice exoptarent, cauſſa vero, quominus ad finem iſtum perveniri valeat, penes ipſos non ſtaret, cum ab „aliis potius id actum fuiſſet, ut Evangelici vario ſub obtentu contra pacem „Religionis, aliaque profana pacta opprimerentur, & impetrata magno diſpendio libertate Religionis privarentur: proin unio inter ſe inita „eſſet, nullo alio ex fine, niſi ut „adverſus externam injuriam ſe tuerentur, non autem, ut a Cæſare ſe „ſepararent, quin potius in obedientia „Cæſari debita conſtanter permanere „parati eſſent: de cetero autem in Bullam auream ſe non deliquiſſe aſſerebant, eoquod tam Rudolphus, quam „Mathias Imperatores de eorum unione non male ſenſiſſent, quia ex ea „nec ullus motus in Imperio exſtitiſſet, „nec impoſterum exſtiturus eſſet, niſi „ad juſtam defenſionem compellantur.„

Merc. Gallob. tom. 11. *l.* 4. *Jæger. Hiſt. l. c. Annal. Boic. tom.* 3. *l.* 3. *part.* 3. *num.* 4.

Sæc. XVII. A. C. 1617. His præmiſſis, cum Cæſar *Ligam* ſeu Catholicorum unionem diſſolutum iri ſpondiſſet, ad hoc reſponderunt Proteſtantes, *ingens inter utramque unionem diſcrimen eſſe; Catholicis enim, præſertim Eccleſiaſticis Romæ Principem, Caputque ſocialis amicitiæ ſupereſſe, etſi hi omnia alia abrumperent fœdera, Proteſtantibus vero, ſi ſua dirimerent, neminem præter Cæſarem eſſe reliquum, cujus curis atque vigiliis cauſſæ ſuæ defenſionem committerent.* Perinde acſi Cæſari haud cognitum fuiſſet, quod contra ipſum Proteſtantes ſibi ſuæ unionis Caput & Ducem conſtituiſſent Fridericum Palatinum Electorem, quo facto ſane prodidere, quam inique de Cæſaris communi in omnes Imperii Ordines affectu ſenſerint. Multa dein addiderunt, inolito jam cavillandi ſtudio, de Donawertha nondum reſtituta, quam tamen norant ex norma legum Imperii, & Rudolphi Cæſaris ſententia, non eſſe reſtituendam, priusquam expenſas in ſupprimenda civium rebellione factas ipſa civitas, vel alius quispiam refudiſſet. Poſtea adjecerunt veteres querelas de ſuis gravaminibus nondum ſublatis, cum tamen ipſi per injuſtas ſuas Archiepiſcopatuum, Epiſcopatuum, Prælaturarum, bonorumque Eccleſiaſticorum invaſiones Catholicis

ad

ad Rhenum, Mænum, Moſellam & Danubium habitantibus novas indies querendi cauſſas ſuppeditaſſent: Inſuper poſtulabant toties jactatum inter partes Religionis cauſſa diſſidentes æquilibrium; nomen quidem ſpecioſum, ſed quo reipſa juſtitiæ libellam, more novo, in quam ipſi lancem vellent, inclinarent, aut ſuſpenderent. Igitur ex eorum reſponſo, totaque agendi ratione non difficile erat augurari, eorum potius arma in Cæſareæ auctoritatis, & Catholicorum perniciem ſpectare, quam in quietem & Cæſaris imperio obſequendi ſtudium: unde jam tum præludebant futuræ ſeceſſioni, & civili diſcordiæ, ex qua poſtea internecinum bellum adverſus Cæſarem timendum erat. *Nec fefellit*, addit recens rerum Boicarum Scriptor, *lævum iſtud augurium; erupit enim in Bohemia incendium, quod mox in Auſtriam, Moraviam, Sileſiam, & Luſatiam propagatum ſimul pertraxit in partes Europæos Reges, Imperii Principes, præſertim Maximilianum Bavariæ Ducem, Civitates liberas, Respublicas, atque Europam prope uuiverſam, ex quibus initiis male adolevere innumera.* Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CLXXXVI.

Fruſtranea Friderici Palatini Electoris molimina de Ferdinando ab Imperii corona excluendo.

Adlzreit. ann. Boici l. c. n. 7. Calmet Hiſt. Univ. l. 150.

Haud incognitum erat Proteſtantibus, quod Mathias unacum Ferdinando Archiduce, & Maximiliano Fratre ſuo Dresdam, & inde Monachium iter eo fine ſuſcepiſſent, ut tam Saxoniæ Electorem, quam Maximilianum Bavariæ Ducem eo inclinarent, quatenus Ferdinando Imperatoriam quoque coronam deferri, ſuo etiam ſuffragio niterentur. Æqua utrique videbatur Cæſaris petitio, quam potiſſimum Ferdinandi probitas, prudentia, fortitudo, ceteraque mentis ornamenta, quæ tantum Principem decent, commendabant. Angebat autem præconcepta hæc Ferdinandi electio præcipue Fridericum Palatinum unionis Proteſtanticæ Caput, Ducemque; verebatur enim, ne qua Proteſtantium unitorum conſiliis per hanc ſucceſſionem, ac Principis apprime pii, inque paucis Catholici electionem obex poneretur: cum vero Saxoniæ Electorem a concepto in Ferdinandum affectu avertere deſperaret, alium ſaltem æmulum eidem

dem opponere decrevit, nil intentatum, inausumque relinquens, ut Moguntinum & Brandeburgicum Electores a Ferdinandi electione alienos redderet, eisque Maximilianum Bavariæ Ducem, si de electione Regis Romanorum ageretur, Ferdinando Austriaco præferendum suaderet. Attamen Fridericum ad hoc consilium non impellebat benefica in Maximilianum voluntas, sed *odium in Imperatorem*, & Ferdinandum, *quem nec Cæsarem volebat, nec Regem Bohemiæ pati poterat*; incitabat quoque spes, *dissensione Ferdinandum inter & Maximilianum inde suscitata, neutrum fore Protestantium viribus æqualem, inferiorem utrumque*, proin Maximilianum, ut æmulo suo par esset, ad Acatholicorum opem implorandam redactum, & eo ipso coactum iri, ut ipsis, utpote quibus Imperii fastigium in acceptis referre teneretur, quicquid ab eo peterent, liberaliter indulgeret. Hujus igitur spei amplitudine incitatus Fridericus Elector, vertente jam hyeme Monachii Maximilianum Ducem adit, eique Imperatoriam dignitatem ultro offert, subdole etiam promisso Electorum Moguntini & Brandeburgici suffragio. Suspecta erat Maximiliano Principi prudentissimo tam subita Friderici amicitia: igitur gratiis pro tam benevola in

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Ann. Politic. de Wilhelm pag. 450. *Blanc. Hist. de Bavier. tom.* 4.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

se mente actis oblationem sibi factam allatis multis rationibus rejecit, suasitque saniora, addens, *hoc sibi præstabilius videri, ut omnes sua sorte contenti, redeant ad avitam Religionis unionem, sinantque fata, ordine Divino, & ex humanarum sanctionum præscripto, sceptra & diademata dispertiri: de cetero autem ipse ab ejusmodi consiliis prorsus alienus esset, eo potissimum Imperii statu, quo Ordines ob Religionis dissidia, abjecto parendi obsequio, in privatas factiones abirent.* Hac repulsa Fridericus se sua spe dejectum dolens, exarsit in odium eo acrius, quo diutius illud dissimulabat, sperans, fore tandem, ut Maximilianum, quem per se non poterat, per Legatos in suas partes pertracturus esset; ipsus vero interim Ferdinandum, quia Catholicum, & potentem, ab Imperio arcendi cupiditate accensus, de Daniæ Rege, postea de Mauritio Nassovio, & tandem Sabaudiæ Duce ad Imperii fasces vocandis serio cogitabat, ut referunt Annales: nec id mirum; inducebatur enim Princeps adhuc juvenis, rerumque experientia necdum subactus in ejusmodi consilia a perversis suis Consultoribus, & præcipue a Sculteto & Ludovico Camerario, quorum suasu suam fortunam denique penitus evertit. Hæc Friderici molimina Cæsarem

sarem minime latebant, unde ut Ferdinandum adversus hostes suos magis firmaret, de eodem in Hungariæ Regem eligendo agere constituit, prout anno sequenti memorabimus. Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CLXXXVII.

Novesienses Protestantes in Silesia adversus Wratislaviensium Episcopum tumultuantes.

Sub idem tempus concitata est in Silesia a Protestantibus quædam contentio adversus Carolum Austriæ Ducem & Wratislaviensem Brixiensemque Episcopum; Hic enim, cum Novesienses cives eundem gravibus verborum contumeliis atque injuriis identidem lacessere non dubitarent, ex iis duos in captivitatem abduci, atque alium capite plecti jussit. Exinde Silesitæ Principes mox sectam suam turbari vociferantes horum rebellium patrocinium suscepere. Cum ergo Episcopus reprimendis Novesiensium insultibus impar esset, datis ad Sigismundum Poloniæ Regem literis atroces, quibus a seditiosis suis subditis affectus esset, injurias exposuit, declarans, quod hi eo processerint contumaciæ, ut omni denegata sibi obedientia, tam indigna adversus ipsum attentarint, quæ ne infimæ quidem sortis

Merc. Gallob. tom. II. lib. 3. relat. Hist. Mercer. p. 67.

Sæc. XVII. A.C. 1617.

fortis homini, nedum Archiduci, Regiique ſanguinis Epiſcopo toleranda eſſent: igitur pro coercendis hisce rebellibus, & contumacibus ſuis ſubditis auxilium a Rege petiiſſet. Annuit Sigismundus Epiſcopi precibus, huncque in finem eidem pecunia & milite ſubvenire omnino ſtatuit: quoniam vero ejus copiæ Sileſitarum Procerum fines pertranſire coacti eſſent, hinc datis ad eos literis tranſitus libertatem ab illis petiit, qua denegata, ſe aliis mediis uſurum ſignificavit. Verum ad has Regis literas reſponderunt Principes, „quod Noveſienſes hactenus quidem in „Religionis exercitio haud parum tur„bati fuiſſent, nunquam tamen ad ho„ſtilem ejusmodi motum Epiſcopo an„ſam dediſſent, proin non ſatis mirari „poſſent Principes, quod Rex unius E„piſcopi literis permotus, militem ad„verſus Sileſiam parare voluerit, qua„propter potius ſibi perſuaſum haberent, „hæc non ex Regis arbitrio, ſed a Pro„vinciæ hoſtibus profecta fuiſſe: quod „ſi tamen quid tentatum iri contingat, „vicini ad Provincias ſubſidium accur„rentes, dubium omnino belli exitum „facturi ſint: quod autem Rex militem „in Sileſiam introducere petat, id con„cedere non ipſorum, ſed Cæſaris fo„ret: interim vero firmum, fixumque

„habe-

„haberent, nullatenus permittere, ut „Provincia ab extero mitite vaſtetur, „atque diripiatur". Attamen haud mirandum, quod hi Proteſtantes Sileſitæ ſeditioſos in ſua erga legitimum ſuum Principem rebellione firmare non dubitarint, cum paulopoſt ipſum Ferdinandum Regem ſuum Regno abdicandum, aliumque eſſe eligendum, decernere, non erubuiſſent. Sæc. XVII. Sæc. 1617. *Anno* 1619. 21. *Aug.*

§. CLXXXVIII.

Beærniæ Principatus Galliæ imperio unitus.

Qua parte Pyrenæi montes ab Hiſpania Franciam dividentes in Aquitaniæ latus Auſtrale ſeſe demittunt, ſitus eſt Bearniæ Principatus, qui a Joanna Labretana Henrico IV. Filio ſuo relictus fuerat: eo regnante Bearnenſes populi ſuopte quodammodo genio, legibus, ac Religione utebantur: Ludovicus autem hujus nominis decimus tertius Henrici filius ac hæres hunc Principatum Gallicæ coronæ & legibus unire conſtituit: Verum Calviniſtæ, quorum Secta ibidem unice vigebat, huic unioni acriter reclamabant, hanc Regiminis viciſſitudinem ſuæ Religioni & privilegiis exitialem fore ſuſpicati: Rex tamen ſui propoſiti tenax Bearnenſibus *Gramond. Hiſt. l. 3.*

Sæc. XVII. A. C. 1617.

sibus, ut huic unioni subscriberent, persuasit, refractarios autem edicto ad assensum adegit, quamvis postea Calvinistæ in Regem suum rebelles Renatum, quem Rex ad eos Legatum miserat, contumelioſe ejectum, consputum, irrisum, omnique contumeliæ genere præsertim auctore Jacobo Forcæo Pro-Rege Calvini studiosissimo affeciſſent, eoquod hic Legatus ibidem leges Regias ipsis parum gratas promulgare jussus esset: unde Rex ad coercendos hosce rebelles Sectarios copias suas eo mittere cogebatur, uti postea referemus.

Vid. ad ann. 1620.

§. CLXXXIX.

Idem Principatus Catholicæ Religioni restitutus.

Abregé chron. de l'Hist. Gall. t. 3. p. 196.

Quamvis Religio Catholica in Bearnensi Principatu per plurima sæcula quietam conservasset possessionem, & nonnisi anno Christi milleſimo quingenteſimo sexageſimo nono Calvini Secta e suis cunis ad hanc ditionem per Joannem Labretanam Henrici IV. Matrem transplantata esset, nihilominus Bearnenses Calviniſtæ depontanum suæ sectæ ac possessionis senium jactitabant; iniquas autem horum querelas flocci pendens Ludovicus Rex promulgato edicto Orthodoxos ritus & doctrinam, Religionemque

que Catholicam, ac præcipue incruentum in Templis Sacrificium, Episcopos Cænobiarchas, & sacratos animarum Pastores instaurari jussit. Insuper Ecclesiasticorum bona & facultates Calvinianis Ministris adjudicatas aut in profanos usus conversas, quas jam ante biennium Franciæ Clerus repetebat, pristinis suis Possessoribus legitimis restitui præcepit. Obstiterant acrius huic mandato Calviniani Verbi Nundinatores, eo obtentu, quod hi Ecclesiarum proventus ipsis annuæ pensionis nomine pro alendis uxoribus & liberis, ac prædicando Evangelio assignati fuissent: ne ergo hi pro more suo populum ad seditionem concitandi ansam exinde arriperent, Rex tantundem eis ex ærario rependi curabat, quantum injustæ cujusque Ministelli possessioni juste detractum esset. His igitur Regiis legibus Calvinistarum manus potius, quam animi subscripsere. Ab hac primum die, inquit Gramondus, Calvinistæ, qui hucusque Regi leges præscripserant, eas ab eo accepere, primus hic quoque in sectæ muros aries est adhibitus, quo tandem patuit, quod possent debellari etiam illi, quos suorum unione & concordia invictos fore, communis error vulgaverat.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CXC.

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

§. CXC.

Elbingenſium cum Epiſcopo Varmienſi controverſia de Parochiali civitatis Templo.

Jam ſuperioribus annis exorta erat inter Sigismundum Steinſonium Parochum, & Senatum civitatis Elbingenſis in Pruſia Polonica, ingens de Templo Parochiali controverſia; cum vero Sigismundus Poloniæ Rex prævalente Sectariorum pertinacia Elbingenſes ad officium per mandata ſua reducere haud poſſet, eos tandem publico proſcriptionis edicto coercere cogebatur. Horum calamitatem miſertus Simon Rudnichius Varmienſis Epiſcopus inter præfatum Parochum & Senatum Heilsbergæ conventum haberi voluit, ac inter cetera concordiæ media propoſuit, aut integram veteris urbis Parochiam Parocho eſſe relinquendam, aut occupata novæ civitatis Parochia, in veteri inſuper urbe Templum novum eſſe exſtruendum. Præplacuit prima transactionis via, conventumque, ut Parochus ſolo veteris urbis Templo contentus eſſet, iis tamen conditionibus, I. Rex petente Epiſcopo caveat, ut hæc ceſſio privilegiis circa reliqua Templa non ſit præjudicio. II. Epiſcopus impetrata

ta proscriptionis relaxatione, & damnorum compensatione, juri suo in Templum novæ civitatis renuntiet. III. Civitatis Magistratus non impediat, ne Catholici Sponsi proclamentur, nec viciſſim Parochus quicquam contra jus civitatis moliatur. IV. Nec Sepulcra violentur, nec loco moveantur, atque in Templo Parochiali & in una parte cæmeterii, sepeliantur soli Catholici, in altera vero parte Lutherani, simulque Magistratus de alio magis capaci loco Catholicis prospiciat. V. in exequiis insscio Parocho campanæ non pulsentur. VI. nullæ supplicationes extra cæmeterii Parochialis fines fiant, liberum tamen sit Catholicæ Religionis exercitium neque deportatio Sacramenti ad infirmos, nec funerum pompa impediatur. VII. a scomatibus & injuriis in Concionibus abstineatur, pœna utrinque constituta. VIII. Sacerdotes sæculares, non autem Religiosi functiones Ecclesiasticas peragant. IX. Suppellex Sacra pretiosior a Senatu custodiatur, Parocho petenti semper communicanda: quotidiana autem, sicut & Bibliotheca Parocho committatur. X. Templi reparatio a Magistratu fiat. Hæc transactionis capita utrinque subscripta, ac sigillis munita Sigismundus Poloniæ Rex suo quoque consensu, atque

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

que auctoritate die decima quarta Junii anno priori firmabat: in secundo tamen articulo ad præfatam renuntiationem simul omnium Regni Ordinum consensum esse requirendum declarabat: ad nonum vero adjunxit, quod Catholici a cura Templi non excludantur, necnon claves ad omnem Ecclesiæ suppellectilem etiam Parochus habeat.

§. CXCI.

Ordo Fratrum Joannis de Deo institutus, & ille Scholarum piarum a sede Apostolica approbatus.

Franc. Castro vit. S. Joann. de Deo Bullar. Magn. Const 101. & 103. *Pauli V.*

Hoc item anno Congregatio Fratrum Joannis de Deo ad suscipiendos & fovendos pauperes infirmos etiam Romæ instituta est. Hic Ordo jam a Pio V. Constitutione, quæ incipit: *licet ex debito* &c. Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo secundo sub Regula Sancti Augustini confirmatus fuit, & Paulus V. hoc anno die decima tertia Februarii hanc Congregationem in veram Religionem sub tribus votis solemnibus erexit, & die decima quinta Aprilis Apostolico diplomate, cujus initium est: *Ea, quæ pro* &c. ejusdem Constitutiones pro prospero hujus Congrega-

gregationis Regimine conditas approbavit. Idem quoque Pontifex die sexta Martii hoc anno Congregationem Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum piarum ad pauperes pueros pie & absque ulla mercede instituendos atque erudiendos erexit: quocirca passim *Paulina* vocabatur *Congregatio*, postea eam Gregorius XV. die decima octava Novembris anno Salutis nostræ millesimo sexcentesimo vigesimo primo approbavit, atque in veram Religionem solemni votorum sponsione erexit: Innocentius X. anno post Christum natum millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo decrevit, ut hujus Congregationis Alumni nullis Religiosorum votis adstricti ad normam Sacerdotum ex Congregatione S. Philippi Nerii viverent, quamvis postea Clemens IX. anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono rursus hanc Congregationem ad pristinum Religiosorum statum revocarit, uti testatur Clemens X. in suo diplomate, quod incipit: *Cum felicis recordationis &c.* Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CXCII.

Aliæ Pauli V. Pontificis Constitutiones.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Idem quoque ſummus Pontifex hoc anno quasdam edidit conſtitutiones, & quidem die vigeſima quinta Januarii quædam approbavit ſtatuta, quæ a Fratribus Eremitis S. Auguſtini Congregationis Siculæ condita ſuere. Pariter die vigeſima Martii Fratribus Minoribus Ordinis Sancti Franciſci benigne indulſit, ut ſemel in Menſe prima die non impedita de S. Franciſco Officium, prout in die feſto ejusdem Sancti, recitare valeant. Jam priori anno die ſexta Julii exortis in Hiſpania & alibi vehementibus turbis Paulus V. Conſtitutiones Sixti IV. & Pii V. de Conceptione B. V. Mariæ editas confirmabat, earumque transgreſſores gravioribus adhuc pœnis a locorum Ordinariis, & Inquiſitoribus puniri jubebat, cum autem, relicta utramque ſententiam propugnandi facultate, nondum ſubmota eſſent inter fideles ſcandala, hinc Pontifex inhibuit, ne in actibus publicis aſſereretur, Beatiſſimam Virginem in peccato originali fuiſſe conceptam. Eadem Conſtitutio poſtea a Gregorio XV. & Alexandro VII. innovata eſt. Præterea idem Papa Sancti Sylveſtri Cuzolini Nobilis Auximani merita plurimum commendans, Congregationem Monachorum ab eodem Sancto inſtitutam pluribus auxit favoribus.

Bullar. Magn. t. 3. Paul. V.

Vid. Supra Lib. CXC. §. 63.

ribus. Die autem duodecima Octobris exorto inter Franciscanos & Capuccinos diffidio declaravit, quod hi in publicis supplicationibus ubique propriam Crucem deferre valeant. Die autem vigesima Novembris constitutiones Sixti V. & Clementis VIII. de non alienandis bonis declarabat. Denique Pontifex die secunda Decembris ad Indicem librorum prohibitorum rejici jussit librum, cui titulus: *Deus & Rex, seu Dialogus, quo demonstratur Jacobum Regem in Regnis suis justissime sibi vendicare, quicquid in juramento fidelitatis requiritur.* Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CXCIII.

Scoti ad amplectendum Ecclesiæ Anglicanæ ritum a Jacobo I. Rege coacti.

Quo magis Jacobus I. Angliæ Rex supremum, ac Monarchicum imperium sibi vendicare intentus erat, eo ardentius Puritanos, præcipue Scotos a sua regiminis norma, quæ Aristocratiæ accedebat, avertere nitebatur, cumque privatarum Communitatum Presbyteri, Clerique conventus omnem sibi auctoritatem asseruissent, Episcopis præter inane nomen nulla potestate relicta, hinc Scotiæ Ecclesiam, ad Anglicanæ, a qua hæc in aliis etiam

Annal. Jacob. I. Thoiras Hist. d' Angl. l. 18. Calmet Hist. Univ. l. 152. rum. 48.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

differebat articulis, normam sensim reducere statuit. Hunc in finem jam antea ad generalem hujus Regni Synodum sequentes transmiserat articulos Ecclesiæ Canonibus inserendos. I. Deinceps flexo poplite communio recipiatur. II. Eucharistiæ Sacramentum ad infirmos deferatur, ibique saltem tres aut quatuor Personæ Synaxin recipere jubeantur. III. In die Nativitatis Dominicæ, Paschatis, Ascensionis, & Pentecostes tanquam dies festi celebrentur, & Concionatores textibus ad hæc festa accommodis utantur. IV. Confirmatio hoc modo administretur scilicet, Ministri infantes ad septimum vel octavum ætatis annum provectos doctrina Christiana imbuant, postea Episcopi Diœcesin visitaturi, eis suam impertiantur benedictionem, precantes Deum, ut ipsis suam gratiam, & Spiritus Sancti dona indulgeat. V. Baptismus ultra proximam diem Dominicam non differatur, urgente autem necessitate in privatis domibus administretur, & proximo Dominico die Baptismum sic fuisse collatum in Templo annuntietur. Quartum articulum Rex duntaxat eo fine urgebat, ut saltem Episcopi in hac functione partem aliquam haberent. Ceterum Ministri in Scotia congregati, cum Regis consilium

lium facile ſubolerent, eidem palam declarabant, quod ad conſervandam pacem hos articulos quidem acceptare haud renuerent, illos tamen Canonibus inſerere haud neceſſarium foret, cum ob eorum novitatem ad ſtabiliendam perfectam unionem minus idonei eſſent: Hac repulſa offenſus Rex, non modo hos articulos, ſed ceteros omnes Eccleſiæ Anglicanæ ritus Scotis vi obtrudere ſtatuit, ratus, ſibi tanquam ſupremo Eccleſiæ Capiti, Religionem, quamcunque voluerit, ſuis ſubditis præſcribendi poteſtatem competere: Eapropter hoc anno ipſus in Scotiam iter inſtituit, ſparſo prius rumore, quod ibidem non quidem Politicum aut Eccleſiaſticum Regimen immutare, ſed duntaxat quasdam corruptelas in Eccleſiam, & Statum irrepentes emendare intendat: Præmiſerat quoque ex Anglis Nobilibus nonnullos, qui ſecum icones, & Statuas Sanctorum Apoſtolorum deferebant, illisque Regium Edinenſe Sacellum ornari curabant, quo conſpecto Scoti plus æquo indignantes exclamabant: *Icones præcedunt, paulopoſt Miſſa ſequetur.* Poſtquam Rex Bervicum pervenerat, Regni comitia prorogari juſſit, ut ipſus præſens die decima octava Junii habita oratione illis initium dare

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

posset. Expositit autem inter cetera, quod suus adventus necessarius fuisset ad illud Regnum, *in quo publice Evangelii professio nisi septem annos ante ipsum natum non obtinuit, quo tempore tot damnis afflicta fuit Ecclesia, tot vulneribus confossa, ut non minus vere, quam vulgo de ea dici consueverit, Reformationis prætextu deformationem subiisse.* Postea Rex quosdam nominari petiit, qui cuncta ad Religionem spectantia discuterent, atque emendarent: quinimo horum nominatione haud exspectata, tres sibi addictos ipsus designabat: repugnante autem Senatu Rex in furorem actus, sibi omnino obtemperandum esse edixit, ipsusque sequentem præscripsit articulum: *quicquid a Rege & Episcopis fuerit sanctum circa externum Ecclesiæ Regimen, id omne pro lege Ecclesiastica habeatur, cui omnes sese submittere teneantur.* His subjunxit Rex: *non equidem prudentum Ministrorum consilia respuo, tolerare autem nequeo, ut meo judicio prævaleat major suffragantium numerus, prout antehac in Cleri comitiis factum est. Episcopi regant Ministros, & Rex regat universos in omnibus, quæ Dei obsequio non repugnant.* Ex his Edinenses ac circumvicini Pastorculi despoticum Regis imperium perspicientes, suæque auctoritatis excidium imminere rati, malo remedium oppo-

opponere ſtatuunt, hancque ob rem contra præfatum articulum palam reclamant, ac quemdam Miniſtrum nomine Hevetum ablegant, qui eorum querelas Regi ſcriptotenus traderet: Hic anterius Regis cubile ingreſſus, ſcriptum hoc tradere ab Archiepiſcopo Sant-Andreano rogatur: cum autem hic illud in ſuam peram reconderet, mox Miniſter in illum irruens, ſcriptum ex ejus manibus cum tanto impetu ac tumultu extorſit, ut Rex e cubili ſuo proſiliens, re comperta Miniſtrum tam aſperis redargueret verbis, ut hic ad ejus pedes provolutus, petita venia, ſe nunquam huic cauſſæ ingeſſurum ſponderet. Cum nihilominus Rex ad ſui propoſiti executionem conſenſum Miniſtrorum ſibi neceſſarium fore cognoſceret, his omnibus ad diem decimam Julii convocatis hæc expoſuit: „Plurimas, quibus me læſiſtis injurias „hucusque diſſimulavi, nunc vero edi„cite veſtras rationes, ob quas meo man„dato obſiſtitis: ratione duci paratus „ſum, ſi vero juſta & pia præcipio, „ea mihi denegari, aut reſiſti non pa„tior.„ Poſtrema hæc verba Rex tanta ſeveritate & Majeſtate pronuntiabat, ut omnes Miniſtri velut fulmine tacti ad ejus pedes corruerent: Rex vero hæc addidit, jure naturæ & ex

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

„prærogativa omnibus Christianis Re„gibus concessa Ecclesiæ disciplinam, „accedente Episcoporum consilio, ad „arbitrium meum dirigendi potestas „mihi competit: attendite igitur, sive „eam approbaveritis, sive non, ita erit, „uti volo.„ His perceptis Ministri deliberatione inter se habita Regi supplicarunt, ut Synodum, in qua hi articuli communi suffragio acceptarentur, haberi permitteret: Renuit Rex, hæc subjungens, num de Synodi assensu cavere audetis? „& si ea meos articulos „sit rejectura, nonne Regia potestate uti „compellor, nonne tum vos e vestris „suggestibus contra me declamabitis, „meque tanquam Tyrannum & Ecclesiæ hostem pro more vestro traducetis?„ Tum omnes uno ore exclamarunt, *absit hoc a nobis: contrarium tamen*, addebat Rex, *jam expertus sum, quocirca non celebrabitis Synodum*, quam tamen postea placatior factus eis indulsit, Simsonium vero Prædicantem, qui scriptam repulsam confecerat, carcere, Catherwodum vero, qui ceteros Ministros ad reclamandum incitabat, exilio plecti jussit.

§. CXCIV.

Quinque articuli in Berthensi conventu ab Angliæ Ministris acceptati.

Habe-

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Habebatur quidem Menſe Novembri Miniſtrorum Conventus in Sant-Andreano oppido, ubi tamen decretum, quod quinque articulorum acceptatio differenda foret, donec ceteræ Regni Eccleſiæ hac de re plene edocerentur. Re comperta Rex atrociori indignatione excanduit, ſuamque auctoritatem vilipendi ratus, per integrum annum Miniſtros ſtipendiis ſuis privari, aliumque conventum Berthi ad diem vigeſimam quintam Menſis Auguſti anno ſequenti haberi præcepit, dato etiam Sant-Andreano & Glaſcuano Epiſcopis negotio, ut ipſimet Nativitatis Dominicæ Feſtum celebrantes, textus ad hanc ſolemnitatem accommodos in ſuis Concionibus exponerent. In hoc igitur conventu Calvinianæ doctrinæ Miniſtris, apud quos amittendi ſalarii formido tuendæ ſectæ ſtudio longe prævaluit, tandem in quinque hoſce articulos conſenſere. Nihilominus conſcientiis vim illatam querentes, per univerſam Scotiam tot turbarum ſemina ſparſere, totumque Regnum tam pernicioſis motibus agitarunt, ut creſcente indies Puritanorum indignatione Jacobi I. Regis Filius ac Succeſſor honorem, ſceptrum & vitam amitteret. Tantam ſuadet moderationem, ac manſuetudinem Calvini Evangelium.

Calmet & Thoiras l. c. Bnnal. de Jacob. I. Abregé chronol. t. 3. pag. 418.

§. CXCV.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CXCV.

Jacobi I. Angliæ Regis ſtatutum de oblectamentis in Dominicis diebus.

Wilſon pag. 105. Annal. de Jacob. I. Calmet l. c.

Poſtquam Rex Puritanos Miniſtros ad acceptandos hoſce articulos compulerat, e Scotia in Angliam revertebatur, cumque ſuo itineri intentus eſſet, nova Eccleſiaſticæ ſuæ poteſtatis exercendæ occaſio ſeſe eidem offerebat, quippe famuli, operarii, opificum Miniſtri aliique inferioris plebis homines eidem libellum ſupplicem porrigentes, de ſuis Miniſtris querebantur, quod peracto Divino Officio ludere, choreas agere, tabernas frequentare, aliisque oblectamentis in die Dominica frui prohiberentur, Miniſtris Puritanis docentibus, quod ejusmodi luſus ſanctificationi hujus diei adverſarentur, & Chriſtiani diem Dominicam eodem rigore, quo Judæi Sabbatum colere teneantur, ac propterea eadem dies potius *dies Requiei*, quam Dominica vocanda foret. Horum querela Regem ad damnandam hanc Puritanæ conſcientiæ anxietatem eo potentius incitabat, quo minus dies feſtos ludicris relaxationibus tranſigere, ſibi religioni duxerat: hinc nulla mora librum ſuo nomine edidit, in quo ejus-

ejusmodi oblectamenta nullatenus esse inhibenda declarans, ne quis suæ opinioni obluctaretur, indictis etiam pœnis inhibuit. Appellabatur passim hæc lucubratio *liber de oblectamentis*, adversus quem non modo Puritani, sed etiam nonnulli Angliæ Episcopi calamos suos acuebant, atque inter eos præcipue Londinensis Præfectus, qui Regis sarcinas, quæ in urbem die dominica invehebantur, retineri jussit. Verum Rex suorum indignationes nil moratus, librum suum in omnibus Ecclesiis publice prælegi, & Ministros suo mandato obsistentes severis pœnis castigari præcepit; nihilominus tamen Abbotus Archiepiscopus hunc librum eadem die, qua ejus lectio erat præcepta, in Ecclesia prælegi, intrepide vetabat: Catholicis tamen hac Regis indulgentia frui haud licebat, quamvis ceteroquin in Regno indies numero augerentur, partim ex favore Regii clientis Georgii Villesii postea Bucchingami Comitis, cujus Mater Catholicam profitebatur Religionem, partim ex dissimulatione Regis, cujus de Religione exigua erat sollicitudo, dummodo omnes de supremo ejus jure in Sacra juramentum eidem exsolverent, & nullus se Puritanum diceret.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CXCVI.

Sæc. XVII. A.C. 1617.

§. CXCVI.

Jubilæum a Paulo V. indictum ad divinam opem in præsentibus Ecclesiæ necessitatibus exorandam.

Bulla Magn. Clemen. VIII. Const. 58. & Pauli V. Const. 104. tom. 3.

Quamvis Clemens VIII. pro anno Christi millesimo sexcentesimo Anni Sacri gratias edito diplomate jamjam promulgasset, nihilominus Paulus V. pro more Pontificum Antecessorum pro impetrando Divino auxilio, urgentibus maximis Ecclesiæ ac Reipublicæ necessitatibus, hoc anno speciale Jubilæum Sacrum ad duas hebdomadas Romæ die duodecima Junii indixit, præscripto præter solitas Templorum visitationes, jejunio in feriis quarta, sexta & Sabbato, necnon eleemosyna, prout charitas singulis suggesserit. Ceterum Pontifex hujus Jubilæi diploma ad Moguntinum Archiepiscopum transmiserat, ab eo promulgandum. *Optime consultum*, inquit Gramondus *per stata tempora renovari publicas preces, per quas Sacri effusione thesauri, fidelibus gratia Dei infundatur.*

§. CXCVII.

Lutherani Jubilæi indictio.

Hic

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Hic idem annus, qui Catholicæ Religionis milleſimus ſexcenteſimus decimus ſeptimus erat, pariter Lutheranis primus ſæcularis ſeu centeſimus fluxerat, quamvis igitur de ſectæ ſuæ pueritia potius erubeſcere debuiſſent, atque ex continuis, quibus ea ſenſim ad perfectiorem ſtatum humana ope perpoliebatur, doctrinæ variationibus cognoſcere potuiſſent, quod hic fœtus a bello per Lutheri buccinam Catholicis indicto centenarius, haud amplius, quam puer centum annorum profecerit, ſpurio tamen Catholicos imitandi ſtudio incitati, complures Verbi Lutherani Miniſtri, jubilæi plauſum eſſe celebrandum eo fine autumarunt, ut *pro renata Evangelii, divinique Verbi purioris* (uti loquebantur) *luce*, ſeu verius pro obtentis carnis libertate, & Eccleſiarum bonis publicum gaudium teſtari poſſent. Eapropter Menſe Auguſto Joannem Georgium Saxoniæ Electorem, in cujus terris ſpuria hæc lux primo exorta eſt, impenſe rogabant, ut hæc orgia per omnes Saxoniæ terras indiceret, utpote cui in eas non minus juris, quam apud Italos Paulo V. in Romam, orbisque Catholici Regiones eſſet. Annuit eorum petito Septemvir, qui hac de re decretum, quo præcipue Lipſienſem Univerſitatem ſtimula-

Gramond. Hiſt. Gall. l. 2. Merc. Galob. t. 12. l. 1.

Sæc. XVII. A. C. 1617. mulabat, his verbis conceptum die duodecima Auguſti promulgari juſſit: *Matura præmiſſa rei totius deliberatione conſtitutum eſt, ditionum mearum univerſis populis (quippe qui purioris doctrinæ lumine, vel in primis, & inoffenſe ſæculo jam ſolido ſunt perfruiti) ſolemnitatem indicere triduanam, profanarum occupationum omnium immunem, ac ſacris tantummodo negotiis dedicatam. Dies autem erunt, menſis Octobris poſtremus: Novembris vero primus & ſecundus. His porro præmittuntur, ceu profeſtum, ac ſemiferialis Octobris trigeſimus: utpote cujus horæ pomeridianæ deſtinatæ ſint pſalmodiæ veſpertinæ, delictorum confeſſionibus excipiendis; & animorum in ſequens triduum apparatui cetero. Triduum autem ipſum in urbibus cum primis & oppidis tranſigatur ſumptione Cœnæ Dominicæ; cantilenis populo deſignandis, & binis indies concionibus; ante meridiem una; ſub veſperum altera: niſi quod ſecundi tertiique diei ſermones matutini ſinguli paganis ac villaticis auditoriis ſufficere debere videantur. Concionum porro quarumcunque fiant in templis ac cœtibus, non cujusvis dicentis ad arbitrium, ſed e voluntate Principis argumenta, materiesque pertractentur.*

Acceptis hiſce literis Lipſienſes, & Würtembergenſes Theologi, quin hanc rem

rem esse novam, & inter ipsos antehac nunquam usurpatam (prout tamen Catholicis objectare solebant) quererentur, hanc festivitatem omnibus suæ sectæ affeclis e suggestu annuntiarunt, eis tamen præter Cœnam, conciones & cantilenas nil aliud præscripserunt, ne conscientias gravarent illorum, qui *in libertate vocati persistere, nec jugo servitutis se submittere, sed cœlestem illam παραδοσιν B. Lutheri fundamento Propheticæ & Apostolicæ Scripturæ fultam, & sanguine Martyrum obsignatam fideliter tueri* debent. Dolendum sane, quod Prophetica & Apostolica eorum Scriptura per quindecim omnino sæcula nullius Martyris sui sanguine obsignata fuerit: *Rideant* nihilominus, prosequebantur Wittenbergenses, *hoc institutum nostrum Papæ satellites, Jesuitæ cum omni suo Clero, struant insidias, cogitent dolos, fabricent machinationes, quibus sanctam hanc festivitatem interturbent, & ex Jubilæo nostro Ejulejum faciant, sed & Dominus Deus noster irridebit eos.* Postea idem Elector Coburgensem quoque Ducem ad ejusmodi solemnitatem datis literis incitabat, ad cujus imitationem Spirenses Ministri pariter ad eandem lætitiam Argentinenses sollicitarunt, quamvis Saxonum & Heidelbergensium ritus, huncque Jubilæum

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

celebrandi modum, ne cum ipsorum vitulis arasse viderentur, rejecerint, atque peculiares textus seligere voluerint, petentes ab Argentinensibus, ut quæ ipsorum desuper sententia esset, aperiant, & cum Wormatiensibus communicare velint, ne ob rituum diversitatem Jesuitis calumniandi ansam præbeant. Ceterum in omnibus hisce tam Saxonum quam ceterorum literis solita sectariorum modestia Romanus Pontifex sat liberaliter *Balylonica* & *Apocalyptica Bestia*, *Antichristus*, *Apostata*, *Tyrannus*, *Draco*: Ecclesia autem Catholica, *Idolomania Gentilis*, & *Tyrannis Antichristiana*, Catholici denique *aperti Impostores* nuncupantur, cum tamen hosce Lutheranos Catholicorum nemo sane lacesseret. Porro non modo Wormatienses, Francofordienses, Norimbergenses, aliique Lutherani hoc idem indixere Jubilæum, sed etiam Calvinistæ, quibusdam tamen immutatis; quippe nullam confessionis deponendæ mentionem fecere, nec nomen Calvini, nec inchoatæ suæ defectionis diem, ut ait Gramondus, in suis literis indicarunt, sed duntaxat stata die solemne præscripserunt Professoribus thema *ennarandis caussis*, *ob quas centum abhinc annis Ecclesiæ Evangelicæ* (id sibi nomen arrogant) *a Romana defecerint*,

cerint, id que prima die; in secundam, thema Theologicum erat de Sacerdotum in sacris negligentia, de alto Regum sopore in iis, quæ ad fidem spectant, de Josuæ vigilantia, collapsa restaurantis; in tertiam diem indicta Professori primario, oratio in hanc Summam, uti lapsis in errorem Sanctuarii Ministris, ut vulgatis perperam fidei arcanis, ut invalescente magis ac magis superstitione exortus tandem aliquando Lucifer, qui caligantibus præluxit, reduxit in viam erroneos &c. Ita exactum apud Sectarios jubilæum. Sic imitatur homines Simia putidum & infame animal; sic mentitur humanam Psittacus vocem, cujus non capit ipsos articulos, nedum abstrusa sensus: sic Hyæna devorat, quem imitata voce allexit hominem. Ceterum Lutherani Præcones tot calumniarum & dicteriorum plaustra in Catholicos exonerarunt, ut Lutheranismi essentia & gloria in convitiandi libertate posita videretur, haud alio declamationum fructu, nisi quod exinde Catholicorum animi magis fuerint exacerbati, & Protestantes omnis mali & proximæ cladis calamitatem sibimetipsis accersierint, uti quidam Sectarius ipsemet testatur (*). Sæc. XVII. A. C. 1617.

(*) Es ist schon im vorigen Kapitel die Klage einiger verständigen angeführet worden, von der Unge-

Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CXCVIII.

Persarum Regis crudelitas in Georgianos.

Appam. in ann. 1617. *n.* 9.

In hunc etiam annum Schach-Aba Persarum Rex suum vincendi ardorem expeditionumque cursum latius porrexit, & Achmeti quidem Turcarum Imperatori

---

Ungestümmigkeit, und Heftigkeit vieler protestantischen Prediger, wodurch sie ihnen selbst die Papisten auf den Hals gehäzet hätten. Und dieses weisen ferner die so anzügliche und bittere Schriften von dem lutherischen Jubeljahr (Anno 1617.) welches Jubilæum ein Ejulejus folgte, wie einer schreibet, wie auch so viel andere Bücher sonderlich, welche noch von der böhmischen Unruhe herauskommen sind, darinnen die bäpstischen Prediger zu größerem Grimm immermehr bewogen worden, nachdem man einmal das Wesen des Lutheranismi in solchem Schelten gesetzt. Nur ein Exempel zu geben, so hat der gedachte churſächsische Hofprediger anno 1611. zu Prag unterschiedliche Predigten gehalten, darinnen er ohne Noth dergleichen anzügliche Redensarten durchgehends gebrauchet hat. Er gedenket darinnen der Turbæ Suiticæ der Jesuiten, der schädlichen suitischen Irrthümer, der Suiten Landlügen, der Hoffarth derer Suiten, welche man mit ihrer Lehre zum Land, und zur königlichen Stadt Prag hinaus jagen

tori constanter implacabilis, quicquid ultra Sabæos & Syros, indeque trans Nipatem, Taurumque, montes, in Armenias usque reperit Otomanici Imperii, id omne victricibus invasit armis, atque atrocissimo prælio inter Taurum Sæc. XVII. A. C. 1617.

gen sollte, item ihrer Schlägelgesellen, u. s. f. auch führete er gar untheologische Redensarten in öffentlichen Predigten, als wenn es hieße: Was meinet ihr liebe Prager, sollte Signor Papa GOtt nicht Ursach geben, daß er Martinum erweket, der ihn aus seiner heiligen Kirche gepeitschet? . . . Hier weiß ich wohl, was die spanneuen Münche die Sauiten fürgeben werden, wie einer vor acht Tagen sein Klein ausgeruffen, es ist erlogen, - - - daß thut weh, wenn man einen mit Hanfriemern, oder den Carbatsch über das Leder geräth, darum schmähen, und lästeren solche Leuthe Lutheri Lehre. Und was dergleichen Formeln mehr gewesen. Welche dem allerdings nichts anders, als Verbitterung, und so fort Anschläge bey der bäpstischen Clerisey verursachen mußten, die nach und nach gedachter maßen in ein solches grausames Blutbad ausgeschlagen sind, daß also verständige Leuthe, nach Ueberlegung aller Umstände, freylich nicht anderst schließen können, als daß die vermeinten Seelsorger unter denen Partheyen mit ihren unaufhörlichen Gezäncke die größte Ursach alles Unglücks zu allen Zeiten gewesen. Ita Godefridus Arnold in sua Historia Eccl. & Hæret. part. 2, lib. 17. c. 2. §. 4.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

& Ardevillam commisso Turcas novissime profligavit. Præterea, à quibus hucusque vim abstinuerat, in Christianos, qui *Georgiani* dicuntur, furorem suum exerere cœpit, non sine maximo partæ existimationis suæ detrimento: Hic idem enim Rex, qui Papam, orbemque Christianum tot legationibus, donisque colere solitus, viciſſim a Christianis percultus erat, ac *Discalceatos Carmeli montis Anachoretas, eorumque Christiane vivendi, docendique, ac sacrificandi ritum publicum, unacum Aris, in Regni sui viscera receperat*, superstitioso Persici Alcorani sui amore furens, Dadranum Georgianorum Principem armis oppressit, omnemque Gurzianam utriusque sexus Nobilitatem non modo in suam redegit potestatem, sed omnes, quotquot posset, in Mahometanæ legis ritus vi pertrahere conniſus est. Incitabat autem Regem ad tantam rabiem non modo odium in Religionem Catholicam, quam Georgiani noviſſima Auguſtinianorum Eremitarum opera amplexi sunt, sed potiſſimum fœdus, quod cum Dadrano hujus populi Principe Achmetes tertio abhinc anno injerat. Inde novos suæ potentiæ hostes sibi fingens, nova quoque conscientiarum tyrannide Catholicos Georgianos insectabatur, eorumque Regulos, Prætores, Opti-

Biſel. Med. Hiſt. Sept. III.

Optimates & promiscuæ plebis quam plurimos multiplici fraude circumventos, cum Christum ejurare abhorrerent, alium alibi necari seorsim jubebat. Alii vero hujus gentis Christiani, præcipue Nobiles, relicta patria, fortunisque suis potius exilium subire, quam a vera fide deficere maluerunt. Nec minus in fide constantes sese exhibuerant hujus gentis Matronæ, quas inter præcipue eminuit Catharina Gurzianorum Regina, quæ a Schach-Aba Tyranno comprehensa, solio Regio deturbata, ad Religionis defectionem impulsa minis, & pœnis, illecta blanditiis, ac denique crudelissimis lacerata tormentis, animantibus ipsam Eremitis Augustinianis, martyrii coronam accipere promeruit.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CXCIX.

Achmetes Turcarum Imperator mortuus.

Interim Turcæ, ut se de Cosaccorum excursionibus ulciscerentur, facta in Podoliam irruptione, omnia incendiis & rapinis infesta reddiderunt, secum in captivitatem abstractis quamplurimis. Minitabantur etiam, ni Sigismundus Poloniæ Rex de Cosaccis e Turcica ditione evocatis pœnas sumeret, in

Merc. Gallob. tom. 12. l. 1. tom. 11. lib. 4. Mem. Istoric. l. 11. di Giov. Sagredo.

Sæc. XVII. A. C. 1617. Poloniam irrupturos, expetitis in opem a Gabriele Bethlenio Tranſylvaniæ Duce aliquot millibus: quocirca Rex, ut adverſus eorum incurſus ſe tueretur, cuncta neceſſaria parare cogebatur; jam enim Tartaris juncti in Poloniæ fines irruperant, pagosque & vicos quamplurimos diripuerant. Pariter Hungariam infeſtis excurſionibus devaſtabant, eoquod Hungari ſexaginta Pagos ad Strigonium ſpectantes eisdem cedere renuerent. Unde Heiducci, ut vicem rependerent, Agriam verſus excurrentes, Turcarum agmen tanta vi aggreſſi ſunt, ut ex ſexcentis vix dimidia pars, arrepta fuga, ad ſuos reverteretur: Parta hac victoria Hungari Gratiano Turcarum Legato ſignificabant, quod de tradendis Pagis nullam ultra mentionem faceret, cum potius vitæ, bonorumque jacturam facere, quam in Turcarum poteſtatem ſub falſa pacis ſpecie Pagos, quos armis expugnare non poterant, eisdem cedere, parati eſſent: Inſuper Turcæ præter Conſtantinopolin incendio fœdatam ingens quoque damnum in mari Mediteraneo perpeſſi ſunt, navibus novendecim, quibus tributum ex Africa ferebatur, tempeſtate ſubmerſis. His igitur calamitatibus, ac curarum moleſtiis confectus, ac Venereis voluptatibus

tibus exhauſtus Achmetes Conſtantinopoli die decima quinta Novembris anno ætatis trigeſimo, Imperii decimo quinto obiit. Erat Princeps plurimum de ſe præſumens, crudelis, ſcientiarum rudis, Miniſtrorum mancipium, multa mente volvens, nihil decernens, amplaque fovens conſilia, quæ tamen nunquam exequendo par erat. Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CC.

Muſtapha Achmetis Frater in Turcico ſolio ſucceſſor.

Enimvero Achmetes præter Sultanam gente Circaſſidem, pellices habebat circiter quadringentas, ex quibus filiorum ejus numerus haud exiguus educabatur, eorum tamen natu maximus Oſmanes nomine, nonniſi duodecimum ætatis annum injerat. Hunc Achmetes Imperii Succeſſorem jam ante hac deſignaverat, donec vero in Imperii curas & ætatem Oſmanes adoleſceret, Pater moribundis pœne jam vocibus Muſtapham Oſmanis Patruum in Regni Adminiſtratorem nominabat. Hic idem Muſtapha poſt Patris ſui Mahometis III. obitum ab Achmete fratre ſuo, in cuſtodiam conditus fuerat, in qua quartum decimum jam trahebat annum, quando vicarium ad Regimen *Arth. Dantiſc. tom. 12. l. 1. p. 119. Sagred. l. c.*

Sæc. XVII. A. C. 1617.

vocabatur. Vix autem e carceris sui latebris prodierat, cum ecce! præter omnem exspectationem a Ministris & Janissaris *Sultanus* consalutatur, qui tamen Regimini suo initium fecerat a consueta Barbaris crudelitate, qua Achmetis filios, præter Osmanem unicum, omnes interfecit, vel ut alii volunt, vinculis adstrinxit, postea Viennam Legatum decrevit, qui ejus nomine fœdera inter Mathiam Cæsarem, & Achmetem defunctum inita, rata haberet. Nondum vero hic Legatus Constantinopolin reversus erat, cum Alil Bassa Vezirius conspiratione cum Janissaris & Spachiis facta, tertio Regiminis sui Mense Mustapham solio deturbatum, arctius longe quam antea in veteri carcere vinctum teneret, ut malæ gubernationis pœnas exolveret; quippe præter inhumanam ferociam, qua Musulmanos, & populares, noxios æque ac innocentes, promiscua barbarie trucidabat, insuper violato gentium jure Galliæ & Britanniæ Oratores ædibus suis incluserat, & quæstionibus amborum familias exagitans, Ministros Legatorum torqueri jusserat, imo conversa etiam in cognatum sanguinem rabie ipsum etiam Osmanem, cui sceptrum asservare rogatus erat, in carcerem detruserat, qui tamen e diverso

verſo, raptus e cuſtodia, in ſolium transferebatur. Referunt etiam Scriptores, quod Muſtapha ad Vezirii ſui arbitrium compoſitus totam Regiminis curam eidem reliquerit, & præter alia ſtupidi ingenii ſui portenta pretioſiſſimas gemmas per feneſtras projecerit, ac cuidam pauperi Eleemoſynam petenti literas ad Mathiam Cæſarem dederit, quibus tamen interceptis cognitum, quod eundem ad capeſſendum Ottomanicum Imperium Conſtantinopolin evocaſſet. Fervente hoc tumultu Ludovicus XIII. Galliarum Rex, & plurimi quoque Franciæ Epiſcopi ac Proceres magnam pecuniarum vim ad Jeroſolymitanum Sancti Sepulcri Templum reſtaurandum, aliasque Palæſtinæ ſacras ædes reparandas ſubmiſerant, ſollicitantibus haſce ſuppetias Patribus Franciſcanis, quibus circa annum Domini 1330. Sultanus Ægypti cuſtodiam Dominici Sepulcri commiſerat, petente Philippo VI. Galliarum Rege. Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CCI.

Synodus Cameracenſis.

Hoc anno die ſecunda Octobris Franciſcus de Burch Cameracenſis Archiepiſcopus Synodum ſuam Diæceſanam celebrabar, paucis comprehenſam *Schanat Concil. Germ. tom. 4.*

Sæc. XVII. A. C. 1617.

ſam ſtatutis, in quibus ſæpe numero provocatum eſt ad decreta Gandavenſis Synodi, quam idem Epiſcopus habuit. Ex his igitur duntaxat magis ſpecialia adducere lubet, & quidem primo prohibuit Synodus, ne Altare portatile a feſto Aſſumptionis B. V. adhibeatur, ubicunque aliquod Altare conſecratum exſtat: Statutum quoque, ut quicunque in Sacris conſtituti edendi vel bibendi cauſſa tabernam, extra itineris neceſſitatem, frequentant, prima vice ſolvant ſex florenos, ſecunda vice duplum, & tertia vice plectantur pœna carceris, & ſæpius recidivi puniantur tanquam incorrigibiles: qua pœna etiam caſtigari voluit eos, qui in taberna cultro vel aliis armis quempiam feriunt: Inhibuit etiam Synodus, ne quis ſine ſcripta Epiſcopi licentia exorciſare præſumat, nec fœminis exorciſmum adhibeat, niſi ſervata rituali norma, & præſentibus duobus probatæ fidei Viris: quibus vero ex Epiſcopi licentia eodem die plures Miſſas dicere permiſſum fuerit, caveant, ne in priori Sacro vel ablutionem ſumant, vel ſtatim a ſumptione Sanguinis Dominici calicem abſtergant, quod *Sacrilegium* fore aſſerit Synodus, quæ etiam declaravit, quod ubi hactenus jura funeralia fuerunt incerta & pro diſcretione

ne

ne Parochi exigi consueverunt, Decani curent, ea legitime taxari, agendo desuper cum Parocho, Magistratu loci, Ædituis & Rectoribus mensæ Pauperum, & si alicubi ea communi consensu determinari non potuerint, id Episcopo significetur. Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CCII.

Principum & Illustrium Personarum obitus.

Inter celebriores Episcopos, qui hoc anno obiere, primus occurrit Alexius Menesius, qui ex Eremita Augustiniano creatus Archiepiscopus Goanus, de Indiis Orientalibus optime meritus erat; quippe ibidem primus Monasteria Virginum excitavit, & D. Thomæ Christianos Nestorii aliorumque erroribus infectos ad Romanæ Ecclesiæ communionem revocavit, indicta hanc in rem Diamperiensi Synodo. Postea in Lusitaniam reversus, Bracarensis Archipræsul, necnon Lusitaniæ Pro-Rex a Philippo II. Hispaniarum Rege nominatus die tertia Maij Madriti pie in Domino obiit. *Roder. de Cunha hist. Arch. Braga. Anton. hist. Hisp. Ferrer. cont. hist. Hisp. tom. 11. Merc. Gallob. t. 12. l. 1.*

Alter erat Julius Echterus Herbipolensis Episcopus, atque illius Academiæ Fundator, qui die decima tertia Septembris unacum Episcopatu, quem qua-

Sæc. XVII. A. C. 1617.

quadraginta quinque ferme annis laudabiliſſime rexit, mortalitatem quoque exuit. Ejus corpus die prima Octobris ex arce ad Templum Sancti Jacobi, & poſtera die ad Templum Cathedrale delatum ſolemni pompa ibidem tumulatum eſt. Succeſſorem habuit Joannem Godefridum Bambergenſem Epiſcopum, qui utramque Eccleſiam medios inter hoſtes Calvinianos ſtrenue propugnabat, Ex Principibus diem vigeſimam octavam Junii vitæ ſuæ poſtremam habuit Carolus Münſterbergæ Dux, die autem undecima Martii obiit Margaretha Franciſca Hiſpaniæ Regis Filia, quæ die vigeſima tertia Maij Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo Lermæ primam lucem aſpexerat. Hoc item anno deceſſit Carolus Ferdinandi II. Imp. Filius, nonniſi quatuordecim annos natus. Hunc ſequebatur, Georgius Thurſo de Bethlenfalva Aruenſis Comes, qui regante Rudolpho & Mathia Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo Regni Hungarici Comes Palatinus ac Judex Cumanorum creatus eſt. De Succeſſore mox Hungariæ Proceres inſtabant apud Ferdinandum II. Cæſarem, quo annuente Sigismundus Forgatſius anno ſequenti eligebatur. Eodem fato in Galliis abrepti ſunt Franciſcus

cisfcus de la Grange Franciæ Mareſcallus, & Nicolaus Neuvillanus Villaregius, qui arcanis Regni negotiis per quinquaginta annos ſumma cum laude usque ad ſeptuageſimum nonum ætatis ſuæ annum præfuit. Denique Nicolaus Montmorencius Eſtræus Comes, qui Alberto Archiduci ſupremus ærarii Præfectus erat, Gandavi die decima ſexta Maij naturæ debitum ſolvit, relictis ingenii pietatisque ſuæ monumentis. Scripſit enim *Diurnale pietatis*, *Manna abſconditum*, *florem campi*, *convivium bipartitum*, *Manuale Principis*, *coronam ſpiritualem*, & plura alia opuſcula. Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CCIII.

Bonifacii Caetani Cardinalis mors.

Luxit pariter hoc anno Sacrum Purpuratorum Collegium jacturam duorum Cardinalium, quorum primus erat Bonifacius Caetanus patria Romanus, qui in juventute ſua aliquantulum ſolutiori vitæ indulgens, atque in dicteriis mordaciſſimus, tandem depoſitis ejusmodi vitiis mores ad Status ſui dignitatem compoſuit: Regnante Clemente VIII. nonniſi unicum Caſſanenſe Sacerdotium obtinere valuit, eoquod Petro Cardinali Aldobrandino ejusdem Pontificis Nepoti apprime infenſus eſſet. Ubi vero Paulus V. Apoſtoli- *Ciacon. in vita Pauli V.*

Sæc. XVII. A.C. 1617.

ſtolicam moderabatur Cathedram, primo Flaminiæ Provinciæ Gubernator, ac Presbyter Cardinalis titulo S. Pudentianæ, demum vero Tarentinus Archipræſul creabatur: Præter plurima, quæ PP. Theatinis contulerat, beneficia, ſuas quoque acerrimi ingenii dotes in Eccleſiæ utilitatem impendere ſtuduit, atque obtenta etiam Purpura ipſus in Eccleſia tituli ſui, necnon in Ravennatenſi Theatinorum Templo magna hominum frequentia conciones ad populum habuit. Tandem Romæ die vigeſima nona Junii quinquagenarius animam ſuam Deo reddidit.

§. CCIV.

Bernardi de Sandoval Cardinalis extrema.

Maracc. in Purp. tom. Ciacon. in vita Clem. VIII.

Hunc eadem mortis neceſſitate ſequebatur Bernardus de Sandoval & Roias natione Hiſpanus. Hic ab unguiculis in omnibus virtutum ac pietatis exercitationibus enutritus ad maximam Eccleſiæ ſpem, & illuſtrium Parentum gloriam adoleverat. Philoſophicis ac Theologicis diſciplinis in celeberrimis Hiſpaniæ Univerſitatibus probe imbutus, Sacræ militiæ nomen dedit, atque a Chriſtophoro Hiſpalenſi Archiepiſcopo Patruo ſuo in Diæceſani Regi-

Regiminis partem aggregatus, a Philippo III. Hiſpaniarum Rege, cujus animum ob morum candorem, & virtutum præſtantiam ſibi totum devinxerat, primum ad Giennenſem, poſtea Pampilonenſem ac demum Rodriocopolitanum Epiſcopatum nominabatur, quas omnes Eccleſias cum ſingulari prudentia, conſilio, ac Religionis ſtudio rexerat. Inſuper eidem Regia conſiliis, ſupremusque Inquiſitor, a Clemente vero VIII. Cardinalis, Toletanus Archiepiſcopus, & Hiſpaniarum Primas declaratus eſt, quibus tamen omnibus dignitatum titulis ornatus, nil a priſtina ſua modeſtia remiſit, ſed immote ſine jactantia pius, ſine ſuperbia nobilis, ſine invidia humilis, ſine aſperitate gravis, ob rara naturæ, felicitatisque dona ſpectabilis, comis, beneficus in omnes præcipue in Toletanam ſuam Eccleſiam, ac denique in pauperes effuſiſſimus ſingulis annis ſcuta quinquaginta millia inter eos diſtribuit, in ſacra autem ædificia, & Religioſos necnon pro tuenda fide Catholica vicies centena, & centum quinquaginta aureorum millia inſumpſit. Ipſemet in Diœceſi rudimenta fidei docebat, Confeſſiones excipiebat, atque admirabili eloquentiæ vi præditus, e ſuggeſtu ad populum ſuum dicebat. Toleti

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A. C. 1617. quoque Synodum celebrabat, correctisque Clericorum moribus, leges optimo Paſtore digniſſimas ſanciebat, plebemque ſuam verbo & exemplo in ſacris exercitationibus uſque ad poſtremum vitæ habitum inſtituens, tandem die ſeptima Decembris Madriti ſeptuagenario major meritorum mercedem a Deo recepit, in Eccleſia Toletana ſepultus.

§. CCV.

Diverſæ Conſtitutiones ac deciſiones a S. Congregationibus emanatæ.

Deciſ. S. Cong. Epiſ. & Reg. & S. Rituum.

Emergentibus variis circa ritus dubiis Sacræ Congregationes auctoritate ſummi Pontificis hoc anno diverſas ediderunt Conſtitutiones, quas inter die decima Januarii Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium declaravit, quod conſenſus ſolius Rectoris ſufficiat, ut in ejus Eccleſia ſæculari poſſint Regulares celebrare: die autem decima quarta ejusdem Menſis ſtatutum, quod Crux in ſupplicationibus deferenda ſit a Regularibus cum velo pendente & quod Vicario Generali ſedenti in choro, licet ſupra Canonicos, thurificatio tamen duplici, non autem triplici ductu turribuli debeatur, ſi tamen non ſit Prælatus, nec Epiſcopus poſſit ſtatuere

ut

ut Officium alicujus Sancti, quod cum particulari oratione in Cathedrali Eccleſia ab immemoriali tempore celebratur, celebretur etiam per totam Diœceſin: Eadem quoque Congregatio die vigeſima quarta præfati Menſis declarabat, quod Regulares non vadant proceſſionaliter ad Portam Clauſuræ Monaſteriorum pro recipiendis reliquiis, nec etiam cujuscunque ſupplicationis obtentu in Monialium Eccleſias proceſſionaliter ingredi valeant: nec etiam Reliquiæ aſſerventur in Monaſteriis Monialium, ſed in exterioribus Eccleſiis, ut ſtatuit Congregatio Concilii die ſeptima Martii. Die autem decima octava ejusdem Menſis S. Rituum Congregatio decidit, quod Lectiones duæ penultimæ, quando ab Epiſcopo Matutinum ſolemniter celebratur, ſint cantandæ a duobus Canonicis, qui hinc inde eidem aſſiſtunt. Plura etiam circa Divini Officii ritus die decima octava Aprilis eadem Congregatio æque ac illa Epiſcoporum ſancivit, & quidem I. quod ſi ſemel pulſata eſt campana, & lumina accenſa, Officium ad inſtantiam alicujus non differatur II. Ad Archidiaconum tanquam majorem in choro ſpectet in principio Matutini, Horarum Canonicarum ac Veſperarum intonare *Pater Noſter*, & eo dicto dare

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

signum, ut incipiatur *Domine labia mea, vel Deus in adjutorium meum &c.* Sic & ad Primam dicere, *dies & actus noſtros &c. Adjutorium noſtrum &c. Dominus nos benedicat, & cuſtodiat nos &c.* Nec non in fine matutini & Horarum: *Dominus det nobis ſuam pacem;* & ad ipſum pariter pertineat dare finis ſignum, ſine quo nemo etiam officio expleto e choro egredi valeat. III. Ex Canonicis vero in choro exiſtentibus, ſub quovis prætextu exinde exire non valeant plures quam duo pro qualibet vice, & in egreſſu & regreſſu Archidiacono reverentiam exhibeant, eorum egreſſus cauſam notam facientes, ut in pleno capitulo, an ſit juſta vel ne, diſcuti valeat, & contra faciens punctetur. IV. Pariter quod determinatis horis pulſandi Matutinum, alias horas, Veſperas & Completorium juxta temporum diverſitates, & pulſata campana per Sacriſtam, aut ejus deputatum, ac in Eccleſia luminibus accenſis Officium, Horæ, Veſperæ & Completorium ad alicujus inſtantiam differri non valeant, & Hebdomadario abſente Archidiaconus alteri præcipat, ut incipiat. V. Dum divina celebrantur Officia, nemo extra chorum cum cotta, vel ſine ea permanere, nec in choro actus a divinorum Officiorum recitatione differentes, ut puta

puta Scripturas legere, ſcribere, aut aliud id generis gerere valeat, alioquin tanquam abſens punctetur. Sæc. XVII. A. C. 1617.

Die ſexta Maij ſtatutum eſt, quod conſuetudo Eccleſiæ, quod fructus ſpectent ad Capitulum, donec beneficiatus ſit Sacerdos, ſit obſervanda, & quod Capitulum, ſede vacante, poſſit certum tempus in Vicarii deputatione præfinire, quo elapſo jurisdictio expiret, ac proin eligere poterit cum clauſula, *quod non duret, niſi per annum.* Capitulum vero poſſit per Præſidem convocari, quandocunque Eccleſiæ utilitati videbitur expedire, & nihilominus ſolitis diebus & ad hoc deſtinatis, & quotiescunque per Canonicos petetur illud convocari: de cetero ſi quædam Imagines publicentur miraculoſæ absque interventu Ordinarii, ipſe debeat eas claudere, informationes capere & Romam transmittere, uti die ſexta Octobris Congregatio Epiſcoporum decidit. Declaratum quoque die decima ſeptima Novembris, quod capellæ privatæ Palatiorum non gaudeant immunitate, Canonicus tamen e Choro abſens occaſione ſervitii curæ ejus Canonicatus annexæ, quotidianas diſtributiones lucretur, tanquam ſi eſſet præſens, & ideo Epiſcopus curam animarum eidem Canonico aufferre non debeat.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

beat. Denique Sacra rituum Congregatio die nona Decembris ſancivit, quod Epiſcopus, ſi Miſſas Pontificales per ſe ipſum celebrare nolit, vel nequeat, non poſſit id in præjudicium primæ dignitatis, cui id competit, alteri ſibi bene viſo pro ſuo arbitrio demandare.

§. CCVI.

Rallegi Anglici Equitis extremum ſupplicium.

Rapin. Thoiras Hiſt. d'Angl. l. 18. Vid. ſupra l. 186. §. 56.

Conjurationis in Jacobum I. Angliæ Regem conflatæ conſcium fuiſſe Walterum Rallegum Equitem, jam ſupra retulimus; hoc autem anno extremum adverſantis, qua premebatur, fortunæ conatum recenſere, operæ pretium eſt; poſtquam enim Regis gratia e carcere, in quo tredecim ferme annos hæſerat, tandem dimiſſus erat, omnibus ſpoliatus bonis ſuis, in exteris Regionibus levamen ſuis miſeriis quærere ſtatuit, cumque omnes maritimas Americæ oras, quas jam olim unacum Kemiskio Collegii Oxonienſis artium Magiſtro legerat, ſibi ſat cognitas haberet, ac præcipue ex Inſula Guaiana metallicam maſſam, auriferæ venæ indicem, ſecum in Angliam retuliſſet, novæ hujus felicitatis ſpe

spe incitatus Regi proposuit, quod in America appositio signo locum quemdam exploraſſet, cujus opulenta viscera ingentem auri copiam pollicerentur, proin Rex sibi iteratæ ad has oras navigationis facultatem Regio diplomate concederet. Obstare videbatur, Hispaniæ Regem, cui hæc Insula parebat, offendendi formido: e contrario autem immodica auri cupiditas Anglum tantopere incitabat, ut spreto pacem violandi metu, Regias literas concederet: His munitus Rallegus duodecim instruxit naves, pecunias largiter eidem suppeditantibus Anglis Proceribus, quos tam potens fortunæ provocatio viscabat. Ergo Mense Augusto hoc anno revulsis anchoris, & in Oceani vastitatem emotis navigiis, velis, remis & vento pariter spei conceptæ colludentibus, ad Guaianæ oram adpellitur. Verum infausto invidæ fortunæ ludibrio nec signi vestigium, nec auriferi montis conjecturam deprehendit: Filium suum unacum Kemiskio ad Orenoqum flumen procurere, atque ex altissimis cacuminibus desideratum montem explorare jubet: ast nequidem tum liberrimus iste oculorum excursus, quod tamen avide querebatur, detexerat: interea occurrunt Hispani, Anglorum exscensioni obstituri, qui ta-

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A. C. 1617. men a Rallegi copiis repulsi, oppidum Sancti Thomæ amiserunt, Anglis cum ingenti præda inde in interiora Regionis penetrantibus, quin tamen ostentati lucri spes affulgeret: quocirca frustratæ opulentiæ fastidio indignationem exasperante, Nautæ militesque ad Rallegum reversi palam querebantur, quod ab eo ementita promissæ felicitatis notitia delusi fuissent, quocirca conversis in Angliam velis quantocius cursum reflecteret. Horum minis territus, ac partim ob filii sui in conflictu trucidati, necnon Kemiskii repentina morte sublati jacturam spe & animo concidens Rallegus, ventorum opportunitate captata per Hiberniam redire cogitur: Verum Kingsalam appulsus, cum expeditionis infelicitas reditum in Angliam dissuaderet, suos socios eo inducere nitebatur, ut secum in Franciam contenderent. Hi tamen ejus consilium abhorrentes, reluctantem licet Plimuthum abducunt, ubi Regis jussu captus, ad Londinensem Turrim raptatus est. Interim Gondemarus Comes Hispaniæ Legatus, qui Walliæ Principis nuptias cum Regis sui Filia conciliaturus in Angliam venerat, Rallegi irruptione violatam pacem questus, eundem severe plecti petebat: unde Rex, ne concepta nuptiarum spes evane

vaneſceret, Rallegum Judicum arbitrio reliquit: Hi vero cum eundem, utpote Regia facultate inſtructum ob exſcenſionem factam morti adjudicare haud poſſent, eundem motæ quatuordecim abhinc annis rebellionis pœnas dare cogunt, quæſito hoc obtentu, quod ejusmodi crimen, niſi ſcripto Regis diplomate ſit condonatum, omni tempore debitæ ſubjaceat ſeveritati. Igitur nequidem de ſua expeditione interrogatus, Menſe Octobri anni ſequentis capite plexus eſt. Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CCVII.

Jacobi Auguſti Thuani obitus.

Fato longe magis glorioſo vitæ ſuæ finem poſuit hoc anno Jacobus Auguſtus Thuanus Pariſiis anno Salutis noſtræ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo tertio die nona Octobris natus. Vir erat proſapia illuſtris, doctrina, rerumque experientia inter paucos conſpicuus, qui magna ingenii felicitate præditus, antequam ſciret legere, jam ſeptennis pingere ac ſcribere didicit, ac demum decimo ætatis anno humaniores literas attingens, Philoſophicis, Arithmeticis, & Geometri- *Comment. de vita Jac. Thuan. Frecher. de vit. juſt. pag.* 1015.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

cis disciplinis, necnon Jurisprudentiæ animum adjecit, ubi plus assiduitate, literatorum consuetudine, & celebriorum Magistrorum institutione, quam labore proprio, cujus contentionem naturæ imbecillitas non ferebat, profecit, tamque celebrem se reddidit, ut vigesimo quinto ætatis suæ anno Parisiensis Curiæ Senator, ac postea Præses nominatus, arcanis Henrici III. & IV. consiliis, Regnique negotiis præficeretur. Interfuit quoque Fontis-bellaquei colloquio inter Perronium & Plessium Mornæum habito, atque ab Henrico IV. Regiæ Bibliothecæ præpositus, Parisinæ Universitatis statuta correxit necnon Regium Collegium ad meliorem normam reduxit. Tandem vero die decima septima Maij anno ætatis suæ sexagesimo quarto Parisiis mortalitatem exuit. Descripsit ipsemet vitæ suæ gesta præter ævi sui Historiam, de cujus fato jam supra mentionem ingessimus. Celebratur hic Author a Gallis & exteris, ac præcipue a Protestantibus: quoniam vero Ecclesiæ Gallicanæ libertates acrius vindicabat, & non pauca ad Apostolicæ Sedis dignitatem deprimendam ex heterodoxorum libris in suam Historiam transferebat, ideo plurium Scriptorum calamos, necnon

Vid. Supr. t. 188. §. 64.

non Romanam cenſuram contra librum ſuum provocabat, minus recte de fide Catholica ſentire, a multis creditus: econtrario alii ipſum tanquam *Catholicæ fidei tenaciſſimum, & Eccleſiæ Romanæ religioſiſſimum fuiſſe cultorem* depræ-dicant, hanc in rem adducto ejus teſta-mento, in quo ejus fidei profeſſio con-tinetur. Minus æquo tamen calamo in eum vel potius in morituri Thuani Confeſſarium Brietius Jeſuita invehi-tur his verbis: *qui Thuano Sacramenta impertiit Parochus S. Andreæ de Arcubus, eumque Sacra Sepultura donavit, aut ejus ſcripta nunquam legerat, aut dicendus fuit in Eccleſiæ defendendis juribus prævarica-tor, qui huic morituro non injunxerit pu-blicam, ſolemnemque palinodiam.*

Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CCVIII.

Joannes Chapeauville mortuus.

Sequentis Menſis die decima Junii de-ceſſit Joannes Chapeauville, Ebu-ri natus, qui eruditionis vaſtæ, & ju-dicii admodum limati Vir, non modo patriam ſuam Hiſtoricis lucubrationi-bus illuſtrabat, ſed etiam ad Eccleſiæ utilitatem doctiſſima vulgabat opuſcula; cum enim Lovanii Doctoratus laurea, nec-

Miræus Script. Sæc. XVII. Andr. bibl. Belg.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

necnon Leodienſi Canonicatu decoratus, meritorum ſuffragio Archidiaconi officio fungeretur, & poſtea Leodienſis Epiſcopi Vicarius Generalis crearetur, tres tomos de Hiſtoria Leodienſium, Tungrenſium, & Trajectinorum Præſulum conſcripſit: Edidit quoque tractatum *de caſibus reſervatis* in uſum præſertim Eccleſiarum Belgicarum, necnon *elucidationem ſcholaſticam Catechismi Romani*, præter *ſummam* ejusdem Catechismi *pro ordinandis*. Præterea publici juris fecit *vitam & miracula S. Perpetui Epiſcopi Trajectenſis*, & tractatum *de neceſſitate & modo adminiſtrandi Sacramenta tempore peſtis*. Celebratur præcipue ejus diſſertatio *de prima & vera origine feſtivitatis SS. Corporis & Sanguinis Domini*.

§. CCIX.

Quidam Societatis Scriptores hoc anno defuncti.

Miræus l. c. Alegamb. Script. Soc. pag. 255.

Hunc item annum ſibi exitialem habuere quidam Societatis Scriptores, quos inter celebrior eſt Franciſcus Suarez natione Hiſpanus, patria Granatenſis, quem mediocri ingenio præditum, ac ſuis condiſcipulis inferiorem *ſubito ad Superioris ſui vocem ſcientiarum luce*

luce perfusum fuisse, narrant Jesuitæ, a quibus etiam modo *communis omnium Magister*, nunc *Auctor gravissimus*, *Doctor eximius*, *celeberrimus*, *Alter hujus ætatis Augustinus*, *Theologorum coryphæus*, *in Scholasticis gigas*, *hujus ætatis Prodigium*, *Oraculum*, *lumen* &c. plenis buccis deprædicatur, scripsit enim reipsa in summam Divi Thomæ plusquam octodecim majoris formæ volumina, quæ inoffenso pede percurri possunt, excepta doctrina de Confessione absentis absenti facta, quæ ab eodem Suaresio post Clementis VIII. damnationem benigna interpretatione fuit moderata, ac nihilominus per Sacram Congregationem rejecta est, unde in ea, quæ hodiedum circumfertur, secundi tomi editione de Sacramento Pœnitentiæ tandem castigata reperitur. De fato libri sui, cui titulus: *Defensio fidei Catholicæ*, jam supra mentio incidebat. Edidit insuper Suaresius librum de immunitate Ecclesiastica occasione controversiæ inter Papam & Venetos, ceterum decessit hic Author ferme septuagenarius Ulyssipone die vigesima quinta Septembris. Alter erat Hieronymus Xavier S. Francisci Xaverii Cognatus, qui librum *de Mysteriis fidei*, necnon *Martyrum historias*, *vitasque Apostolorum*,

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Vid. tom. 53. in fine inter errata.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

lorum, aliumque librum *de vita*, *miraculis*, *& doctrina Christi* præter varias epistolas conscripsit. Ipsius autem *Historia Christi* Persice conscripta, & a Ludovico de Dieu animadversionibus rogo dignis vitiata, a S. Congregatione Indicis in tribus decretis cum annexa ejusdem *Historia Petri* proscripta est. Obiit Hieronymus Goæ die decima septima Junii. Tertius erat Alphonsus Rodriquez, alter ab eo, qui ejusdem nomine anno priori ex eadem Societate decessit. Hic per triginta annos Janitoris munere functus pariter nonnisi Asceticos quosdam tractatus posteris reliquit, tandem vero annos natus octoginta septem Majoricæ die trigesima prima Octobris mortalitatem exuit. His accedit Andræas Eudæmon Joannes natione Græcus, qui calamum suum in fidei controversiis exercens, librum de Antichristo adversus Robertum Abbotum Anglum, necon responsionem ad ejusdem Antilogiam, & castigationem Apocalypsis contra Brichtmanum itidem Anglum edidit. Vindicabat quoque P. Cotonum, Garnetum, & Bellarminum adversus Danæum, Coquum, Barclaium, Isaccum Causabonum, & scriptorem Paralleli inter Tortum & Tortorem. Denique

que minoris nominis Scriptores ex eadem Societate hoc anno decessere Ferdinandus Alberus, Gregorius Rosseffius, Bidermanes, Crusius, Heumont, Escriva, Guerriero, Browarus & Gonzalez de Losada. Sæc. XVII. A. C. 1617.

§. CCX.

Joannis Carthagenæ extrema.

Ex celeberrima Sancti Francisci familia sat illustre lumen hoc anno extinctum est, Joannes Carthagena natione Hispanus, qui in studiorum decursu prout eruditione provehebatur magis magisque, ita ad eandem mensuram intendebat virtutum ardorem. Juvenis adhuc Jesuitarum Societatem amplectebatur, maturior autem factus, eadem relicta, Fratribus Minoribus Sancti Francisci sese aggregabat, quorum institutione non modo in scientiis, sed vel maxime in Religionis, & proximi Zelo tam uberes collegerat proventus, ut primo Salmanticæ Theologiam aliquamdiu professus, Romamque evocatus, præclara admodum obsequia Ecclesiæ præstaret. Sedente Paulo V. rursus Theologiæ Professorem agebat, atque exorta inter hunc Pontifi- *Wading. Bibl. F. F. Minor. Haroldus in addit. ad Wading.*

Sæc. XVII. A. C. 1617.

tificem & Venetos controverſia, varia edebat ſcripta adverſus eandem Rempublicam, ex quibus potiſſimum celebratur tractatus *pro Eccleſiaſtica libertate, & poteſtate tuenda adverſus Venetorum leges*, nec non alius, cui titulus: *propugnaculum Catholicum de jure belli Romani Pontificis adverſus Eccleſiæ jura violantes*. Verum non omnibus probabatur acrior, quam par erat, hujus ſcriptoris calamus, ſicut nec variorum, & præcipue Claudii Dauſquii cenſuras effugere poterant ejusdem Carthagenæ *homiliæ Sacræ & morales de Religionis Chriſtianæ arcanis*, in quibus hic Author Sanctum Joſephum extra uterum fuiſſe ſanctificatum aſſeruit, eumque ob anxietatem de Virgineæ Sponſæ ſuæ conceptione Martyribus annumeravit. Tandem vero Neapoli beato fine quievit.

§. CCXI.

Joannis Jacobi Grynæi, Alberti Graueri, & Hoby mors.

Brun. vit. Gryn. Adam. Melch. in vit. Theol. Germ.

Inter Acatholicos ſcriptores, qui hoc anno deceſſerunt, celebrem ſe reddidit Joannes Jacobus Grynæus Bernæ natus. Hic Baſileæ politioribus literis

ris imbutus, varia Eccleſiæ ſuæ munia obibat, quamvis a ſuis Collegis acriter infectatus eſſet, eoquod nec Lutheri doctrinam *de Cœna* nec *Concordiæ formulam* approbare vellet, Calvini ſomnia ſecutus, unde Paſtoris officium, quo Rötelæ fungebatur, dimittere coactus, Baſileæ utrumque Teſtamentum interpretari aggreſſus eſt, qua in exercitatione dum per quinque annos cæcus cæcos duxerat, tandem in ſepulcri foveam ſeptuaginta ſeptem annos natus ibidem cecidit die trigeſima Auguſti. Edidit præfationem in Irenæum, & Eraſmi chiliades, ſcripſit etiam *enarrationem aliquot Pſalmorum & Prophetarum, demonſtrationes Evangeliſtarum, chronologiam Evangelicæ hiſtoriæ, logicique artificii in epiſtola D. Pauli ad Romanos declarationem, epitomen Bibliorum, characterem chriſtianorum, Sciagraphiam Theologiæ ſecundum tres methodi formas*, præter tractatum de *apoſtaſia, ejusque epiſtolas familiares.* Huic adjungimus Albertum Grauerum Meficaviæ in Marchia Brandeburgenſi natum, qui Jenæ primum Philoſophiæ, poſtea Theologiæ Profeſſor, inſtante Ægidio Hunnio in Hungaria Cepuſiani & Caſſovienſis Gymnaſii Rector, dein Islebienſis ac tandem Superintendens Vinarienſis

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sigiſ. Apin. ad epiſt. famil.
Arnold. Hiſt. Hæret. p. 2. l. 17. c. 6. n. 34.
Gerard. epiſt. ad Meiſn.

Sæc. XVII. A.C. 1617. rienſis creabatur, cujus mutationis cauſſa haud alia erat, quam hujus Miniſtelli ambitio, & ridicula æmulatio adverſus Joannem Gerardum pariter Lutherani Verbi Miniſtrum, cujus ipſe labores & ſcripta cenſura minus Chriſtiana apud Studioſos etiam deprimebat, unde hic, adverſus Grauerum ad quemdam amicum hæc perſcripſerat: „ Ob Graueri arrogantiam „ mihi tædio eſt Academicus labor; „ compertum enim habeo, quod hic „ locos meos Theologicos contumelioſis plane cenſuris perſtringat, „ & quidem coram diſcipulis has „ ſubiiciat notas: *Hoc abſurdum eſt*, „ *falſum eſt*, *ſibi ipſi contradicit*, *neſcit*, „ *quid loquatur*: *non ſatisfacit argumentum*, ſed nunquam tamen a me „ impetrare poterit, ut cum eo in „ arenam deſcenſurus ſim: ¡Utinam „ nobis major cura eſſet de pietate, „ conſcientia, & Eccleſiæ tranquilitate. . . . . Adeo diſſentimus in „ votis noſtris, animique ſententiis; „ ego enim relicta Epiſcopali dignitate ad Academiam digreſſus ſum, „ is vero Academiæ pertæſus ſummos Epiſcopatus honores aucupatur, quod mecum non pauci mirantur“. Hic idem Grauerus pro tur-

turbidæ indolis ſuæ impotentia Eilhardum Lubinum palam Calviniſmi inſimulabat, ejusque opinionem *de natura mali* tanquam ridiculam, ſacrisque literis adverſam explodens, hunc Theologum *Novatorem* appellitabat. Teſtantur ex Lutheranis potiſſimi, quod Grauerus inquieti & ambitioſi animi homo, ex inflata ſimul ſcientia præſumptuoſus, moleſtusque in ſuo Zelo contra diſſidentes exſtiterit: nihilominus ab aliis *Clypeus & Gladius Lutheranorum* vocatur, imo Paulus Freherus eundem etiam tanquam Virum divino ingenio, judicio admirabili, memoria ſingulari depræ-dicat: inde vero patet, quanti habenda ſint Novatorum judicia de eorum Theologis, quid dicam de cenſuris, quibus Catholicos proſcindunt. Cæterum Grauerus ſcripſit tractatus *de una & ſimplici veritate, centuriam illuſtrium quæſtionum Theologicarum, Anti - Lubinum, abſurda abſurdorum abſurdiſſima Calviniſtica, prælectiones in Auguſtanam Confeſſionem, expoſitionem Prophetæ Micheæ, & harmoniam præcipuorum Calviniſtarum, & Photianorum.* Periit Vinariæ die trigeſima Novembris anno ætatis ſuæ quadrageſimo ſecundo.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Sæc. XVII. A. C. 1617.

Præterea inter Anglos sectæ suæ Polemicos Eduardus Hoby celebrem sese reddidit per suam epistolam ad Theophilum Hyggonsium, qui a Calvini erroribus ad Catholicam veritatem reversus erat. Edidit quoque Eduardus libellum contra Purgatorium: obiit demum die prima Martij.